This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

TRANSFER
HN 2NS9 6

Digitized by Google

KPD 3203

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

~~Ld 17.120.9~~
KP D 3203
Harvard College Library
Bowle Collection
Gift of
Mrs. E. D. Brandegee
Nov. 5, 1908.

Digitized by Google

Amplissimis, Spectatissimisque Viris,

D. D. Reipub. Leidensis

CONSULIBUS,

D. D. GULIELMO PAETS, J. U. D. Rhenolandiæ Comarchæ, Consulum Præsidi.

D. D. JOHANNI vander MAERSCHE.

D. D. ARNOLDO WITTENS, J. U. D.

D. D. RIPPERTO van GROENENDIICK, J. U. D.

NEC NON

Sapientissimis, Consultissimisque Viris,

D. D. JOHANNI van WEVELICHOVEN, J. U. D. Reipub. Leid. Syndico, & D. D. Curatoribus à Secretis.

D. D. JOACHIMO van WEVELICHOVEN, J. U. D. & Reipub. Leid. Syndico.

D. D. GERARDO ab HOOGEVEEN, J. U. D. Qui est D. D. Consulibus à Secretis.

VIRI AMPLISSIMI,

DIvinum illud principis inter Græcos Comici oracullum est: ἐκ ἐστὶ σοφίας κτῆμα τιμιώτερον, *Non est Sapientiâ possessio pretiosior.* Quibus verbis testatum facere voluit

Digitized by Google

luit Poëta, Sapientia nihil excellentius aut præstantius divino munere hominibus esse concessum: sive splendorem ejus & dignitatem, qua cæteras omnes scientias multis parasangis & intervallis post se relinquit; sive emolumenta & utilitates, quæ ex ea redundant in genus humanum, accurata mentis trutina expendas. Hæc una verum discrimen inter hominem & bestiam constituit, atque eum Divinæ imagini proximum facit, ac supra humanam sortem extollit. Hujus amore incensi jam olim eximii viri, qui rerum gestarum magnitudine immortale nomen sibi apud posteros compararunt, in id omni animi contentione incubuerunt, ut sapientiæ plenam perfectamque cognitionem adipisci possent; ita ut tanto ejus addiscendæ studio & ardore inflammarentur, ut patria, parentibus ac amicis procul relictis, in peregrinas regiones proficiscerentur. Et nihil æquè expeterent, ac vitam suam earum artium studiis excolere, quibus ad Religionem, & ad verum Dei cultum, cæterasque virtutes imbuimur. Qui ergò magno in pretio literas habent, nimirum rectè intelligunt, quantum illa conferant acquirendæ prudentiæ; quæ res moderatur publicas; quam utique certum est ex libris, cum per exempla, tum præcepta, quæ inde suppeditantur, brevissima via comparari. Hoc etiam munus fuit antiquorum sapientum, legibus urbes fundare; semel fundatas, ut in eodem statu diu perseverarent, omni industria ac vigilantia procurare. Ad utrumque consequendum, multarum ac magnarum

gnarum rerum atque artium ſcientiam neceſſariam eſſe, nemo ignorat; quaque inſtructos fuiſſe priſcos illos legiſlatores, inter omnes conſtat. Olim cum in admiratione & pretio ſuo ſtaret Sapientia, eorum, qui illi inveſtigandæ & excolendæ ſe operam dare profitebantur, ſumma reverentia, ſummus erat cultus. Sciebant enim honorem artes alere ac fovere: ut contrà languere ſtudia, ubi nullum eorum æſtimium. Atque inde factum, ut & ſtatuas, præter alios honores, nonnullis publicitus poſitas à Rebuspublicis conſtet. Quod de Zenone prodit Diogenes Laërtius, videlicet in tanto eum fuiſſe honore apud Athenienſes, ut urbis & mœnium claves apud illum deponerent, coronaque aurea & ænea imagine honorarent. Cn. Pompejus, confecto Mithridatico bello, intraturus Poſidonii Sapientiæ profeſſione clari domum, fores percuti de more à lictore vetuit, & faſces lictorios januæ ſubmiſit is, cui ſe Oriens Occidenſque ſubmiſerat. Utinam & noſtrum ſæculum, talium ſit ferax exemplorum. Sed proh dolor, ſi unquam tempus fuit, quo virtutis & litterarum ſterilitas eſt, hoc noſtrum eſt; ita ut non ſine ratione Venuſinus noſter conqueſtus ſit, cum inquit:

Omnes res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, &c.

Hujus rei cauſam aliam non poſſes dare, quam quod illi, ab omni liberalioris ſcientiæ commercio

Digitized by Google

penitus alieni, nullum habent judicium honorandi tam magni boni; sed tantum circa terram suam hærent, curvæ & degeneres animæ. Profectò nihil hominis habet homo ille, qui non aliquo litteraturæ sensu tactus, non optet sibi cor Zenodotis, aut jecur Cratetis. Et ut olim Agrippina, Senecæ professoriam linguam inter probra objecit; ita nostri hodie homines (paucis & bonis exceptis) inter contemptus onera, hanc provinciam & Spartam nostram nobis objiciunt: magno verò invidiæ onere tum premi nos putant, si Grammatici audire cogamur. Ecce, non verebor dicere, sit quantumcunque volet fortunatus Polycrates, sit felix Sylla, sit potens Cæsar, dives Crassus, pereat luxu Lucullus, vivat in honore Pompejus, aulica gratia valeat Seianus, & quisquis fortunæ muneribus potens ambulat, indulgeat sibi: nulli horum vitream felicitatem invideo, quam unius momenti calamitas contaminat & frangit. Ego, omne quod possidetis, *nebulæ cyatho non emam: nec*

Otia divitiis Arabum liberrima mutem.

Felicitas nostra, qui litteras tractamus, & ad morum elegantiorum virtutumque possessionem adducimus, multis gradibus Regum εὐτυχίᾳ antistat. Illi enim tot curis excarnificantur, tot insidiis semper sunt obnoxii, ut nunquam illis solidum constet gaudium. Ob has ergò aliasque causas existimarunt viri sapientes, magis hoc vitæ genus expetendum, quam ullum honorem. Longè enim pretiosior est possessio scientiæ, quam omnes nummi

in

Digitized by Google

in arca Timonis: longè jucundius inter Socraticos libellos latere, & nocturnis impallescere chartis, quam cum fascibus & lictoribus conspicuum, per attonitam & stupentem plebem incedere, & in curia ebur premere, quod tam diræ & graves curæ ambiunt, & non nisi cum honore & metu scandere sinunt. Longè denique jucundissimum est, ---*purgatas inserere aures Fruge Cleanthea*, nobis commissæ turbellæ, & sequaces animos velut *sub pollice ducere*. Ex quo quidem labore plerumque etiam eam delectationem capimus, quam ex industria sua colonus, quum fructus uberrimos ex agro suo percipit: quamque architectus ex perfecta & amussitata regii alicujus Palatii structura sentit. Sic & *tacitum pertentant gaudia pectus*, quum ex ludo nostro, velut ex equo Trojano, optimè litteris institutos, moribus belle ornatos adolescentes videmus prodire, qui summæ rerum aliquando prodesse utiliter queant, Ecclesiæ docendæ idonei, Reipublicæ gubernandæ gnari, patriæ usui, parentibus solatio, amicis saluti, sibi ipsis honori & emolumento.

Verum quum jam & olim & nunc etiam receptum inscribere alicui, quæcunque publico bono in lucem prodeunt; non potui, Viri Magnifici, quin & hunc fætum Vobis offerrem, utpote apud quos & conceptus, & eductus est. Imprimis vero eximia vestra beneficia me compulerunt, ut ad Vos irem, & me meaque officia Vobis submissè offerrem, [illegible]m etiam daturus operam, ne quis Vestrûm,

meam in Sparta exornanda diligentiam, in ſtudiis provehendis fidem, in laboribus denique ſubeundis alacritatem & induſtriam deſideret. Cumque noſtra hæc functio ſit ardua, omnium oculis ſubjecta, calumniis multorum expoſita, veſtra me benevolentia complectamini, veſtra auctoritate & patrocinio, contra morſus malevolorum defendatis; conſilio & ope, ubicunque opus erit, ſublevetis, oro, obteſtorque. Deus Opt. Max. vos quam diutiſſimè incolumes ſua virtute tueatur & conſervet; veſtraque conſilia ſuo Spiritu gubernare dignetur: omnia denique tum publicè, tum privatim Vobis feliciſſimè cedant.

Veſter omni obſervantia & cultu devotiſſimus cliens

CORN. SCHREVELIUS.

AN-

Digitized by Google

CANDIDO
ET
BENIGNO LECTORI,
S. P. D.

ENtibi, LECTOR, LUCANUM, *in quo illustrando, quantum operæ & laboris adhibitum sit, non aliunde rectius cognoscere poterùs, quam si Editionem hanc cum aliis, quæ hactenus editæ sunt, conferre velis: nam prima mihi cura fuit, Textum ipsum quam emendatissimum exhibere, ex variis editionibus inter se collatis, sed accuratissimus nobis videbatur, Clariss. nec non incomparabilis Viri,* H. Grotii; *quis enim dubitat à tanti nominis autore quid prodiisse, non satis amussitatum; & multis parasangis præstare; ideò & ejus etiam vestigia pressimus. Insuper etiam Variantes Lectiones in calce libri adjecimus, quas & Cl.* Grotius *magna diligentia & judicio ex Vett. Mß. collegit, deprompsit. Notas etiam summo studio & labore selectas ex Variis exhibemus, sed Cl.* Grotii *&* Farnabii, *integras & suo loco insertas. Variorum notas præcipuè ex* Hortensio, Sulpitio, Salmasio, Gronovio, *& aliorum notis collegimus, quæ huic Auctori illustrando conducere mihi videbantur. Argumenta etiam ex* Sulpitio *singulis libris addidimus. Numeris arithmeticis versus & notas distinximus, quo & Lector singula statim obvia haberet. Supplementum* Lucani *ab* Anglo *quodam antehac seorsim editum, & huic materiæ aptissimum adjunximus,*

Digitized by Google

ximus, ne quid esset quod hic desideraretur. Indicem præterea Cl. Grotii *opera* Th. Pulmanni *& aliorum concinnatum, exhibemus, rerum, verborum, &c. locupletissimum.*

Hæc sunt, Benigne Lector, quæ Te scire volui, quæ si grata Tibi fuerint, & me à malevolorum morsu vindicare pergas, & plura indies meditanti fautor accesseris non deero Tuis commodis & usui promere, quæ cum Bono Deo in animo mihi sunt, in lucem dare. Vale & his fruere.

M. ANNÆI

Digitized by Google

M. Annæi Lucani
VITA,

Ex Commentario antiquissimo.

Annæus Lucanus patrem habuit M. Annæum Melam ex provinciâ Bæticâ Hispaniæ interioris Cordubensem Equitem Rom. illustrem inter suos; notum Romæ, & propter Senecam fratrem, clarum per omnes virtutes virum, & propter studium vitæ quietioris; quod sequens, magis à turba recedebat, minùs latebat. Matrem habuit & regionis ejusdem, & urbis, Aciliam nomine, Acilii Lucani filiam, oratoris operæ apud proconsules frequentis, & apud clarissimos viros non nullius ingenii; adeò non improbandus, ut in scriptis aliquibus hodie quoque duret ejus memoria: cujus cognomen huic inditum appâret. Natus est III. Non. Novemb. C. Cæsare Augusto Germanico II. L. Cæsiano I. Coss. Sed in patria sua non valuit educari: fatorum, credo, decretis, ut id ingenium, quod Orbem fama sui impleturum crescceret, in domina mundi aleretur urbe. Octavum enim mensem agens Romam translatus est. ac ne dispar eventus in eo narraretur ejus qui in Hesiodo refertur, cùm opinio tunc non dissimilis maneret. cunas infantis, quibus ferebatur, apes circumvolârunt, osque insidere complures, aut dulcem jam tum spiritum ejus inhaurientes, aut fœcundum, & qualem nunc existimamus, futurum significantes. Præceptoribus tunc eminentissimis est eruditus, eosque intra breve temporis spatium ingenio adæquavit: unà verò studentes superavit profectibus. Declamavit & Græcè & Latine cum magna admiratione audientiæ. Ob quod puerili mutato in Senatorium cultum, & in notitiam Cæsaris Neronis facilè pervenit, & honore vix dum ætate debito dignus

Digitized by Google

dignus judicatus est. Gessit autem Quæsturam: in qua cum collegis, more tuncusitato, munus gladiatorium edidit, secundo populi favore. Sacerdotium etiam accepit auguratus. Equidem hactenus tempora habuit secunda. Quæ autem sequuntur, mutata invidia & odio Neronis, ipsi exitium, domesticis luctum miserabilem attulerunt. Inter amicos enim Cæsaris, quòd tam conspicuus fieret profectus in poëtica, frequenter offendebatur. Quippe & certamine pentaterico acto, in Pompeji theatro laureis, recitante Nerone, fuerat coronatus, & ex tempore Orphea scriptum in experimentum ingenii ediderat; & tres libros quales videmus. Quare inimicum sibi fecit Imperatorem. quo ambitiosè imitante, non hominum tantùm, sed & artium sibi principatum vendicante, interdictum est ei poëtica, interdictum est etiam causarum actionibus. Hoc factum Cæsaris juvenili æstimans animi calore, speransque ultionem, à conjuratis in cædem Neronis socius assumtus est: sed parum faustè. Deceptus est enim à Pisone & consularibus, aliisque prætura perfunctis illustribus viris. Dum vindictam expetit, in mortem irruit. Nam sua sponte coactus vita excedere, venas sibi præcidit; periitque prid. Kal. Majas Attico Vestino & Nerva Syllano Coss. XXVII. ætatis annum agens: non sine jactura utilitatis; cùm patriæ, quæ tantam immaturè amisit indolem; tum studiorum quoque. reliqui enim VII. Belli Civilis libri locum calumniantibus, tanquam mendosi non darent. qui tametsi sub vero crimine non egent patrocinio, de iisdem dici, quod in Ovidii libris præscribitur, potest: *Emendaturus, si licuisset, erat*. Exstant ejus & alii complures; ut, Iliacon, Saturnalia. Catascomon. Silvarum X. Tragœdia Medea imperfecta. Salticæ Fabulæ XIV. & Hippanata prosa oratione in Octavium Sagittam: & pro eo, de incendio Urbis. Epistolar. ex Campania. Non fastidiendi quidem omnes: tales tamen, ut Belli Civilis videatur accessio.

TESTI-

Digitized by Google

TESTIMONIA
ET
JUDICIA
DE
LUCANO.

LUCANUS ipse de Opere suo in VII.

Hæc & apud seras gentes, populosque nepotum,
Sive sua tantum venient in sæcula fama;
Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris
Nominibus prodesse potest, cùm bella legentur,
Spesque metusque simul, perituraque vota movebunt:
Attonitique omnes veluti venientia fata,
Non transmissa, legent, & adhuc tibi, Magne, favebunt.

Et in X.

Invidia sacra, Cæsar, ne tangere fama:
Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
Venturi te meque legent: PHARSALIA *nostra*
Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.

TACITUS Annal. XVI.

Mella, quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinuerat, per ambitionem præposteram, ut Eques Romanus Consularibus potentia æquaretur. Simul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat per procurationes administrandis Principis negotiis. Idem Annæum Lucanum genuerat grande adjumentum claritudinis.

Idem

Digitized by Google

Et Lucanus Annæus, Plautiusque Lateranus Consul designatus, vivida odia intulere [conjurationi in Neronem.] *Lucanum propria causa accendebant, quòd famam carminum ejus premebat Nero, prohibueratque ostentare, vanus æmulatione.* Mox: *Lucanus, Quinctianusque & Senecio diu abnuere. Pòst promissa impunitate corrupti, quò tarditatem excusarent, Lucanus Atillam matrem suam, Quinctianus Glicium Gallum, Senecio Annium Pollionem, amicorum præcipuos, nominavere.* Deinde: *Non enim omittebant Lucanus quoque & Senecio passim conscios edere.* Posteà: *Exin M. Annæi Lucani cædem imperat* [Nero.] *Is profluente sanguine, ubi frigescere pedes manusque, & paulatim ab extremis cedere spiritum, fervido adhuc & compote mentis pectore intelligit, recordatus carmen à se compositum, quo vulneratum militem per ejusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat, versus ipsos rettulit; eaque illi suprema vox fuit.*

Versus, quos morientem Lucanum pronunciasse ait Tacitus, sunt qui hos esse existiment:

Scinditur avulsus, nec sicut vulnere sanguis
Emicuit lentus; ruptis cadit undique venis;
Discursusque animæ diversa in membra meantis
Interceptus aquis. ———

Alii hos:

Sanguis erant lacrymæ: quæcunque foramina novit
Humor, ab iis largus manat cruor: ora redundant,
Et patulæ nares: sudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis, totum est pro vulnere corpus.

STA-

Digitized by Google

STATIUS PAPINIUS Præfatione ad Librum secundum Sylvarum.

Excludit volumen Genethliacon Lucani, quod Polla Argentaria carissima uxorum, cùm hunc diem fortè consecraremus, imputari sibi voluit. Ego non potui majorem tanti autoris habere reverentiam, quàm quòd laudes ejus dicturus Hexametros meos timui.

Ejusdem Genethliacon Lucani:

Lucani proprium diem frequentet,
Quisquis collibus Isthmiæ Diones
Docto pectora concitatus æstro, &c. nam reliqua ibi lege.

M. FABIUS QUINTILIANUS.

Lucanus ardens & concitatus, & sententiis clarissimus, &, ut dicam quod sentio, magis Oratoribus quàm Poëtis annumerandus.

MARTIALIS de Natali Lucani.

Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus.
Lucanum populis & tibi Polla dedit.
Heu Nero crudelis, nullaque invisior umbra;
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

Idem de Lucano.

Sunt quidam qui me dicunt non esse Poëtam,
Sed qui me vendit Bibliopola putat.

Idem alibi:

——— unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

AUCTOR

Digitized by Google

AUCTOR Dialogi de Causis corruptæ eloquentiæ.

Exigitur enim jam ab Oratore poëticus decor; non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus; sed ex Horatii & Virgilii & Lucani sacrario prolatus.

SIDONIUS APOLLINARIS Carm. IX.

Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hîc putes legendum.
Quorum unus, &c.
Pugnam tertius ille Gallicani
Dixit Cæsaris, ut gener socerque
Cognata impulerint in arma Romam:
Tantùm dans lacrymas suis Philippis,
Ut credat Cremera levem ruinam;
Infra & censeat Alliam dolendam,
Ac Brenni in trutina Jovem redemtum;
Postponat Trebiam, &c.

D. HIERONYMUS in Chronico Eusebiano num. MMLXXX. in anno X. Neronis.

M. Annæus Lucanus Cordubensis Poëta in Pisonianâ conjuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico præbuit.

Inscriptio vetus.

M. ANNÆO. LUCANO
CORDUBENSI. POETÆ
BENEFICIO. NERONIS
FAMA. SERVATA.

EX

Digitized by Google

EX

L. FLORI HISTORIARUM

Libro IV. cap. 2.

Bellum Cæsaris & Pompeji.

IAm pænè toto orbe pacato, majus erat imperium Romanum, quàm ut ullis externis viribus extingui posset. Itaque invidens Fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armavit. Ac Mariana quidem Cinnanaque rabies intra urbem se præcluserat, quasi experiretur; Sullana tempestas latiùs, intra Italiam tamen detonuerat; Cæsaris furor atque Pompeji, Urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique quà patebat imperium, quodam quasi diluvio, & inflammatione corripuit, adeò, ut non rectè tantùm civile dicatur, ac ne sociale quidem, sed nec externum; sed potiùs commune quoddam ex omnibus, & plus quàm bellum. Quippe si duces ejus inspicias, totus senatus in partibus; si exercitus, hinc XI. legiones, inde XVIII. flos omnis & robur Italici sanguinis; si auxilia sociorum, hinc Gallici Germanique delectus; inde Deiotarus, Ariobarzanes, Tarcondimotus, Cothus, omne Thraciæ, Cappadociæque, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Italiæ, totiusque robur Orientis; si moram belli, quattuor annis, & pro clade rerum breve tempus; si locum & spatium ubi commissum est, intra Italiam; inde se in Galliam Hispaniamque deflexit; reversumque ab occasu, totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit; hinc in Ægyptum subito transiliit; inde respexit Asiam, Africæ incubuit; postremò in Hispaniam remigravit, & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius quievere, quàm in urbe ipsa, medio senatu, eorum,

Digitized by Google

qui victi erant, odia, victoris sese cæde satiarent. Caussa tantæ calamitatis eadem, quæ omnium, nimia felicitas. Siquidem Quincto Metello & Lucio Afranio consulibus, cùm Romana majestas toto orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompejanis theatris Roma cantaret, nimia Pompeji potentia apud otiosos (ut solet) cives movit invidiam. Metellus ob imminutum Cretæ triumphum, Cato adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompejum, actisque ejus obstrepere. Hic dolor transversum egit, & ad præsidia dignitati paranda impulit. Fortè tunc Crassus genere, divitiis, dignitate florebat, vellet tamen auctiores opes. Cajus Cæsar eloquentia, & spiritu, & jam consulatu allevabatur. Pompejus tamen super utrumque eminebat. Sic igitur Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompejo retinere cupientibus, omnibusque pariter potentiæ cupidis, de invadenda Rep. facilè convênit. Ergo cùm mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar invadit, Crassus Asiam, Pompejus Hispaniam, tres maximos exercitus: & jam sic orbis imperium, societate trium principum occupatur. Decem annos traxit ista dominatio. Exinde quoniam mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos, & morte Juliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompejo, generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Jam Pompejo suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompejana dignitas gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Nefas! sic de principatu laborabant, tanquam duos tanta imperii fortuna non caperet. Ergo Lentulo Marcelloque consulibus rupta prima conjurationis fide, de successione Cæsaris senatus, idemque Pompejus agitabat: nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitiis haberetur consulatus; absenti, quem decem tribuni, favente Pompejo nuper decreverant, tum dissimulante eodem negabatur. Veniret, & peteret majorum more. Ille contrà flagitare decreta, ac nisi in fide permane-

Digitized by Google

manerent, non se demissurum exercitum. Ergo ut in hostem decernitur. His Cæsar agitatus, statuit præmia armorum armis defendere. Prima civilis belli arena, Italia fuit; cujus arces levibus præsidiis Pompejus insederat; sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt. Prima Arimino signa cecinerunt. Tum pulsus Etruria Libo, Umbria Thermus, Domitius Corfinio. Et peractum erat bellum sine sanguine, si Pompejum Brundusii opprimere, ut cœperat, potuisset. Sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit. Turpe dictu. modò princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum à se mare lacerata & pænè inermi nave fugiebat. Nec Pompejus ab Italia, quàm senatus ab urbe fugatur prior: quam pænè vacuam metu, Cæsar ingressus, consulem se ipse facit. Ærarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, jussit effringi; censumque & patrimonium populi Romani antè rapuit quàm imperium. Pulso fugatoque Pompejo, maluit prius ordinare provincias, quàm ipsum sequi. Siciliam & Sardiniam annonæ pignora, per legatos habuit. Nihil hostile erat in Gallia. pacem ipse fecerat. Sed ad Hispanienses Pompeji exercitus transeunti per eam duci, portas claudere ausa Massilia est. Misera, dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: sed quia tutis muris erat, vinci eam sibi jussit absenti. Græcula civitas, non pro mollitia nominis, & vallum cædere, & incendere machinas ausa, & congredi navibus: sed Brutus, cui mandatum erat bellum, victos terra marique perdomuit: mox dedentibus sese ablata omnia præter (quam potiorem omnibus habebant) libertatem. Anceps variumque, & cruentum in Hispania bellum cum legatis Cn. Pompeji Petrejo & Afranio; quos Ilerdæ castra habentes, apud Sicorim amnem obsidere, & oppido intercludere aggreditur. Interim obundatione verni fluminis, commeatibus prohibet. Sic fame castra tentata sunt, obsessorque ipse quasi obsidebatur: sed ubi pax fluminis rediit; populationibus & pugna cam-

Digitized by Google

pos aperuit; iterùm ferox instat; & cedentes ad Celtiberiam consecutus, aggere & vallo, & per hæc siti ad deditionem compulit. Sic citerior Hispania recepta est, nec ulterior moram fecit. Quid enim una post quinque legiones? Itaque ultrò cedente Varrone, Gades, Fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam, quasi de industria prospera ejus adversis radiarentur. Quippe cùm fauces Adriatici maris jussi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyræo littore castra posuissent, jam maria latè tenente Pompejo, repentè castra legatus ejus Octavius, & Libo ingentibus copiis classicorum utrimque circumvenit. deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque à Basillo in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat, nova Pompejanorum arte Cilicum actis sub mari funibus, captæ quasi per indaginem. duas tamen æstus explicuit: una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille juvenum manus, circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit; & cùm exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteja mutuis ictibus in se concurrit. In Africa quoque par & virtus & calamitas Curionis fuit, qui ad recipiendam provinciam missus, pulso fugatoque Varo jam superbus, subitum Jubæ regis adventum, equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga, sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur. Sed jam debitum par fortuna flagitante, sedem bello Pompejus Epiron elegerat, nec Cæsar moratus; quippe, ordinans à tergo omnibus, quamvis hiems media prohiberet tempestate, ad bellum navigavit: positisque ad Oricum castris, cùm pars exercitus ob inopiam navium cum Antonio dimissa, Brundusii moram faceret; adeò impatiens erat, ut ad arcessendos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio navigio, solus

ire

Digitized by Google

ire tentaverit. Exſtat ad trepidum tanto diſcrimine gubernatorem vox ipſius: Quid times? Cæſarem vehis. Contractis in unum undique omnibus copiis, poſitiſque comminus caſtris, diverſa erant ducum conſilia. Cæſar pro natura ferox, & conficiendæ rei cupidus, oſtentare aciem, provocare, laceſſere, nunc obſidione caſtrorum, quæ erant ſedecim millium vallo obducta (ſed quid his obeſſet obſidio, qui patente mari omnibus copiis abundarent?) nunc expugnatione Dyrrhachii irrita, (quippe quam vel ſitus inexpugnabilem faceret) ad hoc, aſſiduis in eruptionem hoſtium prœliis (quo tempore egregia virtus Scævæ centurionis emicuit, cujus in ſcuto centum atque viginti tela ſedere) jam verò direptione urbium ſociarum, cùm Oricum & Gomphos, & alia caſtella Theſſaliæ vaſtaret: Pompejus adverſus hæc nectere moras, tergiverſari ſimul, ut hoſtem intercluſum undique inopia commeatuum terreret, utque ardentiſſimi ducis conſeneſceret impetus. Nec diutius profuit duci ſalutare conſilium. Milites otium, ſocii moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prœlio ſumta eſt Theſſalia: & Philippicis campis, urbis, imperii, generis humani fata commiſſa ſunt. Nunquam ullo loco tantum virium populus Romanus, tantum dignitatis fortuna vidit. Trecenta amplius milliia hinc & illinc, præter auxilia regum & ſenatus. Nunquàm imminentis ruinæ manifeſtiora prodigia, fuga victimarum, examina, inſignes interdiu tenebræ. Dux ipſe & nocturna imagine theatri ſui audiens plauſum in modum planctus circumſonare, & manè cum pullo amiculo (nefas) apud principia conſpectus eſt. Nunquam acrior neque alacrior exercitus Cæſaris fuit. Inde claſſica prius, inde tela. Annotatum quoque committentis aciem Craſtini pilum; qui mox adacto in os gladio, ſic inter cadavera repertus, libidinem ac rabiem qua pugnaverat, ipſa novitate vulneris præferebat. Sed nec minus admirabilior illius exitus belli. Quippe cùm Pompejus adeò equitum co-

Digitized by Google

pia abundaret, ut facilè circumventurus sibi Cæsarem videretur, circumventus ipse est. Nam cùm diu æquo marte contenderent, jussuque Pompeji fusus à cornu erupisset equitatus, repentè hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, ut illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatus, levis armaturæ ruina comitata est. Tunc terrore latius dato, turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta est. Nec ulla res magis exitio fuit, quàm ipsa exercitus magnitudo. Multus in eo prælio Cæsar, mediusque inter imperatorem & militem. Voces quoque obequitantis exceptæ, altera cruenta, sed docta, & ad victoriam efficax, Miles, faciem feri: altera ad jactationem composita, Parce civibus: cùm ipse sequeretur. Felicem utcunque in malis Pompejum, si eadem ipsum, quæ exercitum ejus, fortuna traxisset. Superstes dignitati suæ vixit, ut cum majore dedecore per Thessalica Tempe equo fugeret, pulsus Larissa; in deserto Ciliciæ scopulo; fugam in Parthos, Africam, vel Ægyptum agitaret: ut denique in Pelusiaco littore, imperio vilissimi regis, consiliis spadonum, &, ne quid malis deest, Septimii desertoris sui gladio trucidatus, sub oculis uxoris suæ liberorumque moreretur. Quis non peractum esse cum Pompejo crederet bellum? Atqui acrius multò atque vehementius Thessalici incendii cineres recaluere. Et in Ægypto quidem adversus Cæsarem sine partibus bellum. Quippe cùm Ptolemæus rex Alexandriæ, summum civilis belli scelus peregisset, fœdusque amicitiæ cum Cæsare medio Pompeji capite sanxisset, ultionem tanti viri manibus quærente fortunâ, caussa non defuit. Cleopatra regis soror affusa Cæsaris genibus, partem regni reposcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo, quòd talis passa videbatur injuriam: odium ipsius regis, qui Pompeji cædem partium fato, non Cæsari dederat, haud dubie idem in ipsum ausurus si expedisset. Quam ubi Cæsar restitui jussit in regnum, statim

ab

Digitized by Google

ab eiſdem percuſſoribus Pompeji obſeſſus in regia, quamvis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute ſuſtinuit. Ac primum ædificiorum proximorum atque navalium incendio, infeſtorum hoſtium tela ſubmovit: mox in peninſulam Pharon ſubitus evaſit: inde depulſus in maria, mira felicitate ad proximam claſſem enatavit, relicto quidem in fluctibus paludamento, ſeu fato, ſeu conſilio, ut illud ingruentibus hoſtium telis ſaxiſque peteretur. Tandem receptus à claſſicis ſuis, undique ſimul hoſtes adortus, de imbelli ac perfida gente, juſta generi manibus dedit. Quippe & Theodotus magiſter, auctor totius belli, & ne virilia quidem portenta, Pothinus atque Ganymedes, diverſi per mare & transfugio & morte conſumti. Regis ipſius corpus obrutum limo repertum eſt in aureæ loricæ honore. In Aſia quoque novus rerum motus à Ponto, planè quaſi de induſtria captante fortuna hunc Mithridatico regno exitum, ut à Pompejo pater, à Cæſare filius vinceretur. Rex Pharnaces magis diſcordiæ noſtræ fiducia, quàm virtutis ſuæ, infeſto in Cappadociam agmine ruebat. Sed hunc Cæſar aggreſſus, uno, & (ut ſic dixerim) non toto prælio obtrivit, more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percuſſit, abſceſſit. Nec vana de ſe prædicatio eſt Cæſaris, antè victum hoſtem eſſe, quàm viſum. Sic cum exteris. At in Africa cum civibus multo atrocius quàm in Pharſalia. Huc reliquias partium naufragarum quidam furoris æſtus expulerat: ne reliquias diceres, ſed integrum bellum. Sparſæ magis, quàm oppreſſæ vires erant. Auxerat ſacramentum ipſa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum ſucceſſio. Quippe ſatis amplè ſonabat in Pompejani nominis locum, Cato & Scipio. Acceſſit copiis Mauritanus rex Juba, videlicet ut latius vinceret Cæſar. Nihil ergo inter Pharſaliam & Thapſon, niſi quòd amplior, eoque acrior Cæſarianorum impetus fuit, indignantium poſt Pompejum creviſſe bellum, &c.

In

Digitized by Google

In novam

M. ANNÆI LUCANI

Editionem,

Ex accuratâ curâ & industriâ

CLARISSIMI VIRI,

D. CORNELI SCHREVELI, M.D.

Gymn. Lugd. Batt. Rect. dignissimi.

SIc iterum, LUCANE, *redis de Vespere sero*
In medium, & solito pulchrior ore nites.
Committens Socerum & Generum discordibus armis;
Et, quàm sit Fratrum gratia rara, docens.
O utinam! cunctos, quos lumen amabile Solis
Adspicit, hæc pudeat monstra pudenda sequi.
Sub quorum Auspiciis lævis, ac peste nefandâ,
Olim præclari tot periere Duces.
Exemplis, IÜLE, *noces. Nocet æmula Virtus*
Sceptrorum, & Regum non benè junctus amor.
Sit procul à nostris bellum hoc civile Batavis,
Nec coëant Gener hinc, nec Socer inde malus.
Corduba SCHREVELIO *statuas & marmora pone,*
Tam benè Pharsalicâ qui movet arma manu.

REINERUS NEUHUSIUS, J.C.
Gymn. Alcm. Rector.
CIↃ IↃ C LVIII.

M. AN-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANNÆI LUCANI CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ, LIBER PRIMUS.

Sulpitii Argumenta in Libros LUCANI.

PRimus habet belli causas, utque actus ab ira
Præcipiti Cæsar Rubiconis transilit undas,
Vicinumque minax invadit Ariminon; inde
Excipit attonita dejectos urbe Tribunos;
Ad bellumque suos animat, revocatque cohortes,
Auxilium fidum: terror tum scribitur Urbis:
Et fuga Pompeji trepidans, pavidique Senatus.
Post hæc prodigia & vatum responsa canuntur.

BElla per Emathios plus quàm civilia campos,
Fusque datum sceleri canimus, populumque potentem

In

PHARSALIAE.] Vere ἐπιπροσώπως videtur mihi Jul. Cæs. Scaliger in Hypercritico suo cap. 6. ubi inter alia Lucanum notat, quod pessimo consilio opus hoc inscripserit *Pharsaliam*. Quippe ne tantilla quidem operis pars illius ea regio: uti Thebais, Ilias, &c. Quod tamen viri tanti pace dicatur, optima ratione nomen huic operi inditum arbitror ab illo loco in quo Pompejus cum Cæsare de summa rerum dimicavit, victusque fugit, cujus pugnæ eventum, totius belli fortuna secuta est.

1. *Bella plus quam civilia, &c.*] *Plus quam civile*, est haud dubio gravius, dirius, inhumanius quam civile: quod ipsum præ aliis bellorum generibus gravitate, diritate, inhumanitate excellit. Sic Florus lib. IV. cap. 11. *adeo ut non recte tantum civile dicatur, &c. sed potius commune quoddam ex omnibus & plus quam bellum.* id est, pæne non bellum, sed vastitatem quandam instar diluvii aut inflammationis, quæ *cum cælo demissa lues inimicave tellus*, peragraret orbem terrarum, omniaque popularetur, velut pestilentiam aut terræ motum. *Gronovius.*

Emathios.] Macedonia olim dicta est

ἠμαθία.

Digitized by Google

In sua victrici conversum viscera dextra;
Cognatasque acies: & rupto fœdere regni
Certatum totis concussi viribus orbis,
In commune nefas: infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.
Quis furor, ô cives? quæ tanta licentia ferri,

Genti-

inguibus. A. Gell. lib. 14. cap. 6. Plin. lib. 4. cap. 10. & Solin. cap. 14. Ad Dyrrhachium quidem Macedoniæ oppidum difficiliore pugna certatum est, debellatum autem in campis Pharsalicis, inter Macedoniam & Thessaliam, dictis à Pharsalo Thessaliæ oppido. Passim vero noster promiscue hoc nomen usurpat, quod propriè Macedoniæ debetur.

2. *Jusque datum sceleri.*] Licentiam factam sceleribus. Uno enim belli civilis nomine, infinitæ teguntur injuriæ. Ita infra: *semel omnia victor jusserat.* Seneca: *Ex Senatus consultis plebisque scitis sæva exercentur, & publicè jubentur vetita privatim.* Cyprianus: Homicidium quum admittunt singuli, crimen est: virtus vocatur, cum publicè geritur. *Grotius. Jusque datum sceleri, &c.*] Cur non dictus Hylas? Quis in scelere hoc explicando non assumit sibi jus criticum? Video quid sentiat H. Grotius: *Licentiam factam sceleribus.* Audio quid moneat doct. I. S. *Jus Imperii, per bellum hoc scelestum, translatum ad Cæs.* Cæteros interpretes nihil moror. Verum Poëta, ut ego arbitror, profitetur velle se bellum civile, quod passim lib. 4. ✠ſ. 26. & 228. lib. 5. ✠ſ. 314. &c. *scelus* vocat, canere; idque non temerario quodam tumultu aut cœco furore, intra urbis mœnia aut Italiam, ut in Syllana modo tempestate aut Cinnana rabie: sed justis, uti præ se ferebant, utrinque causis, justis exercitibus & præliis, pari gratia atque autoritate gestum, ✠ſ. 666. hujus lib. *Scelerique nefando nomen erit virtus.* vide & lib. 2. ✠ſ. 540. & lib. 3. ✠ſ. 228.

3. *In sua viscera.*] Quod Pop. Rom. in mutuam cædem ruerit. *Victrici dextra.*] Qui virtute & opibus suis totum orbem suo imperio subjecerat. *Hortensius.*

4. *Cognatasque acies.*] Hinc inde, socerum & generum; parentes, liberos; fratres, cognatos, &c. *Rupto fœdere regni.*] Quo convenerat, ut Pompejus Hispanias & Italiam, Cæsar Gallias, Crassus Asiam obtineret. Verè *concussi:* nam totus orbis ex omnibus plagis horum armis motus, ad ferenda auxilia sollicitatus fuit. *Hortens.* Quod fœdus dissiluit morte Crassi apud Parthos, & Juliæ Cæsaris filiæ, infra ✠ſ. 100. &c.

5. *Totis concussi, &c.*] Pompejum secutis Hispaniis & Oriente; Cæsarem Galliis.

6. *In commune nefas.*] Canimus certatum fuisse non sine nefario utriusque partis scelere, in oppressionem libertatis, communis salutis, adeoque Reip. interitum. *Infestisque obvia signis, &c.*] Robur utrinque floris Italici, iisdem freti auspiciis, signis vocalibus ac mutis, virtute pari, pugnæ genere & armis usi iisdem.

7. *Aquilas.*] Rom. Imperii insignia & vexilla. *Pila minantia pilis.*] Pilum erat Romanorum telum missile, de quo vide Polyb. lib. 6. & Liv. lib. 31. Veget. lib. 1. cap. 24.

8. *Quis furor, &c.*] Per indignationem avertit exclamationem ad cives jam fato defunctos; quos vesanus amor ac libido imperandi ad bellum civile acuit; quorum amplificat amentiam, deplorando communem omnium calamitatem. *Hortens.*

9. *Genti-*

Digitized by Google

Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
10 *Cumque superba foret Babylon spolianda trophæis*
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta;
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?
Heu, quantum potuit terræ, pelagique parari
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ!
15 *Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit,*
Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis,
Et qua bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Astringit Scythicum glacialis frigore pontum:
Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes,
20 *Et gens si qua jacet nascenti conscia Nilo.*
Tunc, si tantus amor belli tibi Roma nefandi,

Totum

9. *Gentibus invisis, &c.*] Nomini R. infestis, Imperii nostri hostibus.

10. *Cumque superba, &c.*] Cumque è re & gloria nominis R. fuisset, cædem Crassi ulcisci, spolia & insignia R. repetere, quibus Crasso ademptis superbiunt jam Parthi & Persæ, quorum imperii sedes est Babylon, opibus & potentia florens. *Trophæis.*] Propriè, victoriæ monimentis, hostium exuviis in eo loco quo τρόπαιον, id est, fugæ dare terga cœpissent, suspensis.

11. *Ausoniis, &c.*] Romanis, Italis, ab Ausone Circes & Ulyssis F. *Erraret.*] Ex Platonicorum mysteriis; ut umbræ insepultorum circa Stygiam paludem errare credantur centum annos: Maro lib. VI. Æneid.

Centum errant annos, volitantque hac litora circum; (*visunt.*

Tunc demum admissi stagna exoptata re-

Qui anni purgationi & vernaculandis animis dedicantur, quibus vitiorum sordes eluantur, ut aliquando Elysii felicitate fruantur. *Hortens. Erraret, &c.*] Circa Stygiam paludem; non admittendus transvehendusque nisi sepulturæ compos & vindictæ. *Umbra inulta.*] Crassi cæde inulta.

12. *Nullos habitura, &c.*] Bello civili vincentibus nullus decernebatur triumphus.

13. *Heu, quantum, &c.*] Exclamatione pathetica hyperbolicè ostendit; iis copiis multa regna debellari potuisse. Partitur etiam orbem terrarum in quatuor mundi plagas. *Hortens.*

15. *Unde venit Titan, &c.*] Περιφρασις IV. plagarum cœli & orbis terrarum.

16. *Quaque dies, &c.*] Periphrasis meridiei.

17. *Et qua bruma, &c.*] Ad Septentrionem.

18. *Scythicum.*] Quicquid barbarum sævumque intelligi volumus, id *Scythicum* appellamus.

19. *Seres, &c.*] Scythiæ pop. vellere nobiles. Plin. lib. 6. cap. 17. Solin. cap. 63. vide infra lib. 10. ✝ſ. 292. *Araxes.*] Armenii, Araxis fl. accolæ jampridem victi fuissent.

20. *Et gens si qua jacet, &c.*] Et si qui ad Nilum orientem accolunt. Nili autem fontes ignoravit vetustas, quos è montibus Lunæ in Mauritania Inferiori ducunt recentiores.

21. *Tunc, si tantus, &c.*] His quatuor

Digitized by Google

Totum sub Latias leges cùm miseris orbem,
In te verte manus: nondum tibi defuit hostis.
At nunc semirutis pendent quòd mœnia tectis
25 *Urbibus Italiæ, lapsisque ingentia muris*
Saxa jacent; nulloque domus custode tenentur,
Rarus & antiquis habitator in urbibus errat:
Horrida quòd dumis, multosque inarata per annos
Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis;
30 *Non tu Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor*
Pœnus erit: nulli penitus discindere ferro
Contigit: alta sedent civilis vulnera dextræ.
Quòd si non aliam venturo fata Neroni
Invenêre viam, magnoque æterna parantur

Regna

mundi cardinibus sub imperium attractis, tum concurrite ad arma civilia, si omnino bellum civile placet; quando minima vel jactura vel periculo imperii, ad satietatem licebit dimicare. *Hort.*

23. *In te verte manus, &c.*] Hostem, ubi foris cessavit, domi reperisti, neque solitudinem tuam, desolationem & vastitatem exterorum hostium potentiæ aut sævitiæ imputes, sed armis tuis ô Roma. *Suis & ipsa Roma viribus ruit.*

24. *At nunc, &c.*] Nunc, inquit, si quis quæsierit quam ob rem multa Italiæ oppida eversa sint aut deserta; non ab externis hostibus id evenisse comperiet; sed Romanos ipsos bellorum civilium caussam extitisse. *Omnibus. Pendent quod mœnia.*] Increpat, quod eo maximè tempore secum dissederit, quum Italia esset semidiruta, afflictaque cladibus; tum ob bella Punica; tum ob civilia Syllæ & Marii, adeò ut penè sit interituram nomen Romanum. *Sulpitius.*

30. *Pyrrhe ferox, &c.*] Pyrrhus Epirotarum rex in auxilium à Tarentinis accitus, magno Romanis terrori fuit, mari, terra, viris, equis, incognitisque in id tempus elephantis; neque armis solum, sed consiliis & dolis eos aggressus est: tandem victus, castris exutus, ab Italiaque exactus.

31. *Pœnus erit.*] Ita rectius, quam *erat.* Grotius. *Pœnus erit.*] *Generaliter.* Pop. Carthaginensis; vel Annibal, qui bello Punico secundo, Italiam vastavit, resque Romanas attrivit. *Nulli penitus, &c.*] Nec his, nec aliis hostibus. *Discindere.*] In totum dissipare & quasi delere Romanum imperium. *Sulpitius.*

32. *Alta sedent.*] Calamitas bello civili accepta, profunda est & pestifera.

33. *Quod si non aliam.*] Aperta ad Principem assentatione, cum suspicione ironiæ. approbat cladem belli civilis, ex qua magnum præmium & solatium est exortum, videlicet Neronis felix imperium; cui ad id aditus non patuissent, nisi prius tantà cæde respubl. fuisset oppressa, & à Cæsaribus occupata: Argumentaturque à Jovis exemplo. *Sulpitius. Quod si non aliam.*] Assentatio quam vix excusaverit Ironia.

34. *Magnoque æterna parantur.*] Idque Jovis exemplo, ad quem devictis gigantibus firmius cœli devenit regnum. *Magno parantur.*] Magno pretio acquiruntur.

35. *Cœlum-*

Digitized by Google

35 *Regna deis, cœlumque suo servire Tonanti*
Non nisi sævorum potuit post bella gigantum:
Jam nihil ô Superi querimur: scelera ipsa, nefasque
Hæc mercede placent: diros Pharsalia campos
Impleat: & Pœni saturentur sanguine manes:
40 *Ultima funesta concurrant prœlia Munda.*
His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores
Accedant fatis: &, quas premit aspera, classes,
Leucas: & ardenti servilia bella sub Ætna.
Multum Roma tamen debet civilibus armis,
45 *Quòd tibi res acta est. Te, cùm statione peracta*
Astra petes serus, prælati regia cœli

Exci-

35. *Cœlumque suo servire Tonanti, &c.*] Scelesta & nefaria bella civilia, quæ mox recenset.

38. *Hæc mercede, &c.*] Quod hinc Neroni ad Imperium Rom. patuit aditus. *Pharsalia campos.*] De campis Pharsalicis supra. in his depugnatum est inter Pompejum & Cæsarem, mox inter Octavium Antoniumque, & Cæs. percussores; sed vide infra ✠ f. 687.

39. *Et Pœni saturentur, &c.*] Sanguine nostro inferias referamus umbris Carthaginensium, qui bellis Punicis interierunt.

40. *Ultima funesta, &c.*] Ad Mundam Hispaniæ urbem, Pompeji liberi devicti sunt, Cn. cæsus, Sextus fuga elapsus: Pompejanorum cæsa 30. M. Cæsar ut victos obsideret, è congestis cadaveribus aggerem struxit.

41. *His, Cæsar.*] Avertit orationem ad Cæsarem Neronem. *Perusina fames.*] Perusiam Thusciæ urbem, quo L. Antonius confugerat, Augustus per famem in deditionem compulit. *Mutinæque labores, &c.*] Antonius D. Brutum in Mutina urbe Cisalpinæ Galliæ obsedit, in quo obsidione levando uterque Consul Hircius & Pansa cæsus est. quem tamen Augustus obsidione liberavit.

43. *Leucas, &c.*] Insula in sinu Ambracio, item promontorium Epiri, inter quod & Actium, Octavius Antonium & Cleopatram navali certamine vicit. *Servilia bella sub Ætna.*] Non servile illud bellum à Syro Enno in Sicilia motum A. U. DCXVIII. quod nihil ad rem præsentem. verum intellige navale bellum in Siculo mari, ad quod Sex. Pompeius concitaverat armaveratque ergastula contra Augustum, à quo Sextus victus in Asiam profugit.

44. *Multum Roma.*] Post varias urbium clades & calamitates recensitas; per correctionem aliquam felicitatis partem vicissim opponit; idq; in gratiam Neronis, hominis sceleratissimi, à quo malæ gratiæ postea fuerunt habitæ Lucano. *Hortens. Roma debet.*] Non, ut ante, *debes.* Est enim ad Neronem, non ad Romam apostrophe. *Grotius.*

45. *Quod tibi res, &c.*] Duplex hinc mihi videtur sententia duci posse: una, civilia arma vel eo nomine Imperio Rom. utilia fuisse, quod sub umbram unius principis monarchæ redactum esset: altera, quod bellis civilibus Roma jam defuncta esset, nec metuenda amplius, Nerone regnante. *Hortens. Cum statione, &c.*] Emensus vitæ spatium, & imperio feliciter functus.

46. *Serus.*] Longævus. *Prælati.*] Quod tu præ-

Digitized by Google

Excipiet gaudente polo: seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phœbi conscendere currus,
Telluremque nihil mutato sole timentem
50 *Igne vago lustrare juvet: tibi numine ab omni*
Cedetur: jurisque tui natura relinquet
Quis deus esse velis; ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe:
Nec polus adversi calidus quà mergitur Austri;
55 *Vnde tuam videas obliquo sidere Romam.*
Ætheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus. librati pondera cœli
Orbe tene medio: pars ætheris illa sereni
Tota vacet, nullæque obstent à Cæsare nubes.
60 *Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,*

Inque

tu prætulisti terris; & quod illic maluisti quam in terris regnare. Sed Hortensius interpretatur *prælati*, pro ampli & spatiosi.

47. *Polo.*] Cœlitibus. *Seu sceptra tenere.*] Seu Jovis, seu Phœbi munus locumque velis, &c. Arbitrio tuo permittetur, quis deus esse velis. Imitatio Virgil. 1. Georg.

Tuque adeo quem mox quæ sint hab. &c.

49. *Nihil mutato, &c.*] Non metuentem incendium mutato auriga, ut quondam Phaëtonte.

51. *Jurisque tui natura.*] Alii, *Jurique tuo natura.*

53. *Sed neque in Arctoo, &c.*] Relatus vero in deos, & sideribus additus, noli sedem tibi eligere versus alterum polorum, unde obliquo intuitu impedito, parumque efficaci Romam conspicias; sed juxta æquatorem, ut recto, propinquo & gratioso vultu nos intuearis. Hæc omnia Ironice & Amphibologicè dicta quidam volunt, ut quæ Neronem innuant strabum & obesum; sed persistere videtur in illa invocatione & imitatione Virgiliana 1. Georg.

Qua locus Erigonem inter Chelasque, &c.

54. *Polus qua mergitur.*] Ita maluimus, quam *vergitur.* Nam & Germanicus in Arateis, *pars mersa sub undae Oceani*, de polo Antarctico & ipse loquens. Et Avienus: *subit altera mersa sub undas Pars Erebum.* Grotius. *Mergitur.*] Alii, *vertitur.*

55. *Obliquo sidere.*] Obliquo intuitu, qui est à Polo Antarctico Romam versus, impedito sane terræ tumore. Vel per obliquum sidus, obliquum horizontem intelligit, quem in omnibus cardinibus habent, præter eos, qui sub æquinoctiali degunt. *Hortens.*

57. *Sentiet axis onus.*] Et sic cæli cursus impediretur, & hac vel illac inclinaretur. *Librati.*] Suspensi æquali pondere. *Sulpitius.*

58. *Orbe tene medio.*] Consiste in medio cæli; nam nec cernes Romam obliquo sydere, nec eris axibus oneri. *Idem.*

59. *Tota vacet.*] Libera sit, nec inter illam & terras aliquid interponatur, sed perpetuo pateat, ut à terris semper conspiciare. *Idem.*

61. *Inque*

Inque vicem gens omnis amet: pax missa per orbem
Ferrea belligeri compescat limina Jani.
Sed mihi jam numen: nec, si te pectore vates
Accipiam, Cirrhæa velim secreta moventem
65 *Sollicitare Deum, Bacchúmque avertere Nysa.*
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.
Fert animus causas tantarum expromere rerum:
Immensúmque aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
70 *Invida fatorum series, summísque negatum*
Stare diu; nimióque graves sub pondere lapsus,
Nec se Roma ferens. sic, cùm compage soluta

Secula

61. *Inque vicem.*] Tmesis. Mutuus ubique erit amor.

62. *Belligeri compescat, &c.*] Jani belli pacisque indicis, ex instituto Numæ, templum apertum significabat urbem in armis esse; clausum, erat pacis signum, quod contigit sub Numa, iterum post primum Punicum bellum, & sub Augusto ter. *Compescat.*] Claudat portam æneam & vectibus ferreis munitam. *Sulpitius.*

63. *Sed mihi jam numen, &c.*] Aliis post mortem & ἀνοθέωσιν Deus expecteris, mihi in vivis Deus haberis propitius & præsens adeo, ut mihi tuo numine afflato non sit opus, quod alii faciunt vates, Delphici Apollinis vel Nysæ Bacchi, quorum in tutela Poëtæ sunt, εὐθυμεῖν μόνον votis expetere.

64. *Cirrhæa velim secreta, &c.*] Cirrha, oppidum Phocidis haud procul à Delphis, ubi Apollinis Delphici celebre oraculum.

65. *Nysa.*] Nysæ fuere decem, omnes fere Baccho sacræ; præcipue, Indica, Arabica, Delphica.

67. *Causas tantarum, &c.*] Causas sex recenset noster, sed vide quas & Cæsar reddit lib. 1. civilis belli.

70. *Invida fatorum, &c.*] *Prima causa*, fatalis necessitas, quæ periodum crescendi, & ἀκμὴν consecuta, jam declinare & ad occasum vergere cœperit. *Invidens Fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium summa armavit.* Florus lib. 1. cap. 2. *Summisque negatum.*] Summa cadunt subitò. *Magna repentè ruunt.* Et, *Tollunturin altum, Ut lapsu graviore cadant.* Claud.

71. *Nimioque graves sub pondere, &c.*] Suo sub pondere, viribus & amplitudinis mole defatigata, pressa & ruens.

Ipsa suas vires odit Romana juventus,
Et quas struxit opes, male sustinet.
Petr. Arbit.

72. *Nec se Roma ferens.*] Nimia Romanorum potentia. Estque tanquam exemplum superioris versus, summa graves lapsus dare, ubi suo pondere ceperint ruere. Romanum imperium ad summum pervenerat, relinquitur, hoc ipsum quod sequitur, magna ruina casurum esse. *Hortens. Sic, cum compage, &c.*] Non secus atque ipsa universi machina, consummato tandem tempore & quasi ætate sua, solutis compagibus, legibus atque fœderibus rerum, in Chaos & confusam molem, unde initio extracta & concinnata est, reditura sit.

Digitized by Google

Secula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos; omnia mistis
75 *Sidera sideribus concurrent. ignea pontum*
Astra petent : tellus extendere littora nolet,
Excutiétque fretum : fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi : totáque discors
80 *Machina divulsi turbabit fœdera mundi.*
In se magna ruunt. Lætis hunc numina rebus
Crescendi posuêre modum. nec gentibus ullis
Commodat in populum, terræ, pelagíque potentem,
Invidiam Fortuna suam. tu causa malorum
85 *Facta tribus dominis communis Roma, nec unquam*
In turbam missi feralia fœdera regni:

O malè

74. *Antiquum repetens, &c.*] Ita legit Janus Rutgersius, cum vulgari habeant, *Antiquum repetens iterum chaos omnia; mistis Sidera.*

76. *Tellus extendere, &c.*] Litora extensa & opposita non valebunt, ut antea, mare coërcere & excutere, quo minus terra obruatur.

77. *Fratri contraria Phœbe.*] Luna non sequetur solem certis & solitis per Zodiacum vicibus: sed contrario feretur motu.

78. *Obliquum orbem.*] Zodiacum intelligunt. *Bigas agitare, &c.*] Lunam bigis, solem quadrigis vehi fingunt poëtæ.

80. *Fœdera mundi.*] Leges illas certas, vicesque ortus & occasus syderum, stellarumque meantium remeantiumque perpetuo.

81. *Lætis hunc, &c.*] Felicibus ac florentibus imperiorum rebus, ne ultra quam humana ferant, vel sperent, vel affectent.

82. *Nec gentibus ullis, &c.*] Neque tamen ulli exterarum gentium permissum est trium principum exercere odium suum invidiamque erga nos.

84. *Invidiam Fortuna suam.*] Hoc est, Fortuna nulli exterarum gentium permisit, evertere statum Imperii Rom. Sed fœdus trium principum, caussa fuit exitii Rom. *Sulpitius. Tu causa malorum.*] *Secunda causa.* Fœdus (quam Varro Tricipitinam appellavit) Crassi, Cæsaris, Pompeji, qui opibus, dignitate, gloria & spiritu florentes, sibi invicem conciliati, atque affinitate conjuncti inierunt societatem, ne quid in Repub. agi paterentur, quod ipsis tribus non placuisset, partiri itaque provincias & exercitus, Pompeius Hispanias & Libyam per legatos administrabat; Crassus, cui Syria contigit, ad bellum Parthicum profectus est; Cæsari imperium Galliæ in alterum quinquennium prorogatum, ferale autem & perniciosum extitit hoc imperii divisi fœdus. quippe, *Nec regna socium ferre, nec teda sciunt.*

85. *Dominis communis Roma.*] Dominus, & rex nomina invidiosa, & Romanis libertatis assertoribus semper exosa.

86. *In turbam, &c.*] In plures principes divisi.

87. *O malè*

O malè concordes, nimiáque cupidine cæci,
Quid miscere juvat vires, orbémque tenere
In medio? dum terra fretum, terramque levabit
90 *Aër, & longi volvent Titana labores,*
Noxque diem cœlo totidem per signa sequetur;
Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit. nec gentibus ullis
Credite; nec longè fatorum exempla petantur:
95 *Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*
Nec pretium tanti tellus, pontusque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.
Temporis angusti mansit concordia discors,
Paxque fuit non sponte ducum. nam sola futuri
100 *Crassus erat belli medius mora. Qualiter undas*
Qui secat, & geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum: si terra recedat,

Ionium

87. *O malè concordes, &c.*] O male sarta gratia conjuncti, atque invadendæ Reip. libidine transversim acti, sperastisne diuturnam hanc potuisse fieri πολυχρόνιον?

88. *Orbem tenere in medio.*] Orbem inter vos partiri, ac sub vestrum jus vindicare. Vel, servare orbem dubium, cujus imperio parêre debeat. *Hortensius.*

89. *Dum terra fretum, &c.*] Quandiu constabunt sibi rerum naturæ fœdera, ut aquas sublevet terra inferior, ut aër, quasi orbis σφαιρόειδες contineat & undique coërceat terram quasi centrum, pondere libratam suo ψ. 91. lib. 5. ut sol diurnos annuosque absolvat cursus, ut nox diei vicissim succedat; tamdiu, id est, semper, dissilient consociati regni fœdera.

91. *Signa sequetur.*] Zodiaci, cujus sex signa per vices obscurata admittunt noctem, tanquam in æquinoctio.

93. *Nec gentibus ullis, &c.*] Neque Argis & Thebis petenda erunt exempla, ipsa prima urbis nostræ rudimenta maduerunt sanguine alterius è conditoribus, Remi scilicet à fratre Romulo cæsi, prætextu contemptus, quod novum vallum transilisset.

97. *Asylum.*] Romulus asylum in urbe aperuerat, quo omnes qui confugerant in partem & fortunam novæ urbis invitavit.

98. *Temporis angusti, &c.*] Modico admodum tempore duravit concordia hæc inter Pompejum & Cæsarem non sincera, expectante utroque dissidii occasionem.

99. *Nam sola futuri, &c.*] *Tertia causa.* Cædes Crassi apud Parthos, quem, quoad vixit, uterque respexit, metuens scilicet ne novas res molientibus ille interveniret. Medius itaque intercedens dirimebat bellum civile. non secus atque Isthmos Achaicus seu Corinthiacus, id est, angusta terra inter duo maria, obstat quo minus confundantur & commisceant se Ionium ab Occidente & Ægæum ab Oriente.

Digitized by Google

Ionium Ægæo frangat mare : sic, ubi sæva
Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus
105 *Assyrias Latio maculavit sanguine Carras,*
Parthica Romanos solverunt damna furores.
Plus illa vobis acie, quàm creditis, actum est
Arsacidæ : bellum victis civile dedistis.
Dividitur ferro regnum : populique potentis,
110 *Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem,*
Non cepit fortuna duos. nam pignora juncti
Sanguinis, & diro ferales omine tedas
Abstulit ad manes, Parcarum, Julia, sæva
Intercepta manu. quòd si tibi fata dedissent
115 *Majores in luce moras, tu sola furentem*
Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem;
Armatasque manus excusso jungere ferro,
Ut generos soceris mediæ junxêre Sabinæ.

Morte

103. *Frangat.*] Ita rectius quam *franget*. Grotius.

105. *Carras.*] Urbem Mesopotamiæ, quo noctu se fugiens receperat Crassus, *Charan.*

106. *Solverunt damna, &c.*] Aperuerunt viam simultati Cæs. & Pompeji erupturæ.

108. *Arsacidæ, &c.*] O Parthi, ab Arsace authore imperii; lib.8.℣.218.

109. *Dividitur ferro regnum.*] Mortuo enim Crasso, in duas partes respub. divulsa fuit, ut inter duos de principatu ferro decerneretur. *Hortens. Populique potentis.*] Imperii Rom. amplitudo non ferebat duos, non suffecit duobus. ad 120. ℣. infra.

111. *Nam pignora juncti, &c.*] *Quarta causa.* Mors Juliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompejo & jam gravida, ubi conjugis vestem, temere domum è comitiis in quibus orta contentione, cæsus fuerat Domitii servus, delatam cruore respersam vidisset, animo consternata & viro suo timens abortum fecit mortuaque est. Hæc immatura propter Rempubl. morte intercepta, fœdus & jus affinitatis pessimo civilis belli omine abstulit. *Pignora juncti.*] Fœdus & jus affinitatis, quæ nuptiarum lenocinium utrunque alteri conjunxit, mors Juliæ rupit.

112. *Ferales tædas.*] Tristes nuptias malo omine secuturæ discordiæ secum Julia sua morte abstulit, immatura morte intercepta. *Hortens.*

113. *Parcarum.*] Parcæ tres finguntur, Clotho, Lachesis & Atropos, penes has omnium mortalium ratio constare existimatur. ita dictas volunt per antiphrasin, quod nulli parcant.

114. *Intercepta manu.*] Nimis præmatura morte intercepta, propter rempub. quæ incolumis & quieta, ea superstite, manere potuisset.

118. *Ut generos soceris, &c.*] Cum Sabini armis vim & illatam ignominiam ulturi, repeterent virgines suas à Romanis sub Romulo raptas; Sabinæ inter utramque aciem passis crinibus pro-

Digitized by Google

Morte tua discussa fides, bellumque movere
120 *Permissum est ducibus : stimulos dedit æmula virtus.*
Tu nova ne veteres obscurent acta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne times : te jam series, ususque laborum
Erigit, impatiensque loci fortuna secundi.
125 *Nec quenquam jam ferre potest, Cæsárve priorem,*
Pompejúsve parem. quis justius induit arma,
Scire nefas : magno se judice quisque tuetur :
Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.
Nec coïère pares : alter vergentibus annis
130 *In senium, longoque togæ tranquillior usu*
Dedidicit jam pace ducem : famæque petitor

Multa

progressæ, precibus & lacrymis pacem exorabant, patresque viris conciliabant.

121. *Stimulos dedit æmula virtus.*] *Quinta causa.* Duorum ducum æmulatio. *Jam* (inquit Florus l. 4. c. 2.) *Pompeio suspecta Cæsaris opes, & Cæsari Pompeiana dignitas gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Nefas! sic de principatu laborabant, tanquam duos tanta imperii fortuna non caperet.*

121. *Tu nova ne veteres, &c.*] Tu Pompei, times, ne nova Cæsaris gesta, ac triumphi de Gallis, Germanis & Britannis qui eum manent, obscurent veteres illos tuos triumphos de Armeniis, Mithridate, Afris, Siculis, Hispanis, Cilicibus piratis.

122. *Piratica laurea.*] Triumphus de piratis, Cilicibus scil. quos Pompeius intrà diem quadragesimum, quum vitam petiissent, in deditionem accepit, incruenta victoria. *Sulpitius.*

123. *Magne times.*] Magnus est Pompeius appellatus & salutatus à Sylla quum reverteretur ab Aphrica. *Sulpitius. Tr.*] O Cæsar.

124. *Impatiensque loci, &c.*] In transgressu oppiduli cujusdam in Alpibus, Cæsar dixisse fertur : Mallem hic primus esse quam Romæ secundus. Plutarch. & Velleius Paterc.

125. *Nec quemquam, &c.*] Sequitur Florus : *Nec hic ferebat parem ; nec ille superiorem.* Æquior Pompeio Dion : Πομπηίῳ μὲν ἰδιωτικὸν ἀνθρώπινον δίκαιον, Καίσαρι δὲ τῷ τοσούτῳ πράγματι ἀνεπιτήδειον. *Grotius.*

126. *Pompeiusve parem, &c.*] Pompeius neminem secum dignitate exæquari volebat, 1. com. Cæs.

128. *Victrix causa.*] Cæsariana. *Sed victa Catoni.*] Magna certe Catonis laus, utpote cujus judicium de justiore causa conferatur judicio deorum. verum ut nit Cicero Ligario: *Nunc melior certe ea judicanda est, quam etiam dii adjuverunt.*

129. *Nec coïère pares.*] Qua differentia duces concurrerent aperit ; & Pompejum quercui annosæ sacratæque comparat : Cæsarem fulmini. Tum describit illos ab ætate, usu belli & pacis, liberalitate, cupiditate honorum & ingeniorum acrimonia. *Sulpitius. Hortensius. Alter vergentibus annis.*] Pompeius jam prope sexagenarius, 12. annorum ocio fretus, ætes, usum, & munia strenui Imperatoris dedidicerat, ex largitionibus & ludis captans populi favorem.

133. *Sui*

ultimus iste
azmus sustet
tat imag ze
hione qua
sodquog tuta
tos bomines
singulas dice
mur à Valer
mxo l. 2. c. 10

Digitized by Google

Multa dare in vulgus : totus popularibus auris
Impelli, plausuque sui gaudere theatri :
Nec reparare novas vires, multumque priori
135 *Credere fortunæ. stat magni nominis umbra.*
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi, sacrataque gestans
Dona ducum : nec jam validis radicibus hærens,
Pondere fixa suo est : nudosque per aëra ramos
140 *Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram :*
At quamvis primo nutet casura sub Euro,
Tot circùm silvæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Cæsare tantum
Nomen erat, nec fama ducis : sed nescia virtus
145 *Stare loco : solusque pudor non vincere bello.*
Acer, & indomitus; quò spes, quóque ira vocasset,
Ferre manum, & nunquam temerando parcere ferro.
Successus urgere suos : instare favori
Numinis : impellens quicquid sibi summa petenti
150 *Obstaret : gaudensque viam fecisse ruina.*
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen

Ætheris

133. *Sui gaudere theatri.*] Quod ad Mitylenæi theatri exemplar, sed multo magnificentius è marmore Romæ extruxerat. cum (inquit Florus) Ponticos & Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret, nimia Pompeii potentia apud ociosos (ut solet) cives movit invidiam.

135. *Magni nominis umbra.*] Quod ob rerum gestarum magnitudinem consecutus est, salutatus primum à Syllæ exercitu, nomine Magni.

137. *Exuvias veteres, &c.*] Spolia, ἀναθήματα, tropæa.

141. *At quamvis.*] Ita melius quam *Et.* Grotius. *Primo nutet, &c.*] Primo quocunque vento casum minata.

144. *Nescia virtus.*] Altiora usque petens Cæsar (inquit Paterculus) supra humanam & naturam & fidem evectus, dux erat bello peritissimus, civis in toga (nisi ubi vereretur ne quem haberet parem) modestissimus.

147. *Ferre manum.*] Conferre, conserere pugnam. *Temerando parcere ferro.*] Temere cruentando, ubi res vim & arma posceret. infra lib. 1. ℣. 439.

149. *Impellens quicquid, &c.*] Ita Seneca de Xerxe : *Divina atque humana impellentem & mutantem quicquid obstiterat, trecenti stare jussimus.* lib. 6. de Benef. cap. 31.

150. *Ruina.*] Cum hostium clade perrupisse confertas acies. *Hortensius.*

151. *Quaditer.*] Cæsaris heroicum impetum in rebus gerendis, non minus eleganti comparatione amplificat, à natura

Ætheris impulsi sonitu, mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua præstinguens lumina flamma:
155 *In sua templa furit: nullaque exire vetante*
Materia, magnamque cadens, magnámque revertens
Dat stragem latè, sparsósque recolligit ignes.
Hæ ducibus causæ suberant: sed publica belli
Semina, quæ populos semper mersêre potentes.
160 *Namque ut opes nimias mundo fortuna subacto*
Intulit, & rebus mores cessêre secundis,
Prædáque & hostiles luxum suasêre rapinæ:
Non auro, tectísve modus: mensásque priores
Aspernata fames: cultus gestare decoros

Vix

tura fulminis & ejus effectis. *Hortens. Expressum ventum, &c.*] Ex opinione Zenonis, qui fulmen voluit esse validam incensionem è nubibus inter se vi ventorum collisis erumpentem & vehementi cum impetu ad terras ruentem.

153. *Rupitque diem, &c.*] Protulit lucem; *vel*, clarore suo & fulgore diei lucem superavit.

154. *Obliqua præstinguens, &c.*] Oblique contortum, oculis offuso lumine, aciem perstringit. Alii, *perstringens.*

155. *In sua templa furit, &c.*] In Jovis ipsius fulminatoris templa; *vel*, in cœli convexa. Hæc enim sunt templa cœli. quod, nulla illi materia obstante, pergit & retorquetur, & dissipatam flammam conglobat. *Joach. Camer.*

156. *Magnamque cadens, &c.*] In descriptione effectuum fulminis, respicit ad celeritatem Cæsaris in obeundis expeditionibus.

157. *Recolligit.*] Puncto temporis vibrationem illam in omnes mundi plagas emissam, colligit; ut nescias quo remeavit. *Hortensius.*

158. *Sed publica belli.*] *Sexta & ultima causa.* Romanorum vitia, ex diutina pace & nimia felicitate luxus in ædificiis, cibis, vestibus: avaritia, ambitio, dominandi libido, seditiones, studia partium, &c.

159. *Populos potentes.*] Assyrios, Persas, Lacedæmonios, Carthaginenses, Corinthios, Milesios, Asiæ multos populos. *Mersere.*] Evertere, delevere.

160. *Opes nimias mundo, &c.*] Asiaticas, Attalicas, Ponticas, Cyprias, Corinthiacas. *Luxuriam spoliorum & censum in damna furentem.* Petron.

161. *Et rebus mores.*] Et boni mores cœperunt depravari vitiis, quæ suadent res secundæ. *Martial.* 11. lib. 6. epigr. *Mores.*] Casti, incorrupti ex urbe excesserunt.

163. *Auro, &c.*] Vasis aureis, *vel* Hendiadys, Auratis tectis, lacunaribus auro renidentibus. *Mensasque priores, &c.*] Veterum Rom. hominum continentium & frugalium cibi jam fastididiti, *Ingeniosa gula est. Seculo scarus, &c.* Petron. *vel* ipsæ mensæ. *Nil rhombus, nil damna sapit, nisi sustinet orbes Grande vbur è citro factos, &c.* Juvenal. 11. Sat. & noster, 10. lib. *Orbes sectos Atlantide sylva.* Et Petronius, *Ecce Afris erutæ terris Citrea mensa.*

164. *Cultus gestare decoros, &c.*] Multi-

Digitized by Google

165 *Vix nuribus, rapuêre mares : fœcunda virorum*
Paupertas fugitur ; totóque accersitur orbe,
Quo gens quæque perit. tunc longos jungere fines
Agrorum, & quondam duro sulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curiorum passa ligones
170 *Longa sub ignotis extendere rura colonis.*
Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,
Quem sua libertas immotis pasceret armis.
Inde iræ faciles, &, quod suasisset egestas,
Vile nefas : magnúnque decus, ferróque petendum,
175 *Plus patria potuisse sua : mensuráque juris*
Vis erat : hinc leges, & plebiscita coacta ;
Et cum Consulibus turbantes jura Tribuni :

Hinc

Multitia, vestes sericas & bombycinas, quæ fœminis vix indulgerentur, sumpsere viri. *Et tot nova nomina vestis, Quæque virum quærunt.* Petron. Arbit.

165. *Fœcunda virorum, &c.*] Quæ strenuos & egregios olim produxit viros. *Fabricium, & incomptis Curium capillis, utilem bello tulit & Camillum Sæva paupertas & avitus apto cum lare fundus.* Horatius lib. 11. Ode 12. & Val. Max. lib. 4. cap. 4.

167. *Quo gens quæque perit.*] Aurum, luxus, omniumque vitiorum materia, Lacedæmoniis aliisque gentibus fatalis. *Tunc longos jungere, &c.*] Jam non contenti agellis quos viri continentissimi, Camillus aravit, Curius fodit, censentes illum perniciosum esse civem cui non sufficerent 7. jugera ; extendebant hos agros usque ad ignotos sibi colonos, vicinorum coëmptione & adjectione; *vel*, Ipsi non sua manu agros colebant, sed alienis colendos elocabant ; *vel* latifundia in provinciis sub ignotis colonis possidebant.

173. *Inde iræ faciles, &c.*] Ab hoc fastu & luxu faciles erant ad iras, vindicandasque injurias ; hinc pro levi erat omne aggredi nefas, ad quod sua egestas ære alieno gravatos impulerat ; *vel*, peccata, quæ quis è tenuioribus atque egenis designare pro vili & levi habebant, grandia aggrediebantur scelera, visumque est decus magnum, &c. ut seq.

174. *Magnumque decus, &c.*] Honorem ingentem, & pro quo ferro dimicandum esset, existimabant, posse plus reliquis civibus, & suo arbitrio Rempub. gerere, leges ferre, &c. *Sulpitius.*

175. *Mensuraque juris.*] Quod quisque potuit, licuit.

176. *Vis erat.*] Vi enim & favore, non jure & legibus omnia agebantur. *Hinc leges & plebiscita coacta.*] Ita Priscianus accepit, leges & plebiscita vi coactas esse. Posset tamen videri scripsisse Lucanus : *hinc leges & plebis scita coacta.* Plebis coactæ scita. Similes tamen locutiones priscis usitatæ & Grammaticis notæ. *Salmas.* Plin. Exerc. 1263. *Leges & plebiscita coacta.*] Coactæ dicuntur leges, cum non exercentur, vel violenter promulgantur. *Sulpitius. Leges, & plebiscita coacta.*] Coss. & Senatus ferebant leges; Tribuni & plebs, plebiscita, *scivit plebs.*

177. *Et cum consulibus, &c.*] Tribuni contra nitentes quum Coss. omnia confunde-

Digitized by Google

Hinc rapti pretio fasces, sectórque favoris
Ipse sui populus; letalísque ambitus urbi;
180 *Annua venali referens certamina Campo:*
Hinc usura vorax, avidúmque in tempore fœnus,
Et concussa fides; & multis utile bellum.
Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes;
Ingentésque animo motus, bellúmque futurum
185 *Ceperat. ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,*
Ingens visa duci patriæ trepidantis imago,
Clara per obscuram vultu mœstissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæsarie lacera, nudísque adstare lacertis,

Et

fundebant jura. *Turbantes jura.*] A consulibus discordantes.

178. *Hinc.*] Ex luxu & cupiditate. *Rapti pretio fasces, &c.*] Consulatus, cujus insignia, fasces & secures, venalis factus est: dum populus favoris sui auctionator, largitionibus potentium corruptus suffragia vendebat, nec sine contentione & rixis, non raro ad cædem usque in Campo Martio, quo Calend. Januar. ad comitia descendebat. *Emptique Quiritis, Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt. Venalis populus, venalis curia Patrum. Est favor in pretio.* Petron. Arb. *Sectorque.*] Venditor suorum suffragiorum populus, quum pecunia corruptus suos magistratus venderet. *Sector* à seco, qui incidit aliquid dividitque. πείσης Gr. Sectores item appellantur, qui lucelli vilis spem secuti, bona damnatorum in auctionibus coëmebant, revendebantque eadem pluris. *Hortens.*

181. *Usura.*] Pecunia quæ in fœnore sorti accedit, quod ea ex usu acquiratur. Græci τόκον vocant, quasi partum pecuniæ. Fœnus Varroni de Ling. Lat. idem quod usura. *Hortens. Usura vorax, &c.*] *Gemino deprensam gurgite prædam Fœnoris illuvies ususque exederat æris.* Arbiter.

182. *Concussa fides.*] Labefactata credito. *Multis utile bellum.*] Qui re profligata & perdita misceri omnia turbarique cupiebant, opesque ex bellis civilibus, proscriptionibus & auctionibus sperabant.

185. *Ceperat.*] Conceperat. *Rubiconis ad undas.*] Fluvii, qui Italiam à Gallia citeriore disterminat. Ad Rubiconem erecta stabat columna marmorea, in qua insculptum erat hoc Senatusconsultum: IMPERATOR, MILES, TIBVI ARMATE, QVISQVIS ES HIC SISTITO, VEXILLVM SINITO, ARMA DEPONITO, NEC CITRA HVNC AMNEM RVBICONEM, SIGNA, ARMA EXERCITVMVE TRADVCITO. SI QVIS ERGO ADVERSVS PRAECEPTA IBIT FECERITVE, ADIVDICATVS ESTO HOSTIS POP. ROM. AC SI CONTRA PATRIAM ARMA TVLERIT, &c.

186. *Ingens visa duci patriæ, &c.*] Videtur hoc affinxisse poëta, ex eo somnio, quo Cæsar (ut refert Plutarchus) sibi visus est matri stuprum inferre; vide sis ostentum quod Cæsari ad Rubiconem cunctanti & cogitabundo factum est, apud Sueton. 32. cap. Jul. Cæs.

188. *Canos effundens, &c.*] Propter antiquitatem.

189. *Lacera, &c.*] Ob discordiam.

92. *Hinc-*

Digitized by Google

190 *Et gemitu permista loqui : Quò tenditis ultrà?*
Quò fertis mea signa viri ? si jure venitis,
Si cives : hucusque licet. Tunc perculit horror
Membra ducis, riguêre comæ, gressúmque coërcens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
195 *Mox ait : O magnæ qui mœnia prospicis urbis*
Tarpeia de rupe tonans, Phrygiique penates
Gentis Iuleæ, & rapti secreta Quirini,
Et residens celsa Latialis Juppiter Alba,
Vestaléſque foci, suminique ô numinis instar
200 *Roma, fave cœptis : non te furialibus armis*
Persequor : en adsum victor terráque, maríque
Cæsar, ubique tuus, (liceat modò) nunc quoque miles.
Ille erit ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.
Inde moras solvit belli, tumidúmque per amnem
205 *Signa movet properè. sic cùm squalentibus arvis*
Æstifera Libyes viso Leo comminus hoste

Sub-

192. *Hucusque licet.*] Ad Rubiconem.

195. *O magnæ qui mœnia, &c.*] O Jupiter qui coleris in monte Capitolino, ceu Tarpeio, dicto à Tarpeia Vestali, quæ ibi obruta est scutis Sabinis, ex pacto proditæ arcis. *Jupiter omnipotens, & tu Saturnia Tellus, &c. Testor ad has acies invitum accessere Martem, Invitas me ferre manus, &c.* Cæs. apud Petronium.

196. *Phrygiique penates, &c.*] Quos Troiæ flammis ereptos secum in Italiam Æneas duxit. Apollinem & Neptunum ut quidam volunt. ut alii Minervam, Jovem, Junonem, hoc est, tres aëris regiones, penatesque, per quos penitus spiramus; è gente autem Iuli Cæsar originem duxit.

197. *Rapti secreta Quirini.*] Sacra mysteria Romuli in cœlum translati. Plutarchus in Romulo.

198. *Latialis Juppiter Alba.*] Cui tanquam Latii præsidi sacra in monte Albano dedicavit Ascanius statuam, ferias, visceationem.

199. *Vestaléſque foci, &c.*] Ignis, quem è Troja ab Æneâ in Italiam advectum, virgines inextinctum conservant in Vestæ templo, huc à Numa ex Alba translatum.

202. *Nunc quoque miles.*] Etiam nunc quum videas arma contra te ferre, propugnator tamen tuus defensorque sum.

204. *Tumidumque per amnem.*] Imbribus & resolutis nivibus auctum. mox ℣. 217.

205. *Sic cum squalentibus.*] Illustrat rem, comparatione ducta à natura leonis Libyci : qui hoste viso venatore, anceps aliquandiu cunctatur; dum ira concitatus, quædam ejus signa proferat, priusquam in hostem armatum vel vincere vel vinci paratus feratur. *Squalentibus.*] Propter siccitatem desertorum Libyæ. *Hortens.*

206. *Æstiferæ.*] Quod meridiei subjecta sit Libya : vel quia ob æstum, nullas propè aquas habeat. *Hoste.*] Venatore.

208. *Cau-*

Digitized by Google

Subsedit dubium, totam dum colligit iram;
Mox ubi se sæva stimulavit verbere caudæ,
Erexítque jubam, & vasto grave murmur hiatu
210 *Infremuit: tum torta levis si lancea Mauri*
Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit.
Fonte cadit modico, parvísque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cùm fervida canduit æstas:
215 *Pérque imas serpit valles, & Gallica certus*
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.
Tunc vires præbebat hyems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.
220 *Primus in obliquum sonipes opponitur amnem*
Excepturus aquas. molli tum cetera rumpit

Turba

208. *Caudæ.*] Cauda, quæ animi index, crebro ictu se flagellat, atque ad iracundiam excitat. Plin. 8.

209. *Vasto hiatu.*] Magna oris aperitione.

210. *Torta lancea.*] Immissa.

211. *Subeant.*] Ingrediantur. *Venabula.*] Venatorium telum.

212. *Per ferrum, &c.*] Per ipsum, quo transfigitur, venabulum in venatorem ruit. *Securus exit.*] Negligens vulnus, per ipsam hastam ruit in venatorem. *Sulpicius.*

213. *Fonte cadit modico.*] Dilatat narrationem à descriptione fluvii Rubiconis, quem supra diximus labi inter Ravennam & Ariminum; & priusquam ad mare Hadriaticum, in quod effunditur vadoso ostio, perveniat, cum obscuro humilique amniculo misceri. Æstate modicus est, propter æstum, ut omnes ferè amnes, si non augeantur imbribus hyeme, imbrium niviumque accessu augentur. *Hortens.*

214. *Puniceus Rubicon, &c.*] A colore terræ, vel allusum ad Erymon. Alii leg. *Punicum.*

216. *Limes ab Ausoniis.*] Id est, terminus citerioris Galliæ & Italiæ erat Rubicon.

217. *Tunc vires, &c.*] Mense Januario. *Auxerat undas.*] Non *hauserat.* Causas enim explicat, cur Rubico esset solito aquosior, longos imbres & nives Alpinas. *Grotius. Auxerat undas.*] Alii leg. *hauserat*, quia seq. *gravido cornu.* hoc est, aquis pleno.

218. *Tertia jam, &c.*] Tertia luna ab interlunio, quæ fere pluvia est; vel, quid si intelligamus, pluisse jam tres noctes? *Gravido cornu.*] Pleno: tunc enim cornua Lunæ potissimum implentur, quum ad plenilunium ipsa accedit: Vel potius ad plenitudinem aquarum referre licet. *Cynthia.*] Luna: ut Cynthius Sol, Lunæ frater à Cyntho monte Deli, ubi simul colebantur.

219. *Alpes.*] Nives ex Apenninis Alpibus.

220. *Primus in obliquum, &c.*] Equites primum ingressi amnem, fluminis impetum sistunt, quo tutius transeant pedites.

Digitized by Google

Turba vado fracti faciles jam fluminis undas.
Cæsar ut adversam superato gurgite ripam
Attigit, Hesperia vetitis & constitit arvis,
225 *Hic, ait, hic, pacem, temerataque jura relinquo;*
Te Fortuna sequor: procul hinc jam fœdera sunto.
Credidimus fatis, utendum est judice bello.
Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Impiger, & torto Balearis verbere funda
230 *Ocyor, & missa Parthi post terga sagitta:*
Vicinumque minax invadit Ariminum, ut ignes

Solis

224. *Vetitis & constitit, &c.*] Et, Senatus Consulto, ut supra ℣. 93. &, quia Rubicon terminus erat provinciæ Cæsaris.

225. *Hic, ait, hic, &c.*] Emphasis in particula locali est, significans omnia armis nunc agenda; quod vel ipso Senatusconsulto tacitè arguebatur, quam jactam esse aleam ipse diceret. *Hortens.* *Temerataque jura relinquo.*] Violata à Pompeio & Senatu. Consecutus cohortes (inquit Suetonius) ad Rubiconem fluv. qui provinciæ ejus finis erat, paulum constitit: ac reputans quantum moliretur, conversus ad proximos, *etiam nunc*, inquit, *regredi possumus: quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.* Cunctanti ostentum tale factum est, &c. Tunc Cæsar: *Eatur*, inquit, *quo deorum ostenta & inimicorum iniquitas vocat: Jacta est alea.* Sueton Jul. Cæs. cap. 3. & Appian lib. 2. de civ. bello. *Judice fortuna cadat alea.* Cæs. apud Petronium.

227. *Credidimus fatis.*] Ad somnium respicit, quo per quietem visus sibi fuerat matri stuprum afferre, & à conjectoribus admonitus fuerat, ut terra, quæ omnium parens esset, aliquando ipsius potestati subjiceretur. *Judice bello.*] Ut bellum æquitatem causæ judicet, quod ei victoriam est daturum, cujus causa sit justior. *Hortens.* *Judice.*] Alii, *vindice.*

228. *Noctis tenebris.*] Fretus suorum consensu Cæsar, clam cohortibus aliquot præmissis ex Ravenna, ubi ex consuetudine sua convivio frequenti se dederat, & dissimulanter ne qua suspicio rerum movendarum oriretur, publico spectaculo interfuerat, sub noctem rheda profectus fuit, & Ariminum versus, nulli communicato consilio, iter tetendit. Inde Rubicone ante diem digressus, ex improviso Ariminum occupavit, reliquis legionibus ex hibernis evocatis, quas subsequi jusserat. Hic Tribuni pleb. illi occurrerunt, qui in concione conspecti, vehementer militum animos ad ultionem incenderunt. *Hort.*

229. *Et torto, &c.*] Amplificatio celeritatis in obeundis rebus, & velocitatis in faciendo itinere. *Torto Balearis, &c.*] Lapide misso è funda Balearica. Baleares insulæ duæ sunt in mari Mediterraneo, Gymnasiæ olim dictæ, hodie *Majorca* & *Minorca.* quarum incolæ erant funditores peritissimi. quibus id unum ab infantia studium. Cibum puer à matre non accepit, nisi quem ipsa monstrante percussit. Flor. lib. 3. cap. 8.

230. *Post terga sagitta.*] Parthi dum se fugere simulant, sagittas ab inguine ductas in hostem à tergo mittunt.

231. *Ariminum.*] Umbriæ urbem in Flaminia via. *Ut ignes.*] Ita pro & reposuimus, quo rectius cohæreret sententia, quæ turpiter hiabat. Primo diluculo

Solis lucifero fugiebant astra relicto.
Jamque dies primos belli visura tumultus
Exoritur : seu sponte deûm, seu turbidus Auster
235 *Impulerat, mœstam tenuerunt nubila lucem.*
Constitit ut capto jussus deponere miles
Signa foro, stridor lituûm, clangorque tubarum
Non pia concinuit cum rauco classica cornu.
Rupta quies populi, stratisque excita juventus
240 *Diripiunt sacris affixa penatibus arma,*
Quæ pax longa dabat : nuda jam crate fluentes
Invadunt clypeos, curvataque cuspide pila,
Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.
Ut notæ fulsere aquilæ, Romanaque signa,
245 *Et celsus medio conspectus in agmine Cæsar,*
Diriguêre metu, gelidos pavor alligat artus,
Et tacito mutos volvunt sub pectore questus:
O malè vicinis hæc mœnia condita Gallis!

O tristi

luculo capit Ariminum. cætera gesta otto jam die. Appianus: Ἀριμινὸν τε αἱρεῖ τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ. Sic olim conjecimus. Nunc id durius videtur, & scriptum potius à Lucano:

Vicinumque minax invadit Ariminon: ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto.

Nam sic & in secundo pro *Auximum* Græca terminatione *Auximon* posuit, quia versus aliter eam vocem non recipiebat. Interjecerunt copulam, quibus insuitata hæc desinentia displicebat. *Grotius. Ut ignes.*] Oriente Sole stellas obscurante, *quarum ultimus extat Lucifer.*

233. *Jamque dies, &c.*] Quæ capta jam urbe insecuta sint, splendide simul & graviter commemorat. Cives undique ad arma concurrunt, haud secus ac si Pœnus aut Gallus oppidum primo assultu occupasset. *Hortens.*

233. *Seu sponte deum, &c.*] Seu deorum voluntate evenit hoc civilis tempestatis signum, sive inductis ab Austro nubibus: mœstus utique erat. sic initio lib. 7.

236. *Miles, &c.*] Cæsaris milites, jussi occupato foro classica canere, aquilas ponere.

238. *Non pia, &c.*] Impios belli civilis concentus.

239. *Quies populi, &c.*] Somnus.

240. *Diripiunt sacris, &c.*] Obvia quæque & templorum parietibus suspensa arma rapiunt.

241. *Fluentes, &c.*] Dissolutos. vimineas sc. crates corio à blattis & vetustate exeso nudatas.

246. *Diriguere, &c.*] Ariminenses.

247. *Et tacito mutos volvunt.*] Hypallage. vel lege, *Et tacitos muto volvunt.*

248. *O male vicinis, &c.*] O urbem nostram male sitam contra Galliam, & in cardinibus Italiæ, expositam omnibus qui Italiam invaserint.

Digitized by Google

O tristi damnata loco ! pax alta per omnes,
250 *Et tranquilla quies populos : nos prada furentum,*
Primaque castra sumus. meliùs fortuna dedisses
Orbe sub Eoo sedem, gelidaque sub Arcto,
Errantesque domos, Latii quàm claustra tueri.
Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
255 *Vidimus, & Martem Libyes, cursumque furoris*
Teutonici. quoties Romam fortuna lacessit,
Hac iter est bellis. gemitu sic quisque latenti,
Non ausus timuisse palàm : vox nulla dolori
Credita : sed quantum, volucres cùm bruma coërcet,
260 *Rura silent, mediusque jacet sine murmure pontus;*
Tanta quies. Noctis gelidas lux solverat umbras :
Ecce faces belli, dubiaque in prœlia menti

Urgen-

251. *Primaque castra sumus.*] Primum oppidum in quo hostis castra ponit.

252. *Orbe sub Eoo sedem.*] *Sub curru minimum propinqui solis, in terra* (ut veteribus creditum) *domibus negata. Gelidaque sub.*] *Vel sub gelidaque*, conjunctione copulativa frequentius à Lucano usurpata pro disjunctiva. *Arcto.*] *Quod latus mundi nebulæ malusque Jupiter urget.*

253. *Errantesque domos.*] Scytharum ἀμαξοβίων. vel etiam, Nomadum, Numidarum, *Quorum plaustra vagas rite trahunt domos. Latii, &c.*] Fauces & limites Italiæ.

254. *Nos primi, &c.*] Enumerat exempla quorundam exterorum hostium, quorum incursiones, Ariminenses primi sustinuerunt, & quidem cum insigni suorum clade. *Hortens. Senonum motus.*] Hi ulturi injuriam Fabii legati, qui contra jus gentium Gallorum ducem hasta trajecerat, exercitum à Clusio movent ad Urbem. Romanos occurrentes ad Aliam fluv. profligant, Romam contendunt, quam diripiunt, diruunt, incendunt, Capitolium 7. menses obsident; tandem Camilli interventu Roma liberata est. A. V. 365. *Cimbrumque ruentem.*] Cimbri è Germania Chersone & Teutones post multos Rom. coss. & procoss. cum exercitibus fusos, à Mario victi tandem, cæsique sunt. A. V. 652. divisim posuit eos poëta, quod diversis pugnis & diverso itinere superati sunt.

255. *Martem Libyes, &c.*] Secundum bellum Punicum. quamvis non hac iter erat Annibali, Asdrubali forte.

257. *Gemitu sic quisque, &c.*] Indignabantur hæc Ariminenses, sed tacite. comparatione ducta ab avibus hyberno frigore constrictis, & à maris medii tranquillitate.

258. *Vox nulla dolori.*] *Credita*, commissa; nullus enim audebat aperta voce deplorare dolores. *Sulpitius.*

261. *Noctis gelidas, &c.*] Dies orta, noctem fugarat.

262. *Ecce faces belli, &c.*] Q. Cassius & M. Antonius trib. pl. à Marcello & Lentulo Coss. Senatu excedere jussi, quod pro Cæsare intercederent, urbe egressi, noctu, conducto curru, servilique veste amicti ad Cæsarem profugerunt. & cum iis Curio, de quo lib. 1. *vs.* 799.

Urgentes addunt stimulos, cunctasque pudoris
Rumpunt fata moras: justos Fortuna laborat
265 *Esse ducis motus, & causas invenit armis.*
Expulit ancipiti discordes urbe Tribunos
Victo jure minax jactatis curia Gracchis.
Hos jam mota ducis, vicinaque signa petentes
Audax venali comitatur Curio lingua:
270 *Vox quondam populi, libertatemque tueri*
Ausus, & armatos plebi miscere potentes.
Utque ducem varias volventem pectore curas,

Con-

ℳ 799. erat autem is eo tempore Ravennæ, ut habet Cæsar, 1. com. expectabatque suis lenissimis postulatis responsa.

264. *Laborat.*] Conatur efficere, ut justi videantur.

266. *Expulit ancipiti discordes urbe Tribunos Victo jure minax jactatis curia Gracchis.*] Acceperunt verbum *jactare*, ut apud Ciceronem in Verrem: *jactatus domus suæ vir primus & homo honestissimus.* & alibi: *clamore convicionum jactatus.* Quomodo si accipias, *jactare, vexare, rapere, tractare* ejusdem contumeliæ. Is sensus merito nimis tenuis viris doctissimis visus, cum trucidati fuerint uterque, itaque levi mutatione scribunt, *mactatis.* Est autem vir eruditus, qui & alium in vulgata reperit sensum: videlicet Senatum, exprobrata tribunis Gracchorum seditione: eundem exitum his interminatum esse, ni curia excederent. Nobis verò *jactati Gracchi* sunt, in Tiberim projecti. Id enim nunquam ante hac in sacrosancto tribuni, in honesto triumviri coloniis deducendis, imo nè ullus quidem in civis corpore editum nefas unicum recordatur hic Lucanus. Jam illa junctim, *jactatis Gracchis victo jure minax*, non comment aliquem forensem consulti aut sententiarum in tribunali vibratarum; sed sunt simplex ac mera descriptio curiæ, quasi diceret *Senatus*, per Gracchos in Tiberim tractos & jactos victis partibus plebis & jure tribunitio superior ac minax, urbe tribunos expulit. Ejus descriptionis veritatem firmat Velleius lib. 11. *Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit. Inde jus vi obrutum, potentiorque habitus prior.* Et plus uno loco Salustius. *Ancipiti.*] Dubia; nam pars Cæsari, pars Pompeio favebat. *Discordes.*] Resistentes Senatui & Pompeianis.

267. *Victo jure.*] Violato Tribunitiæ potestatis sacrosancto jure. *Minax jactatis, &c.*] Senatus, exprobrata Tribunis Gracchorum seditione, his eundem exitum interminatus est, ni curia discederent.

269. *Audax venali, &c.*] Curio nuper Trib. pl. Cæsari infestus, populo acceptus, ad dicendum paratissimus, plurimum vere alieno gravatus à Cæsare levabatur, factusque suarum partium. *Venali lingua*] Suam enim operam vendiderat Cæsari. *Audacem* verò appellat, quia contra Senatum Cæsarem tuebatur.

270. *Vox quondam pop.*] Olim Tribunus, qui pro populo loquebatur.

271. *Miscere potentes.*] Non, reconciliare, ut volunt quidam. sed inter se committere. propter participium *Ausus*; vel, intra conditionem privatorum redigere. laborabat enim, ut & Pompeius exercitus deponeret.

Digitized by Google

Conspexit : Dum voce tua potuêre juvari
Cæsar, ait, partes, quamvis nolente Senatu,
275 *Traximus imperium tunc, cùm mihi Rostra tenere*
Jus erat, & dubios in te transferre Quirites.
Sed postquàm leges bello siluêre coactæ,
Pellimur è patriis laribus, patimurque volentes
Exilium : tua nos faciat victoria cives.
280 *Dum tripidant nullo firmata robore partes,*
Tolle moras : semper nocuit differre paratis.
Par labor atque metus pretio majore petuntur.
Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum. facili si prælia pauca
285 *Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem.*
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, aut sacras poscunt Capitolia laurus:
Livor edax tibi cuncta negat : gentesque subactas

Vix

273. *Dum voce tua, &c.*] Generis deliberativi hortatoria oratio est Curionis. Exordium constat benevolentia, quam sumit ab officio personæ suæ ergà Cæsarem; cui satis abundè se fecisse testatur, quamdiu tribunatum gessit, & quidem invitis adversariis. *Hortens.*

275. *Traximus imperium.*] Produximus, ut tibi Imperium in altetum quinquennium prorogaretur. *Tunc, cum mihi Rostra, &c.*] Quandiu licuit mihi è suggesto (rostris navium Antiatum exculto) concionem ad popul. habere eumque tibi conciliare, ad partes tuas inflectere.

276. *Dubios.*] Incertos cui faverent. *Transferre.*] Flectere Pop. Romanum eorumque animos fingere, ut id quod peteres, ipsorum suffragiis & beneficio obtineres. *Hortens.*

277. *Postquam leges, &c.*] Postquam leges vi oppressæ inter arma siluere, Imperiumque à Senatu & Coss. delatum est Pompeio, tribuni Curia ejecti.

279. *Nos faciat.*] Nos restituat.

280. *Dum trepidant, &c.*] Sed mature facto opus est, ut imparatos aggrediaris.

282. *Par labor atque, &c.*] Labore eodem quo Gallos debellasti, Romam tibi subjicies totumque terrarum orbem

283. *Bellantem geminis, &c.*] Decem quidem annorum Imperium decretum Cæsari fuerat, sed pacata jam intra 9. annos Gallia, C. Marcellus ad Senatum retulit, ut Cæsari ante tempus succederetur. ita supererat annus decimus.

286. *Nunc neque.*] Negatur tibi de Gallia devicta triumphum agere, imo vix impune ferres bene gestum bellum.

287. *Laurus.*] Lauro coronati triumphantes ascendebant Capitolium, & ipsum lauro ornatum.

288. *Gentesque subactas.*] A turpi. adeo scil. gratos experieris, ut vix fueris tibi impune, Galliam sub imperium tantis laboribus & periculis traxisse.

289. *So-*

Digitized by Google

Vix impune feres : socerum depellere regno
290 *Decretum est genero. partiri non potes orbem :*
Solus habere potes. Sic postquam fatus, & ipsi
In bellum prono tantum tamen addidit iræ,
Accenditque ducem, quantum clamore juvatur
Eleus sonipes, quamvis jam carcere clauso
295 *Immineat foribus, pronúsque repagula laxet :*
Convocat armatos extemplo ad signa maniplos :
Vtque satis trepidum turba coëunte tumultum
Composuit vultu, dextráque silentia jussit :
Bellorum ô socii, qui mille pericula Martis
300 *Mecum (ait) experti, decimo jam vincitis anno.*
Hoc cruor Arctois meruit diffusus in arvis,
Vulneraque, & mortes, hyeméque sub Alpibus acta?
Non secus ingenti bellorum Roma tumultu

Con-

289. *Socerum depellere, &c.*] Pompeius quasi rex non admittet Cæsarem socerum suum in partem dignitatis. supra ✠ſ. 126.

290. *Partiri non potes.*] Εἰς βασιλεὺς, οὐδὲ κοίρανος ἔσω. Pompeius non fert parem, neque tu superiorem.

291. *Sic postquam.*] Hoc est, juxta paræmiam, ad quam allusit, *Currenti calcaria addidit*, excitabat Cæsarem eo, quo sua sponte ferebatur.

293. *Clamore juvatur.*] Certantes equos adhortationem & gloriam intelligere scribit Plinius.

294. *Eleus sonipes.*] Equus in certamine Olympiaco prope Elidem Achaiæ oppidum. *Quamvis jam carcere clauso Immineat foribus, primusque repagula laxet.*] Τὰς ὕσπληξας χαλᾷ. Sed ὕσπληγξ & ἀφετηρία communis stadii & circi. ut in stadio ὕσπληγξ repagulum erat sive regula linea, quæ laxabatur & aperiebatur exituris in stadium cursoribus; ita ὕσπληξις in circo carcerum *repagula* vocabantur, quibus laxatis & apertis ostiis emittebantur equi. *Salmas.* Plin. Exerc. pag. 924. *Carcere clauso.*] Loco, unde celetes, vel currus dato signo prosilirent.

295. *Pronusque repagula laxet.*] Feroxlentet & impellat obices & funes, ἀφετηρίας, quæ provolaturum coërceant.

296. *Maniplos.*] Militum contubernia. lib. 7. ✠ſ. 508. ordines, centurias legionis decimæ tertiæ, hanc enim evocaverat, reliquæ nondum convenerant.

297. *Tumultum.*] Murmur, fremitum.

299. *Bellorum ô socii, &c.*] Oratio gen. Deliberativi, hortatoria, continens conquestionem de injuriis suis, iniquitate adversariorum, à quibus re bene gesta tam indigne excipiantur: insectationem Pompeii, confirmationem militum à felicis successus spe. vide sis orationem quam Cæsari tribuit Petronius Arb. *in specimine civilis belli.*

301. *Arctois, &c.*] Gallia, Germania, Britannia.

302. *Mortes, &c.*] Sociorum.

303. *Non secus ingenti, &c.*] Con-

Digitized by Google

Concutitur, quàm si Pœnus transcenderet Alpes
305 *Annibal. implentur valido tirone cohortes:*
In classem cadit omne nemus: terráque marique
Jussus Cæsar agi. quid? si mihi signa jacerent
Marte sub adverso, ruerentque in terga feroces
Gallorum populi? nunc, cùm Fortuna secundis
310 *Mecum rebus agat, Superique ad summa vocantes,*
Tentamur. veniat longa dux pace solutus
Milite cum subito, partésque in bella togatæ,
Marcellúsque loquax, & nomina vana Catones.
Scilicet extremi Pompejum, emtique clientes
315 *Continuo per tot satiabunt tempora regno?*
Ille reget currus nondum patientibus annis?
Ille semel raptos nunquam dimittet honores?

Quid

tra me diutinis laboribus optime de patria meritum omnia hostilia parantur, perinde ac contra infestissimum hostem. per invidiam inimicorum, exercitum deponere jubeor, triumpho spolior, ad causam dicendam revocor in ordinem, successor mihi ante tempus missus, delectos tota Italia habitus adversum me patriæ hostem declaratum, sylvæ cæsæ ad naves extruendas. *Vincendo, certior exul: sanguine Germano, sexagintaque triumphis, Esse nocens cœpi.* Cæs. apud Petronium.

307. *Quid, &c.*] Quid aliud facerent, si amissis signis victos nos insequerentur hostes. Jam verò cum victores redeamus diis faventibus, sic utique excipimur? Sed veniat, &c.

311. *Dux pace solutus.*] Pompeius, supra ✠s. 130.

312. *Subito.*] Evócato & tumultuarie conscripto. videtur Poëta ad id alludere, quod Faonius Pompeio illudens, ob ea quæ jampridem dictitarat: *Age, inquit, tellurem pede concute Pompei, ut exercitus inde educas, jam tempus postulat.* Plutarch. Pomp. & Appian. 2. *Partesque, &c.*] Senatus paci quam militiæ aptior.

313. *Marcellusque loquax.*] Consul, lingua magis quam manu strenuus. *Nomina vana Catones.*] Ita rectius quam *Catonis*, ut vulgati, aut *Catonum*. Grotius. *Nomina vana Catones.*] Ut, *nomen inane Sophos.* Alii leg. aliter. quem Cæsar infestum sibi supra modum habuit. eum autem perstringit quasi nominis (quia *Cato* sapientem significat) vanitate fultum.

314. *Extremi Pompeium.*] Inter remotissimas nationes, namque Pompeio favebant reges Orientis. *vel* infima de plebe. *Emptique, &c.*] Quos beneficiis & largitione sibi fecit obnoxios, *mercedibus empta, Ac viles operæ: quorum est mea Roma novercæ.* Petron.

315. *Continuo, &c.*] Inexplebili utcunque regnandi cupiditate actum, à Syllæ morte usque ad hæc tempora?

316. *Ille reget, &c.*] Illine permissum triumphare ante annum triumphi legitimum ætatis tricesimum? triumpharat autem de Hiarba Numidarum rege Pompeius annum 24. agens.

317. *Raptos nunquam, &c.*] Præturam nullis adjutus suffragiis sibi adsumpserat 23. annos natus. Consulatum

Digitized by Google

Quid jam rura querar totum suppressa per orbem,
Ac jussam servire famem? quis castra timenti
320 *Nescit mista foro? gladii cum triste minantes*
Judicium insolita trepidum cinxere corona,
Atque auso medias perrumpere milite leges
Pompejana reum clauserunt signa Milonem?
Nunc quoque ne lassum teneat privata senectus,
325 *Bella nefanda parat suetus civilibus armis,*
Et docilis Syllam scelerum vicisse magistrum.
Utque fera tigres numquam posuêre furorem,
Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra sequuntur,
Altus cæsorum pavit cruor armentorum;
330 *Sic & Syllanum solito tibi lambere ferrum*

Durat,

tum solus obtinuerat, præfecturas plurimas, & jam prorogatas ad quadriennium provincias.

319. *Suppressa per orbem, Ac jussam.*] Ne quid aliunde frumenti adferretur, quo urbs fame laborans Pompeio præfecturam annonæ delegaret. Quod dictitabat Clodius. Non propter famem scriptam esse legem, sed ut lex scriberetur factam esse famem. unde nonnulli legunt *Ad jussam. Servire famem.*] Subjectam esse Pompeio, ut famem faciat quum velit. *Castra timenti, &c.*] In quæstione de Clodii cæde & actione Miloniana ad reprimendum populi tumultum Pompeius armatis militibus forum sepserat, quam insolitam coronam Cicero in oratione pro Milone, *novam judicii formam & inusitatam frequentiam* vocat.

321. *Judicium triste.*] De pœna capitis ob cædem perpetratam in via Appia, monumento majorum Clodii; nam eam viam lapidibus straverat Appius Claudius. *Insolita corona.*] Multitudine armatorum. *Hortens.*

322. *Atque auso medias.*] Cum judicia & leges absque armis & armatis vigere & florere debeant; ille judicia forensia armatis clausit. *Hortens.*

324. *Nunc quoque, &c.*] Ab ante actæ malorum & scelerum, ut ita dicam, assuetudine, præsentia consilia virulenter insectatur, quæ longa consuetudine ab institutore & magistro suo Sylla, ab adolescentia imbiberit, ex quo etiam hanc indolem eum hausisse dicit. *Hortens. Ne lassum, &c.*] Ne senectutem agat privatam & ociosam.

326. *Docilis Syllam, &c.*] Scelere facile superaturus, crudelitatis & scelerum omnium magistrum suum Syllam, sub quo meruerat Pompeius 23. annos natus, summo honore à Sylla habitus, ut cui ipsi venienti assurgeret, caput nudaret, honorificeque eum appellaret, Magni nomine (ut ferunt nonnulli) à Sylla primo salutatum.

328. *Nemore Hyrcano.*] Hyrcana sylva Scythiæ.

330. *Sic & Syllanum, &c.*] Per aversionem Pompeji bibendi sanguinis jugem sitim applicat comparationi, quam semel quondam ex Sylla hausit. Idque hanc ob causam Pompeio objicit, quod cædibus ac proscriptionibus civium sub Sylla aleretur, quando bona proscriptorum ab eo hastæ subjiciebantur. *Hort.*

Digitized by Google

Durat, Magne, sitis: nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.
Quem tamen inveniet tam longa potentia finem?
Quis scelerum modus est? ex hoc jam te, improbe, regno
335 *Ille tuus saltem doceat discedere Sylla.*
Post Cilicásne vagos, & lassi Pontica regis
Prælia, barbarico vix consummata veneno,
Ultima Pompejo dabitur provincia, Cæsar;
Quòd non, victrices aquilas deponere jussus,
340 *Paruerim? mihi si merces erepta laborum est,*
His saltem longi, non me duce, præmia belli
Reddantur: miles sub quolibet iste triumphet.
Conferet exanguis quò se post bella senectus?
Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
345 *Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fessis?*
An melius fient piratæ, Magne, coloni?
Tollite jampridem victricia, tollite signa:

Viribus

334. *Regno.*] Invidioso imperio, nec inferiore Syllæ dictatura.

335. *Tuus saltem.*] Cui studebas, magister sceleris, qui te sibi adfinitate devinxit, tibi in matrimonium data Æmilia privigna. *Doceat discedere Sylla.*] Qui annos 60. natus se dictatura abdicavit & privatus Puteolis egit.

336. *Cilicasne vagos.*] Piratas maria infestantes à Pompeio devictos infra lib. 2. ℣. 5. 7. *Lassi Pontica, &c.*] Mithridates rex Ponti per annos 40. cum Romanis bellum gessit à Sylla & Lucullo attritus profligatusque, à Pompeio tandem victus est. in turri à Pharnace filio obsessus, male tentatum veneno (adversus quod amuletis & antidotis se munierat) spiritum ferro expulit.

338. *Ultima Pompeio, &c.*] Egone resto ultimus hostis debellandos?

339. *Quod non, &c.*] Quod jussu Senatus non dimiserim exercitum victorem ante triumphum.

341. *His saltem longi.*] His saltem militibus stipendia, honoresque reddantur, & agri assignentur in quibus jam emeriti quiescant. nisi forte agris digniores censendi sint Cilices illi piratæ, quos à se devictos Pompeius in mediterranea submovit & solos Colonias deduxit. Emeriti qui sint, vide quæ ad ℣. 622. lib. 3. *Reddenda est gratia vobis: Non solus vici.* Cæsar apud Petronium. *Non me duce.*] Hæc vera lectio præ vulgata *cum duce.* Accipiat miles præmia, vel alio Imperatore. Cui convenit quod sequitur, *sub quolibet.* Grotius.

343. *Conferet exanguis.*] Commiserationis locus ad militum animos incendendos, ab ætate scil. & incommodis militiæ. His ergò agri assignentur, in quibus jam emeriti, & quiescant & consenescant. *Hortens.*

347. *Tollite.*] Epilogus constat exhortatione ad sumenda arma contrà inimi-

Viribus utendum est, quas fecimus. arma tenenti
Omnia dat, qui justa negat : nec numina desunt.
350 *Nam neque prada meis, neque regnum quæritur armis :*
Detrahimus dominos urbi servire parata.
Dixerat : at dubium non claro murmure vulgus
Secum incerta fremit : pietas, patriique penates
Quamquàm cæde feras mentes, animósque tumentes
355 *Frangunt; sed diro ferri revocantur amore,*
Ductorísque metu. Summi tum munera pili
Lælius, emeritique gerens insignia doni,
Servati civis referentem præmia quercum;
Si licet, exclamat, Romani maxime rector

Nomi-

inimicorum injurias. *Tollite, &c.*] Verum non verbis sed viribus res decernenda est, tollite itaque signa, &c. *victores ite ferentes, Ite mei comites, & causam dicite ferro, &c.* Petron.

348. *Arma tenenti, &c.*] At hic dabit, si vos abnueritis. manu capulum gladii concutiens inquit Tribunus; vel, ut Appianus refert, *Cæsar* provinciæ protogandæ præfecturam petens.

349. *Nec numina desunt.*] *Deerunt* habet MS. Puteanorum, quod haud dubie rectius. Est enim sperantis. *Grotius.*

350. *Nam neque, &c.*] Caussa ab honesto & justo; quum neque regnum, neque dominationem affectet ullam, nec lucrum sectetur; sed defensionem dignitatis suæ, honores & præmia militum pro exhaustis laboribus militaribus: quæ omnia justa sunt & honesta. *Hortens.*

351. *Detrahimus, &c.*] Asserimus urbem nostram in libertatem.

353. *Pietas, patriique, &c.*] Quamquam pietas in patriam, in uxores & liberos nonnihil animos videbantur debilitasse, quo minus illis bellum facerent; assuetudine tamen longa bellorum adeo eant efferati, ut Imperatores dignitatis tuendæ caussa, bellum quam pacem maluerint. *Hortens.*

354. *Cæde feras, &c.*] Assiduitate bellorum efferatas. *Tumentes.*] Victoriis.

355. *Frangunt.*] Mitigant.

356. *Summi tum, &c.*] Cum in legione essent præter velites & pilanos tria militum genera, *hastati, principes, triarii*; atque hi singuli in decem partes dividerentur, quibus partibus præficerentur Centuriones; primæ quidem cohortis ceu ordinis Triariorum (namque hi ætate, usu, fortitudine cæteris præstabant) centurio appellabatur *Primipilus*, cujus voluntati & imperio milites omnes parerent, eratque ille consilii particeps.

357. *Emeritique gerens, &c.*] Gerens quernam coronam donatam in testimonium servati civis, hostisque in prælio cæsi; de coronis cæteris vide A. Gellium lib. 5. cap. 6. erat forte evocatus, vide quæ ad Pl. 471. lib. 7.

358. *Quercum.*] Totum pro parte, coronam quernam. Suprà enim demonstratum est, querna corona eum militem donari solere, qui civis civem in prælio servasset.

359. *Si licet, exclamat.*] Hortatoria oratio est Lælii ad Cæsarem, ut eo pergat, quo ire constituerit. Reprehendit verecunde, quod non suo jure militum opera

360 *Nominis, & fas est veras expromere voces;*
Quòd tam lenta tuas tenuit patientia vires
Conquerimur. deerátne tibi fiducia nostri?
Dum movet hic calidus spirantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
365 *Degenerem patiêre togam, regnumque Senatus?*
Usque adeò miserum est civili vincere bello?
Duc age per Scythiæ populos, per inhospita Syrtis
Littora, per calidas Libyæ sitientis arenas.
Hæc manus, ut victum post terga relinqueret orbem,
370 *Oceani tumidas remo compescuit undas:*
Fregit & Arctoo spumantem vortice Rhenum.
Jussa sequi tam posse mihi, quàm velle necesse est.
Nec civis meus est, in quem tua classica Cæsar
Audiero.

opera utatur. Monet affectus ab indigno; commemorat sua præclara facinora & virtutem militum pro Imperatore suo navatam: promittit insuper suam operam; & ultrò sacramento se obligat ad obeunda jussa Imperatoris, etiam impia, si sit opus. *Hortens. Maxime Rector.*] Exordium ductum à benevolentia, quam captat à persona Cæsaris, quum eum Rom. nominis maximum Rectorem nominat. *Idem.*

361. *Lenta tuas.*] Attentio à verecunda reprehensione patientiæ, qua Senatus abutitur.

363. *Dum movet, &c.*] *Dum spiritus hos regit artus.*

365. *Degenerem patiêre togam.*] Togatos inertes & imbelles. *Regnumque Senatus.*] Atrociter & invidiose, Senatus autoritatem *regnum* nominat: & docet in ipsa narratione impotentem dominationem Senatus, & invidiam gloriæ alienæ. *Hortens.*

367. *Duc age, &c.*] Amplificatione locorum promptos militum animos ac benevolos ergà Ducem arguit. *Hortens. Syrtis.*] Syrtes duæ sunt, Major & Minor, sinus in mari Libyco, propter fluctus arenasque affluentes ac refluentes importuosi atque navigantibus infesti; vide Salustii bell. Jug. Orationem 5. Dionis Prusæi. Procopium 6. Ædif.

368. *Per calidas Libyæ.*] Per deserta Libyæ aquarum expertia.

369. *Hæc manus.*] Δειξλικῶς. suam ostendens.

370. *Oceani.*] Cum Britanniam aggressus est.

371. *Arctoo vortice.*] Ob impetuosum violentumque ejus cursum, qui ubi maximè vorticosus est, circà originem suam, nullis navigiis navigabilis; & multis amnibus auctus in Oceanum Septentrionalem infunditur. *Hortens. Spumantem vortice Rhenum.*] Fl. vorticosum, Galliam à Germania dividentem. 3. ostiis se in Mosam & Oceanum Septentrionalem exonerantem.

372. *Jussa sequi, &c.*] Necesse mihi est, in tuam gratiam eniti, ut ea possim quæ volo. vide quæ nos ad epigr. lib. 12. Martialis. Sunt qui legunt, *Tam velle mihi quam posse necesse est.*

373. *Nec civis, &c.*] Neque erit mihi pro cive, contra quem tubæ tuæ canent signa belli.

374. *Per*

Audiero. per signa decem felicia castris,
375 *Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos;*
Pectore si fratris gladium, juguloque parentis
Condere me jubeas, plenaque in viscera partu
Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.
Si spoliare Deos, ignemque immittere templis,
380 *Numina miscebit castrensis flamma Monetæ:*
Castra super Tusci si ponere Tybridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu quoscumque voles in planum effundere muros,
His aries actus disperget saxa lacertis:
385 *Illa licet, penitus tolli quam jusseris urbem,*
Roma sit. His cunctæ simul assensêre cohortes,
Elatasque altè, quæcunque ad bella vocaret,
Promisêre manus. it tantus ad æthera clamor,
Quantus, piniferi Boreas cùm Thracius Ossæ
390 *Rupibus incubuit, curvato robore pressæ*

Fit

374. *Per signa decem felicia castris.*] Victricia omnibus in locis, quibus jam per decem annos castra metatus es, quia quotannis in statis castris hybernabant. vel per aquilas 10. legionum. licet una tantum adfuerit, cæteræ subsequerentur.

377. *Plenaque, &c.*] Gravidæ uxoris.

378. *Invita peragam, &c.*] Utut horreat refugiatque manus.

379. *Si spoliare, &c.*] Commendat insuper operam suam pro Cæsare, ab impio, in Deos: quos, ad ineundam Imperatoris gratiam, exemplo Brenni & aliorum quorundam sacrilegorum, qui delubrum Delphicum & multa alia Græca templa diripuerant, suis donariis non verebitur spoliare. *Horiens.*

380. *Numina, &c.*] Ignis è castris nostris incendet statuam Junonis dictæ *Monetæ*, quod ab æde Junonis audita est vox quæ docebat, qua ratione plena fieret procuratio propter terræ motum. ædem autem hanc dedicavit L. Fu. Camillus à monendo nomen *Monetæ* inditum.

381. *Castra super.*] Si patriam obsidere, juxta Tibrim castra metatum. *Tusci.*] In Thuscia orti.

382. *Veniam metator in agros.*] Castra metabor. *Metator.*] Sunt verò in re militari *metatores*, qui præcedentes locum castris eligunt.

384. *Aries actus.*] Machina bellica ad subruendos muros. vide Vegetium lib. 4. cap. 14. & Am. Marcel. & quæ nos ad 490. ℣. 3. lib.

385. *Illa licet, &c.*] Sublatas in assensus signum manus, fortitudinis & fidei pignora.

386. *Assensêre cohortes.*] Assensum testantur clamore, quantus non cedit fragori sylvæ pineæ in Ossa Thessaliæ monte depressæ aut sublatæ, Boreæ è Thracia flantis impulsu.

394. *Spar-*

Digitized by Google

Fit sonus, aut rursus redeuntis in æthera silvæ.
Cæsar ut acceptum tam prono milite bellum,
Fataque ferre videt, ne quo languore moretur
Fortunam, sparsas per Gallica rura cohortes
395 *Evocat, & Romanu motis petit undique signis.*
Deseruêre cavo tentoria fixa Lemano,
Castraque quæ Vogesi curvam super ardua rupem,
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.
Hi vada liquerunt Isæræ, qui gurgite ductus
400 *Per tam multa suo, famæ majoris in amnem*
Lapsus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.
Solvuntur flavi longa statione Rutheni:
Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas,
Finis & Hesperiæ promoto limite Varus:

Qua-

394. *Sparsas per, &c.*] Hanc orationem Ravennæ habitam scribit Cæsar lib. 1. civ. bell. *Conclamant* (inquit) *legionis decimæ tertiæ quæ aderant milites (hanc enim initio tumultus evocaverat, reliquæ nondum convenerant) sese paratos esse Imperatoris sui, Tribunorumque Pl. injurias defendere. Cognita militum voluntate Ariminum cum ea legione proficiscitur: ibique Tribunos Pl. qui ad eum confugerant, convenit, reliquas legiones ex hibernis evocat, & subsequi jubet.*

396. *Deseruere cavo, &c.*] Evocati discessere qui tentoria fixerant juxta lacum Lemanum. *Lac de Lozanne & Geneve. Lemano.*] Lemanus lacus Allobrogum est, Genevam & Lausannam urbes alluens, Rhodanumque imperuistis aquis transmittens. Plinius inter miracula fluminum recenset, quod Rhodani dulces aquæ in Lemano lacu supernatent. *Horsus.*

397. *Vogesi.*] Vogesus sive Mosegus rectius, qui & *Vosecus* à nonnullis appellatur, in finibus Lingonum, unde Mosæ fontes decurrunt, haud procul à fonte Macronæ fluminis. *Vocetus* Tacito in Helvetiis est: ad cujus montis radicem vetus oppidum Vindonissa fuit, posteris temporibus ab Alemannis Rhenum transgressis, ita vastata, ut ne vestigia ejus exstent, præter nomisinata, antiquitatis monumenta, quæ illic effodiuntur. *Hortensius. Vogesi curvam.*] Montis Lotharingiæ, ex quo Mosa profluit. *Mont de fauciles. Super ardua rupem.*] Non *ripam.* Mons enim Vogesus, & in monte castra. *Rupem* pro monte dici usitatissimum. *Grotius.*

398. *Cohibebant.*] Reprimebant, ne quid molirentur. *Lingonas armis.*] Celtarum pop. *le pays de Langres.*

399. *Isæræ.*] Galliæ Narbonensis fluv. *Lysere*, qui in Rhodanum influens, amittit nomen.

400. *Famæ majoris.*] Nam Rhodano mixtus amittit suum nomen.

402. *Solvuntur flavi, &c.*] Præsidio Romano solvuntur Rhuteni pop. Narbonensis Galliæ, *de Rouvergne.* flavi crinibus, vel epitheton à ratione nominis.

403. *Atax Latias gaudet.*] Fl. ex Pyrenæo ortus, *Aude.* non ulterius habet naves Rom. *Non ferre carinas.*] Non navigari à militibus Romanis.

404. *Hesperiæ promoto limite.*] Prolatis

Digitized by Google

405 *Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus*
Vrget rupe cava pelagus : non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus : solus sua littora turbat
Circius, & tuta prohibet statione Monœci.
Quaque jacet littus dubium, quod terra, fretumque
410 *Vendicat alternis vicibus, cùm funditur ingens*
Oceanus, vel cùm refugis se fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,
Destituatque ferens : an sidere mota secundo
Tethyos unda vaga lunaribus æstuet horis:
415 *Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas,*

Erigat

tis Italiæ finibus, quæ olim angustior. Alii leg. *milite. Limite.*] Ita scribendum, non *milite.* Promoto limite est, prolatis Italiæ finibus; quæ olim angustior. Lectionem hanc ex conjectura sola à nobis positam, confirmat idem MS. Putean. qui disertè sic habet. *Grot. Varus.*] Alpinus fluv. Italiam à Narbonensi Gallia disterminat. *Varo.*

405. *Quaque sub Herculeo, &c. Monœci.*] In ora Liguriæ arx est & portus Herculis *Monœci*, quod pulsis hostibus ibi habitarit; vel quod nullus ibi cum eo coleretur. ὡς μόνος οἰκῶν.

406. *Urget.*] Repellit. *Pelagus*]Mare Ligusticum, quod à proxima Liguria nomen habet. Ligures enim inter Mare & Varum flumina sedes habuere, circà ima Alpium latera, quæ sita sunt in Ligusticum pelagus obversa. *Hortens. Non in illum, &c.*] Ventus, qui adversus Aquilonem flat ab Occasu solstitiali: ἀφόρους.

407. *Zephyrus.*] Qui adversus Eurum flat, Favonius. *Solus sua, &c.*] Ventus Narbonensi provinciæ tantum notus. *vide* Gell. lib. 2. cap. 22.

408. *Circius.*] Sic dictus; quod omnia turbet & circumvertat; quo minus portus naves in statione adversus Circium tueatur. De hoc A. Gell. Galli ventum ex sua terra flantem, quem sævissimum patiuntur *Circium* appellant; à turbine opinor ejus ac vertigine. *Monœci.*] Herculis Monœci portus est, in ora Ligustica, ut dictum. *Hortens. Monœci.*] Forte *morari.*

409. *Quaque jacet, &c.*] Evocavit cohortes è Belgarum oris, quas fluxus ac refluxus maris senis quibusque horis aut circiter faciunt, ut nunc maria sint, nunc terræ. cujus æstus & reciprocationis causam, an fiat impulsu stellæ polaris, an lunæ motu an solis influentia, videant & exquirant philosophi, qui mundi naturam causasque rerum exquirunt: me certe latent.

410. *Vendicat.*] Attribuit sibi.

411. *Aufert.*] Retrahit se.

412. *Volutet.*] Volvat.

413. *Destituatque ferens.*] An eo cessante fiat refluxus. *An sidere mota secunda.*] Luna, quæ post Solem secunda est; vel *secundo*, id est, favente & prospero. *Sulpitius.*

415. *Hauriat undas.*] Attrahat, ebibat quo alatur. Stellas enim igneæ esse naturæ & τρέφεσθαι καὶ ἐπιγείοις ἀναθυμιάσεσι opinabantur Heraclitus & Stoici. Plutar. de placitis philos. & Cic. 2 de natura deorum.

Convexa polus dum sidera pascet.
Virgil. 1. Æneid. vide libro 9. versu 313.

417. *Quo*

Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat,
Quærite, quos agitat mundi labor: at mihi semper
Tu, quæcumque moves tam crebros causa meatus,
Ut superi voluêre, late. Tunc rura Nemosi
420 *Qui tenet, & ripas Aturi, quà littore curvo*
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor,
Signa movet, gaudetque amoto Santonus hoste:
Et Biturix, longisque leves Suessones in armis:
Optimus excusso Leucus Rhemúsque lacerto,
425 *Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis:*
Et docilis rector rostrati Belga covini:
Arvernique ausi Latio se fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi; nimiúmque rebellis
Nervius, & casi pollutus sanguine Cotta:

Et

417. *Quos agitat mundi labor.*] Hoc est, ô philosophi, qui naturam mundi, studio & labore investigatis. *Sulpitius. Mihi.*] Me; *vel*, quantum ad me.

419. *Late.*] Scil. mihi semper late, ac fis obscura. *Sulpit. Nemosi, &c.*] Metropolis & capitis Avernorum. male legitur *Mouethis & Nemetis.* Quo enim tantum mihi lævus abiret poëta, relictis Aquitanis, ad ripam Rheni?

420. *Aturi, &c.*] Fl. Tarbellorum in Aquitania. *Ador* vel *Dour.*

421. *Claudit Tarbellicus æquor.*] *Aucen* emendat Scaliger. *Tarbellicus æquor.*] Tarbeia, oppidum Aquitaniæ Stephano, *Tarbe*, sed Josepho Scal. *Auqx.*

422. *Signa movet.*] Discedit. *Santonus.*] Galliæ Aquitaniæ pop. ea regio *Xaintoigne. Hoste.*] Romano, olim hoste.

423. *Biturix.*] Galliæ Aquit. urbs *Bourges.* forte qui Bituriges *Bourdeaux. Longisque leves.*] Hastis pugnaces, vel longo bello subacti. *Suessones.*] Alii legunt *Axones*, pro accolis Axonis fluvii, in Rhemorum finibus. *Suessones.*] Notus Galliæ populus. Vestigia vocis manuscripti præferunt, *Sexones.* Vulgo *Axones* male. *Grotius. Suessones.*] Rhemis vicini *Soissons.*

424. *Optimus excusso.*] Jaculandi peritus. *Excusso lacerto.*] Ad jaculandum. *Leucus.*] Galliæ Belgicæ pop. quorum urbs *Toul. Rhemusque lacerto.*] Galliæ pop. quorum primaria urbs *Rhemes.*

425. *Optima gens, &c.*] Sequanæ fluv. *Seine* accolæ. *Burgoignons.* equitandi periti.

426. *Et docilis rector.*] Et Belgæ pop. Oceano, Rheno, Matrona, & Sequana inclusi, è vehiculis falcatis prælianteis. *Rostrati Belga covini.*] Male legitur *monstrati. Covini.*] Covinus, vehiculum falcatum est, cujus multus usus fuit, apud Gallos & Britannos in prælio.

427. *Arvernique, &c.*] *Les gens d'Auvergne*, videntur pro Heduis positi, quibus sunt vicini. Hedui autem *primi ex urbe jus adepti sunt; datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum pop. Rom. usurpant.* Tacit. lib. 11. & Cic. ad Trebatium 7. & ad Attic. 1.

428. *Iliaco populi, &c.*] Trojano; proditur enim Antenorem exstruxisse Clerum montem.

429. *Nervius.*] Galliæ Belgicæ pop. feroc-

430 *Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis*
Vangiones : Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuêre tubæ : quà Cinga pererrat
Gurgite : quà Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim : quà montibus ardua summis
435 *Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas :*
Pictones immunes subigunt sua rura ; nec ultrà
Instabiles Turonas circumsita castra coërcent.
In nebulis Meduana tuis marcere perosus
Andus, jam placida Ligeris recreatur ab unda.
440 *Inclyta Cæsareis Genabos dissolvitur alis.*
Tu quoque lætatus converti prœlia Trevir :
Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora

Crini-

ferocissimus *de Tournay. Cæsi pollutus, &c.*] Apud Eburones Tetutius Sabinus & Aruncules Cotta cum quinque cohortibus in hybernis cæsi sunt fraude Ambiorigis. & apud Carnutes C. Fusius Cotta rei frumentariæ præfectus.

430. *Sarmata braccis.*] De quibus Ovid. 3. Trist. *Pellibus & sutis arcebant frigora braccis.* & Mela lib. 2. braccæ autem caligarum fluxarum genus: à qua veste, ea Galliæ pars dicta est Braccata, quæ postea Narbonensis. vide Bayfium de re vest. & Jos. Scal. ad 4. lib. Propertii, & Is. Casaub. ad Suetonii August. & Ald. Manut. Quæsit. per ep. 22. & quæ Cluverius libro 2. de Antiq. German. cap. 16.

431. *Vangiones.*] Wormacenses, *Wormes. Batavique.*] Hollanders.

432. *Acuere.*] Incitavère in bella. *Cinga pererrat, &c.*] Fl. è Pyrenæis non procul à Narbonensi provincia. Cæs. lib. 1. belli civ.

433. *Rhodanus, &c.*] *Le Rhosne* in quem ad Lugdunum influit Arar. *la Saone.*

435. *Gebennas.*] Montes, qui Arvernos ab Helviis discludunt, nivales.

436. *Pictones.*] Quinque hos versus manuscripti antiqui omnes non habent. Itaque omninò adducor, ut adjectitios credam. *Grot. Pictones.*] Aquitaniæ pop. quorum regio *Poiction. Immunes, &c.*] Amotis præsidiis R.

437. *Turonas.*] Ita reposuimus ex MS. quo usus Canterus, in quo, *Turonos.* Ejusdem libri fide hunc versum illi *In nebulis*, præposuimus, aliquo nunc sensu, qui nullus alias. *Grotius. Turonas.*] Quorum territorium *Touraine*; urbs *Tours.*

438. *In nebulis, &c.*] Et Andegavenses à fontibus fluv. Meduanæ *le Mayne*, movent Ligerim versus. *le Loyre.*

439. *Andus.*] Malim *Andis.* Nam plurale est *Andes.* Grotius.

440. *Genabos.*] Eadem urbs quæ Genabum aliis, ut facile genera mutantur in peregrinis vocibus. Ita autem rescripsimus pro *Menabos.* Grotius. *Genabos.*] Oppidum ad Ligerim situm *Gian.* in Carnutibus. *Alis.*] Turmis, præsidiis.

441. *Converti prœlia.*] E Gallia in Italiam transferri bella. *Trevir.*] Pop. Belgiæ, quorum metropolis *Triers.*

442. *Tonse Ligur, &c.*] Gallia olim

Digitized by Google

Crinibus effusis toti prælate Comatæ:
Et quibus immitis placatur sanguine diro
445 *Teutates, horrensque feris altaribus Hesus;*
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.
Vos quoque qui fortes animas, bellóque peremtas
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.
450 *Et vos barbaricos ritus, morémque sinistrum*
Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.
Solis nosse deos, & cœli numina vobis,

omnis fuit Comata. Cisalpina in qua Ligures primum posuerunt capillos, sumpseruntque togas, unde & Togata dicta: Transalpina omnis Comata, præter Narbonensem provinciam, quæ Braccata dicta fuerat. Plin. lib. 1. cap. 17. & lib. 3. cap. 44. Sunt qui *Ligeri* legunt, & Ligeris fluv. accolas intelligunt.

443. *Prælate.*] Dicit Ligures virtute, Comatis prælatos.

445. *Teutates, Hesus; & Taranis Scythicæ, &c.*] Mercurius, Gallis Theutates, Ægyptiis ΘΕΥΤΘ. Plato in Phædro & Philebo. Cic. lib. 3. de Natur. Deor. Livius lib. 36. Lactant. de falsa rel. cap. 6. Hesus, sive Heus; Mars, quem asperrima placavere cultura; nam victimæ ejus fuere mortes captorum. Cæs. com. 6. de bel. Gal. Jornandes lib. de reb. Gothicis. Jupiter, quasi βεγυῖος, *Tonans*, à Tatan, quod Wallis Britannis qui veteris Gallicæ linguæ vestigia & reliquias retinent (*tomitra* sonat) ut videtur Phil. Cluverio lib. 1. de antiquitate Germaniæ, cap. 9. His omnibus litatum humanis hostiis, uti Dianæ Tauricæ. vide Cæs. lib. 6. de bello Gall. Solin. cap. 34. Mela lib. 3. c. 2. Lactant. lib. 1. de falsa relig. c. 21. Pythæi Adversaria lib. 1. cap. 3. Cluverium lib. 1. de Antiq. Ger. cap. 22. 26. & 28. *Hesus.*] *Esus* habent manuscripti, quomodo hoc nomen & apud Lactantium legitur. *Grotius.*

447. *Vos quoque, &c.*] Transitio ad aversionem Gallorum, quorum sacerdotes Gallia pacata ad intermissa studia & sacra se convertebant: & pro concione laudabant eos, qui fortiter in prælliis occubuissent. *Hortens.*

449. *Securi fudistis carmina.*] Bellico tumultu & trepidatione, soluti: inter arma enim silent musæ. *Bardi.*] Γ' μεν τοὶ ὃ ποιηταί, inquit Strabo l. 4. qui præter hos & Dryidas tertium genus τῶν παραμίνων recenset, ὕμνους, ἐπεῖς, ἐ ποιοὺς ὃ φυσιολόγους. Mela cap. 2. lib. 3.

450. *Et vos, &c.*] Post Cæsaris abitum restituistis diræ immanitatis religionem, & sacra plusquam Scythica, humanis hostiis aræ admotis & à tergo cæsis.

451. *Druidæ.*] Ἐν τῇ φυσιολογίᾳ, ὃ τῶν ἀνδρῶν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσιν ἀναστόμοσι, &c. Strabo lib. 4. horum erat sacrificia curare, jura religionis interpretari, &c. Cæs. lib. 6. de bello Gallico, magi & sacerdotes Gallorum. Marcell. lib. 15. vide & Cluverium de antiq. German. lib. 1. cap. 24. Mel. 2. cap. 3. lib.

452. *Solis nosse Deos.*] Propter paradoxa & diversas à cæteris sapientibus opiniones, de Deo, anima, mundo, &c.

453. Ne-

Aut solis nescire datum : nemora alta remotis
Incolitis lucis. vobis auctoribus, umbra
455 *Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi*
Pallida regna petunt : regit idem spiritus artus
Orbe alio : longa (canitis si cognita) vitæ
Mors media est. certè populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
460 *Maximus, haud urget leti metus. inde ruendi*
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis : & ignavum redituræ parcere vitæ.
Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces
465 *Deseritis ripas, & apertum gentibus orbem.*
Cæsar, ut immensæ collecto robore vires
Audendi majora fidem fecère, per omnem
Spargitur Italiam; victráque mœnia complet.
Vana quoque ad veros accessit fama timores,

Irru-

453. *Nemora alta, &c.*] Unde & iis nomen, à ἄλσος. Plin. lib. 16. cap. 44.

454. *Vobis auctoribus, &c.*] Vos asseritis animas è corporibus migrantes non descendere ad inferos, sed orbe alio in alia corpora migrare, atque hinc felices prædicat Septentrionales, qui disciplina horum instituti, τὸ πάντων φοβερώτατον, mortem contemnunt, imo appetunt, ut quæ viam ad immortalitatem sternat. Pomp. Mela cap. 2. lib. 3.

458. *Mors media est.*] Id est, media morte pervenitur ad æternam illam vitam. *Sulpitius.*

462. *Ignavum.*] Quia turpe existimant, mortem effugere.

463. *Et vos crinigeros, &c.*] Et vos in præsidiis positi ad cohibendos Chaucos (quos Claudianus ad Stiliconem appellat Chaycos. *Frisios, Groningenses, Bremenses & Lunburgenses*) evocati à Cæsare per R. deseritis Rheni ripas & Germaniam à Cæs. patefactam sequentibus Imp.

465. *Orbem apertum.*] Orbem Germanicum dicit. *Hortens.*

466. *Cæsar ut immensæ.*] Ab enumeratione populorum, quos vicerat Cæsar; quique eum in Italiam ex castris secuti ad bellum fuere; ad omissam, vel intermissam rerum gestarum seriem, redit Poëta: & primum quidem disertè simul & graviter narrat, quanta trepidatione, tumultu ac pavore, urbem, totamque Italiam, fama ejus adventus compleverit. Ordine commemorat ea, quæ belli proœmia comitari solent. *Hortens. Cæsar, &c.*] Cæsar evocatis legionibus & subsequi jussis, Pisaurum, Fanum, Anconam cæterasque Italiæ urbes præsidiis firmat. Cæs. 1. civ. bel.

469. *Vana quoque, &c.*] Fugæ igitur, & conversiones omnibus in locis summa trepidatione fieri cœptæ, &c. quum Cæsa-

470 *Irrupitque animos populi, cladémque futuram*
Intulit, & velox properantis nuntia belli
Immumeras solvit falsa in præconia linguas.
Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
475 *Asserat, & quà Nar Tyberino illabitur amni*
Barbaricas sævi discurrere Cæsaris alas:
Ipsum omnes aquilas, collatáque signa ferentem,
Agmine non uno, densísque incedere castris.
Nec, qualem meminêre, vident: majórque, ferúsque
480 *Mentibus occurrit, victóque immanior hoste.*
Hunc inter Rhenum populos Alpésque jacentes,
Finibus Arctóis, patriáque à sede revulsos
Ponè sequi, jussámque feris à gentibus Urbem,
Romano spectante, rapi. sic quisque pavendo

Dat

Cæsarem cum universis copiis adesse crederent. Appian. 2. *Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella Ante oculos volitant, &c.* Petron.

471. *Velox properantis, &c.*] *Fama malum, quo non aliud velocius ullum.* Æneid. 4. Virg. *Interea volucer motis contterrita pennis, Fama Mat, summique petit juga celsa Palati.* Petron.

472. *Præconia.*] Denuntiationes.

473. *Est qui, &c.*] Sunt qui falso divulgant, turmas Cæsaris vastare Umbriam, cujus oppidum est Mevania, *Bevagna*, quam alluit Clitumnus amentis gratus. *Tauriferis.*] Eo indicat, inde eximios tauros Romam mitti solere, qui pro victimis cædebantur.

475. *Et qua Nar, &c.*] Et qua Nar Umbriæ fluv. prope montes Spoletanos in Tybrim effunditur.

476. *Barbaricas.*] Cæsaris copias ex Numidis, Gallis, Germanis aliisque barbaris nationibus conflatas, per has regiones discurrere ac vagari. *Alas.*] Alæ equitum dicuntur ab eo, quod ad similitudinem alarum utrinque protegant acies. *Hortens.*

477. *Ipsum omnes aquilas, &c.*] Imaginantur se videre eum ferociorem factum ipsis Gallis hostibus quos vicerit. *vel* ferociorem atque elatiorem ob victos hostes. Tum milites ei multos esse, eosque audaces, & ad maleficiuia inferendum paratos ferebant. quem admodum fere in id genus negociis omnia magis terribilia referri solent: hinc fuga tumultuaria, &c. Dio. l. 41.

478. *Densisque castris.*] Præ copiarum multitudine.

479. *Nec qualem, &c.*] Tam mitem & placabilem.

481. *Hunc inter, &c.*] Helvetios, cæterosque Gallos & Germanos sequi Cæsarem.

482. *Revulsos.*] Quasi vi extractos, compulsosque ad bellum.

484. *Spectante.*] Neque prohibente. *Patheticè*, vel, spectante, nec se patriæ direptione contaminante. *Sic quisque pavendo, &c.*] Nam ut quisque est affectus, ita rebus vel affingit, vel detraxit, amplificat extenuatve. Neque

Digitized by Google

485 *Dat vires fama: nullóque auctore malorum*
Quæ finxêre, timent. nec solum vulgus inani
Percussum terrore pavet: sed curia, & ipsi
Sedibus exiliere Patres, invisáque belli
Consulibus fugiens mandat decreta Senatus.
490 *Tum quæ tuta petant; & quæ metuenda relinquant,*
Incerti, quò quemque fugæ tulit impetus, urgent
Præcipitem populum, seriéque hærentia longa
Agmina prorumpunt. credas aut tecta nefandas
Corripuisse faces, aut jam quatiente ruina
495 *Nutantes pendere domos. sic turba per urbem*
Præcipiti lymphata gradu, velut, unica rebus
Spes foret afflictis patrios excedere muros,
Inconsulta ruit. qualis cùm turbidus Auster
Reppulit à Libycis immensum Syrtibus æquor,

Fractá-

que ullus temere reperitur, qui ea, quæ quid acceperit fide, alteri sine additamento tradit. *Hortens.*

485. *Nulloque auctore malorum.*] Ut vel ad famam id referatur, cujus nullus certus sciretur author: vel ad id quod sequitur, nullo authore malorum: quæ sibi quisque finxit mala timuit, & ob oculos velut præsentia versantur. *Hortensius.*

488. *Invisaque belli, &c.*] Senatus mandat Consulibus, *Videant ne quid detrimenti Resp. capiat, Cæsarem persequantur, delectum habeant, exercitum conscribant.* Hi urbe continuo excedunt, Capuamque ad Pomp. profecti, summam Imperii ei deferunt.

490. *Tum quæ, &c.*] Fuit ea fuga omnino turbarum ac tumultuum plena. Qui enim urbe exibant (ordinis senatorii equestrisque fere primarii homines) etsi videbantur ad bellum proficisci, tamen revera ea patiebantur quæ captis usu veniunt. Dio. lib. 41. *Huic fuga per terram, illi magis mala probatur; Et patria est, pontus jam timetur, &c. Quantum quisque timet, tantum fugit.* Petron.

492. *Serieque hærentia.*] Hoc est, longo ordine emigrantium in morem erumpunt ex urbe. *Hortens.*

493. *Credas aut tecta, &c.*] Uti fieri solet grassante incendio, aut terræ motu tectis ruinam minante.

495. *Nutantes.*] Minantes casum è motu terræ.

496. *Lymphata gradu, &c.*] Mente alienata, furore autem correptos credebant veteres conspexisse in fontibus Nympham aliquam, cujus iratæ spiritu agitarentur. vide quæ ad Senecæ Medeam, ℣. 385. cane rabido morsi horrent conspectam lympham.

498. *Qualis cum turbidus Auster.*] Qualiter tempestate deprehensi gubernator, nautæ, vectoresque se in mare præcipitant deserta navi necdum soluta: sic, &c. de Syrtibus supra ℣. 367. Et hunc locum explicat Petronius: *Ac velut ex alto quum magno inhorruit Auster, &c. Hic dat vela fugæ Fortunaque omnia credit.*

500 *Fractáque veliferi sonuerunt pondera mali,*
Desilit in fluctus deserta puppe magister,
Navitáque, & nondum sparsa compage carina,
Naufragium sibi quisque facit: sic urbe relicta
In bellum fugitur. nullum jam Languidus ævo
505 *Evaluit revocare parens, conjuxve maritum*
Fletibus, aut patris, dubia dum vota salutis
Conciperent, tenuêre Lares: nec limine quisquam
Hæsit, & extremo tunc forsitan urbis amata
Plenus abit visu: ruit irrevocabile vulgus.
510 *O faciles dare summa Deos, eadémque tueri*
Difficiles! urbem populis, victísque frequentem
Gentibus, & generis, coëat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Cæsare prædam
Ignavæ liquêre manus. cùm pressus ab hoste
515 *Clauditur externis miles Romanus in oris,*

Effugit

501. *Magister.*] Quem Pompeio & Senatui comparat; nautas verò populo.

502. *Sparsa compage.*] Navi adhuc integra, & nondum dissoluta compage seu contexura. *Sulpit.*

506. *Dubia dum vota, &c.*] Coss. nec conceptis votis nec peractis de more sacrificiis fugam corripuere. Plutar. Cæs.

507. *Lares.*] Domestici dii, custodes domus, Laræ nymphæ & Mercurii filii. *Ille manus trepida natos tenet: ille penates Occultat gremio, deploratumque relinquit Limen.* Petron. *Nec limine, &c.*] Nec quisquam in discessu subinde respexit, sed tanquam videndi cupiditate expletus, neque amplius videre cupiens, abiit.

508. *Extremo visu.*] Pathos à gestu. Solet enim ita plerumque fieri, ut in discessu subinde respiciamus ea, quæ fuerunt nobis jucundissima, tanquam nunquam rursum visuri. *Hortens.*

510. *O faciles.*] Amplificando rem poëta sententiose exclamat. *O faciles, &c.*] Dilatat narrationem ab exclamatione per indignationem in Deos nimis faciles in magnis rebus largiendis; sed qui gravatè eas tueantur; non verò quod nequeant, sed quod nolint. *Hortens.*

511. *Urbem populis, &c.*] Exaggerat indignitatem rei à loco, quod cives, qui consueverant urbes & castra exterarum gentium expugnare; nunc Romam frequentissimam, per ignaviam & metum deserant. Addit Hyperbolen, quæ omnes gentes humanas reciperet, si eò confluerent. *Hortens.*

512. *Generis.*] *Hyperbole.*

514. *Cum pressus, &c.*] Romani in agro hostili ab hoste pressi, fossa, vallo & aggere è cespitibus subito opere congestis se tuentur: jam vero urbem bene munitam & suam, sub primum adventantis Cæs. rumorem deserunt. *Gaudet Roma fuga, debellatique Quirites Romuli sonitu maurorum tecta relinquunt.* Petron. Arb.

522. *Pom-*

Digitized by Google

Effugit exiguo nocturna pericula vallo:
Et subitus rapti munimine cespitis agger
Præbet securos intra tentoria somnos.
Tu tantùm audito bellorum murmure Roma
Desereris; nox una tuis non credita muris.
Danda tamen venia est tantorum danda pavorum:
Pompeio fugiente timent. tum ne qua futuri
Spes saltem trepidas mentes levet, addita fati
Pejoris manifesta fides, Superique minaces,
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum.
Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentémque polum flammis, cœlóque volantes
Obliquas per inane faces, crinémque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno:
Et varias ignis denso dedit aëre formas.
Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emi-

522. *Pompeio fugiente timent.*] *Emphaticè*, Mag. illo Pompeio, gentium victore, civitatis suæ principe. *Quid tam parva queror? gemino cum Consule Magnus: Ille timor Ponti, &c. Pro pudor! Imperii deserto nomine fugit: ut Fortuna levis Magni quoque terga videret.* Petron. Arbit. *Tum ne qua, &c.*] Poëta ne videatur historicis cedere, portenta etiam & prodigia refert. Quod idem facit Appianus lib. 2. de civ. bell. Monstra, *inquit*, præterea ac signa cœlestia mentem pleruque territabant. Nam sanguinem pluisse, deorum sudasse simulachra, plurima è cœlo tacta fuisse templa: Mulam etiam peperisse memorant, multaque alia horrenda apparuisse, quæ Reip. interitum, mutationemque portenderent. Supplicationes igitur ut in communi consternatione decretæ sunt, &c.

526. *Ignota obscuræ, &c.*] Apparebant noctu stellæ non aliàs visæ aut observatæ.

527. *Ardentemque polum flammis.*] Cœlum ardere visum, quod fit sublatis in altiora ventis. *Cœlóque, &c.*] *Præcipites stellæ passimque volare videntur, Quum vaga per liquidum scintillant lumina mundum: Et tenues longis jaculantur crinibus ignes, &c.* Manil. 1.

528. *Crinemq, &c. terris mutant. &c.*] Crinitam stellam, κομήτην, diri ominis, tristia portendentem. *Nunquam spectatum impune cometam.* Claud. ἴδοις κομήτης ὅστις ἢ κακὸν φέρει. sed de his adi Meteorologos & Physicos.

530. *Fulgura fallaci, &c.*] E nube elisa naturaliter; in sereno non sine prodigio. *Diespiter igni corusco nubila dividens Plerumque per purum sonantes, Egit equos volucremque currum.* Horat. lib. 1. Od. 34.

532. *Jaculum longo, &c.*] Ἀκοντίας βολίς, subtilioribus commixtis constans, sursumque evolans. *Lampas, &c.*] Λύχνος, candela, fumus rarus & tenuis, in longum & latum distensus.

Digitized by Google

Emicuit cœlo : tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, & Arctóis rapiens de partibus ignem,
535 *Percussit Latiale caput : stellæque minores*
Per vacuum solitæ noctis decurrere tempus,
In medium venêre diem : cornúque coacto
Jam Phœbe toto fratrem cùm redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.
540 *Ipse caput medio Titan cùm ferret Olympo,*
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentésque coëgit
Desperare diem : qualem fugiente per ortus
Sole Thyesteæ noctem duxêre Mycenæ.
545 *Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ;*
Nec tulit in cœlum flammas, sed vertice prono
Ignis in Hesperium cecidit latus. atra Charybdis
Sanguineum fundo torsit mare. flebile sævi
Latravêre canes. Vestali raptus ab ara

Ignis,

533. *Tacitum sine, &c.*] Sine tonitru, e nube rara vel nulla.

534. *Arctois rapiens, &c.*] Quod perraro fit, cum Notus dicatur fulminis fabricator. verum hoc, ut notet hostes ex Septentrione adventare.

535. *Latiale caput.*] Capitolium, vel Romam caput Latii vel ædem Jovis Latialis in monte Albano.

537. *In medium venere diem.*] Appaerere medio die. *Cornuque coacto, &c.*] Luna defecit, pleno jam orbe instar solis & objectu terræ impedita, ne solem videret. *Parte alia plenos extinxit Cynthia vultus Et lucem scleri subduxit.* Petron.

538. *Fratrem cum redderet.*] Repræsentaret Solem integra rotunditate.

540. *Ipse caput medio, &c.*] Sol jam meridionalis deliquium passus est interventu Lunæ. *Ore cruento Deformis Titan vultus caligine texit.* Petron.

543. *Qualem fugiente per ortus.*] Sicut olim in ortum reverso sole cœnam Atrei abominante. vide Senecæ Thyesten, & quæ nos ad chorum ejus ultim.

545. *Ora ferox Siculæ, &c.*] Crateras, unde flammas, fumos, & interdum lapides ardentes eructat Ætna mons Siciliæ, aperuit, neque flammas sursum misit ut solita est, sed Italiam versus inclinatas, quasi mox civili bello arsuram. *Janque Ætna voratur ignibus insolitis.* Petron.

547. *Charybdis.*] Siculum fretum, in qua Charybdis vorago sanguinem ex imo eructavit.

548. *Flebile sævi, &c.*] Scylla saxum in freto Siculo, quam canibus marinis succinctam inguina fingunt, propter undas cavernis scopuli allisas & latrare visas, jam flebile quiddam sonuit.

549. *Vestali raptus, &c.*] Ignis Vestalis, de quo supra *Hl.* 199. extinctus.

550. *Ostem-*

550 *Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas*
Scinditur in partes, geminóque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos. tum cardine tellus
Subsedit, veterémque jugis nutantibus Alpes
Discussêre nivem. Tethys majoribus undis
555 *Hesperiam Calpen, summumque implevit Atlanta.*
Indigetes flevisse deos, Urbísque laborem
Testatos sudore Lares, delapsáque templis
Dona suis, dirásque diem fœdasse volucres
Accipimus; silvísque feras sub nocte relictis
560 *Audaces media posuisse cubilia Roma.*
Tum pecudum faciles humana ad murmura linguæ,
Monstrosíque hominum partus, numeróque modóque
Membrorum; matrémque suus conterruit infans:
Diráque per populum Cumanæ carmina vatis

Vul-

550. *Ostendens confectas, &c.*] Flamma sacrificii quod fiebat Jovi Latiali in monte Albano, conceptum nomine pop. Latini in feriis Latinis quotannis lib. 5. ℣. 400. in duas partes divisa ascendit, divisionem & discordiam portendens. *Confectas.*] Finitas: nam peracto nocturno sacrificio Latinæ finitæ erant. Unde alibi: *Vidit flammiferas confectas nocte Latinas. Latinas.*] Ita sæpè absolute ponitur, ut subaudiatur, *ferias.* Sulpitius.

552. *Thebanos imitata rogos.*] Rogi, in quem eundem Eteocles & Polynices filii OEdipi apud Thebas mutuis concisi vulneribus fuerunt conjecti, flamma in duas se partes divisit, æterni odii testis. Stat. 1. 2. lib.

553. *Subsedit.*] Diducta in hiatum subsedit. *Veterémque jugis, &c.*] Terræ motu agitatis Alpibus excussæ nives.

554. *Tethys majoribus, &c.*] Altius inundavit Oceanus occidentalis inter Calpen Hispaniæ terminum *Gibraltar* & Abylam extremum Mauritaniæ montem, pro quo videtur poëta posuisse Atlanta minorem, scil. *Errif.* prope Herculis columnas.

556. *Indigetes flevisse deos.*] Qui ex hominibus inter deos relati sunt.

557. *Lares.*] Deos domesticos, habitu peregrinantium formatos & canninis pellibus amictos. *Delapsaque templis, &c.*] Donaria, anathemata diis suspensa sponte decidisse.

558. *Diraque diem, &c.*] Ominosas & noctis filias aves interdiu apparuisse.

560. *Media posuisse cubilia.*] Dicit feras noctu è sylvis urbem intrasse, & in medio foro sua lustra posuisse; quod quidem significabat, urbem fuga civium desertum iri, & solitudinem quandam fore. *Hortens.*

561. *Tum pecudum, &c.*] Boves locutos, ut bello Punic. 2. & Macedonico. *Pecudesque locutas.* Virgil. 1. Georgicor.

562. *Monstrosique hominum, &c.*] Habentes membra plura vel pauciora, diversa, majora, &c.

564. *Cumanæ carmina, &c.*] Sibyllæ Cumanæ carmina.

565 *Vulgantur. tum, quos sectis Bellona lacertis*
Sæva movet, cecinêre deos: crinémque rotantes
Sanguinei populis ululârunt tristia Galli.
Compositis plenæ gemuerunt oßibus urnæ.
Tum fragor armorum, magnæque per avia voces
570 *Auditæ nemorum: & venientes cominus umbræ.*
Quique colunt junctos extremis mœnibus agros,
Diffugiunt: ingens Urbem cingebat Erinnys,
Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
Stridentésque comas: Thebanam qualis Agaven
575 *Impulit, aut sævi contorsit tela Lycurgi*
Eumenis: aut qualem jussu Junonis iniquæ
Horruit Alcides, viso jam Dite, Megæram.
Insonuêre tubæ, & quanto clamore cohortes
Miscentur, tantum nox atra silentibus auris

Edi-

565. *Quos sectis Bellona, &c.*] Corybantes & Galli numine Bellonæ & Cybeles afflati, sectis sibi humeris & lacertis, rotatoque capite saltantes vaticinabantur tristia. vide quæ nos ad Senec. Med. 804. cervices lubricis intorquentes motibus crinesque pendulos rotantes in circulum, &c. ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecant. Apul. 8. Met.

566. *Crinemque rotantes Sanguinei.*] Non *sanguineum crinem*, ut ante; sed illi sanguinolenti, *Quos circumtollunt gaudens Bellona cruentis.* Nostrum hoc ex conjectura probant manuscripti Thuani, & regiorum unus. *Grotius.*

567. *Ulularunt.*] Tristi voce & ululatu horrenda canebant. *Galli.*] Sic fuerunt hi sacerdotes appellati, à Gallo fluvio Phrygiæ, ad quem sua Orgia exercebant; sive quod ex eo bibentes furerent. *Hortens.*

568. *Compositis plenæ, &c.*] Manes etiam placati, gemuerunt è sepulchris.

569. *Tum fragor armorum, &c.*] Sic Virg. 1. Georg. *Armorum crepitus, &c.* & Ovid. 15. Metam. *Arma ferunt, &c.* quos noster videtur hic imitatus.

570. *Venientes cominus umbræ.*] Conspectæ prope umbræ. *Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis Umbrarum facies diro stridore minatur.* Petron.

572. *Ingens Urbem cingebat Erinnys, &c. Thebanam qualis Agaven Impulit, aut sævi contorsit, &c.*] Furia per urbem visa, purpureos concutere crines & flagrantem obviis intendere facem. *Emergit late Ditis chorus horrida Erinnys. Et Bellona minax, facibusque armata Megæra, Letumque, &c.* Petron. Arb. Qualis Agaven stimulavit in cædem filii sui Penthei, aut Lycurgum regem Thraciæ; qui dum Bacchi odio vites excinderet, sua sibi crura præcidit: aut Herculem, qui ab inferis reversus, immissa à Junone furia correptus, uxorem suam & liberos interfecit. Senec. Herc. Fu.

573. *Excutiens pinum.*] Agitans facem ex pinu, intentam in obvios.

578. *Insonuêre tubæ, &c.*] Noctu auditæ tubæ & exercituum concursus clamoresque.

580. *Et*

Digitized by Google

580 *Edidit: & medio visi consurgere Campo*
Tristia Syllani cecinêre oracula manes:
Tollentémque caput gelidas Anienis ad undas
Agricolæ fracto Marium fugêre sepulcro.
Hæc propter placuit Tuscos de more vetusto
585 *Acciri vates. quorum qui maximus ævo*
Aruns incoluit deserta mœnia Lunæ,
Fulminis edoctus motus, venásque calentes
Fibrarum, & monitus volitantis in aëre pennæ:
Monstra jubet primùm, quæ nullo semine discors
590 *Protulerat natura, rapi, sterilísque nefandos*
Ex utero fetus infaustis urere flammis.
Mox jubet & totam pavidis à civibus Urbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro:
Longa per extremos pomœria cingere fines
595 *Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.*

Turba

580. *Et medio, &c.*] Syllæ manes è sepulchro in campo Martio horrenda suique temporis æmula prædixerunt.

582. *Tollentemque caput, &c.*] Rusticis visus Marius emicans è sepulchro.

583. *Sepulcro.*] *Signate.* Sylla enim reversus victor Caji Marii reliquias sitas apud Anienem fluv. erutas dissipari jusserat.

584. *Tuscos de more, &c.*] Rerum divinarum atque sacrificiorum peritissimos. namque divinandi disciplinam, atque ritus ad religionem spectantes, Thusci à Græcis (hi autem à Chaldæis habuerant) percepta Romanis tradidere.

586. *Deserta mœnia.*] Incolis vacuæ & tatæ. *Lunæ.*] Primi Etruriæ oppidi, cum portu, à cujus sinu, Lunæ curvaturam referente, nomen habere videtur.

587. *Fulminis edoctus motus.*] Fulminum evocationes, aruspicinam, avium garritus & volatus callens, sic Virg. de Heleno, *interpres divûm, &c. Et volucrum linguas & præpetis omina pennæ.* Æn. 3.

589. *Monstra jubet primum.*] Aruns primùm jubet prodigia procurari, monstrosos partus cremari, urbem lustrari. *Nullo semine.*] Dubito an *nullo semine*, quasi sponte nata dicat: an rectius *misto semine*: ita enim melius cohæret *discors natura.* Δυμάκεστος ἴφυσι γίγνεσθαι τὰ τέρατα διὰ τὸ δύο γένεσι πίπτειν. Arist. de Gen. Animal. l. IV. c. IV. *Grot. Nullo semine, &c.*] H. Grotius legit *misto semine*, propter τὸ *discors natura*, quamvis possit de mula intelligi *sterili ex utero.*

591. *Ex utero.*] Hoc propter mulam, quæ pepererat, dixit.

593. *Ambiri.*] Circuitione solenni ac purgatione, Amburbio.

594. *Pomœria cingere fines.*] Spatium post, pone, vel proxime murum. quod neque habitari, neque arari fas erat.

595. *Pontifices, &c.*] Præcedebant Pontifices, rerum quæ ad sacra pertinent, doctores, consulti, custodes, dicti à ponte sublicio, quem fieri & restitui ab ipsis oportebat.

596. *Turba*

Digitized by Google

Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalémque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.
Tum qui fata deûm, secretáque carmina servant,
600 *Et lotam parvo revocant Almone Cybellen:*
Et doctus volucres Augur servare sinistras:
Septemvírque epulis festis, Titiúque sodales:
Et Salius læto portans ancilia collo:
Et tollens apicem generoso vertice Flamen.
605 *Dúmque illi effusam longis anfractibus urbem*
Circumeúnt, Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit, & terræ mæsto cum murmure condit,

Dátque

596. *Turba minor, &c.*] Minores sacerdotes. *Gabino.*] Toga sic in tergum rejecta, ut ejus lacinia revocata hominem cingeret. à Gabiis Volscorum opp. mos ortus, cujus cives ad subitaneum bellum ita cincti profecti, redierunt victores.

597. *Vestalemque chorum ducit.*] Numero sex. *Vittata sacerdos.*] Infulis ceu vittis, teniis caput cincta antistes Vestalium max.

598. *Trojanam Minervam.*] Palladium ab Æneâ è Troja in Italiam advectum.

599. *Qui fata deum, &c.*] Quindecim viri, quibus Sibyllinos libros custodiendi inspiciendique potestas.

600. *Lotam parvo, &c.*] Quinti Galli Cybeles sacerdotes matrem deûm Pessinuntiam in Almone fluv. quotannis lavabant. Ovid. 4. Fast. *Revocant.*] MSS. quidam *referunt.* non male. *Grot.*

601. *Augur.*] Augures. *Sinistras.*] Auspicatas, quia quæ à diis missa sunt dextra, nobis sunt sinistra; *vel* quia Romanis quibus in auspiciis captandis pars antica erat Meridies; Oriens, melior cœli pars, fuit sinistra.

602. *Septemvirque epulis.*] Septemviri Epulones, quibus ludorum epulare sacrificium curæ erat. *Festis.*] Non *festus.* Sed, *Septemvir festis epulis*, curandis scil. Ita ut emendavimus, habet MS. Puteanorum. *Grotius. Titiique sodales.*] Apollinis sac. à titiis avibus, quas observare soliti sunt. dicti aliis, à Tito Tatio. Tacit. 1. Annal.

603. *Salius læto, &c.*] Salii 12. Martis sacerdotes, ancilia, hoc est, scuta (è quibus unum è cœlo cecidisse fertur regnante Numa, imperio fatale) gestantes, saltantesque.

604. *Tollens Flamen.*] Flamines præcipue tres, Dialis, Martialis, Quirinalis, quasi Filamines dicti. quod licio in capite velati erant semper, ac caput cinctum habebant filo, Var. lib. 4. de L. L. à Pileo, Putarch. à flama, sacra ea est infula, Dionys. 2. vel à flammeo, velamento, capitis. Jos. Scal. in Varron. à virga lanata.

606. *Dispersos fulminis, &c.*] Dispersos ignes & fulgurita in unum redigit, tacita cum prece terræ condit, & locum appellat Bidental. vide quæ nos ad Persii Sat. 2. ℣. 27. Ex cœli regionibus inquit H. Grotius. Otc. *Cœli fulgura regionibus ratis temperanto.*

607. *Tacito cum murmure condit, &c.*] Significat monumentum eo loco factum, aram nempe vel Puteal, cum aliqua fortasse inscriptione, quæ testaretur fulgur

Dátque locis nomen, sacris tunc admovet aris
Electa cervice marem. jam fundere Bacchum
610 *Ceperat, obliquóque molas inducere cultro:*
Impatiénsque diu non grati victima sacri,
Cornua succincti premerent cùm torva ministri,
Deposito victum præbebat poplite collum.
Nec cruor emicuit solitus: sed vulnere largo
615 *Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.*
Palluit attonitus sacris feralibus Aruns:
Atque iram Superûm raptis quæsivit in extis.
Terruit ipse color vatem: nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidóque infecta cruore
620 *Plurimus asperso variabat sanguine livor.*

Cernit

fulgur sub illa ara conditum. Vetus Interpres Juvenalis hoc modo explicat quid sit fulgura condere: *condi fulgura dicuntur, quotiescunque Pontifex dispersos ignes in unum vediqi quadam tacita ignoratque prece, & locum aggestione consecratum it.* Salmas.

608. *Datque locis nomen.*] Ex cæli regionibus. Cicero: *Cæli fulgura regionibus ratis temperanta.*

609. *Electa cervice marem.*] Taurum egregium & eximium. *Fundere Bacchum.*] Fronti victimæ inter cornua invergere vinum.

610. *Obliquoque.*] Transverso, vel supposito. vide Thyest. Sen. ℣. 692. *Molas inducere cultro.*] Salsas fruges, hordeum sale mistum, quo frons victimæ, focus & culteri aspergebantur.

611. *Impatiensque diu, &c.*] Si hostia aris admota refugeret, reluctaretur, mugitum ictu daret, aut non placide caderet, ingratum censebatur sacrificium.

615. *Virus.*] Tetra & virulenta sanies.

616. *Feralibus Aruns.*] Funestis, exitialibus, *feras* enim antiqui mortem dixerunt.

617. *Extis.*] Exta sunt, quæ ex visceribus sacrificantur diis, vide quæ nos ad Sen. Thyest. ℣. 763. quæ eadem & *viscera* dici videntur, Oedip. Senec. ℣. 332. & 354.

618. *Terruit ipse color vatem.*] Videt enim exta maculosa, gelida, livida, tabida, putria. *Nam pallida, &c.*] Aruspices imaginatione dividebant jecur in duas partes *familiarem* & *hostilem*, deinde ex utriusque partis habitu, plenitudine, colore, &c. conjiciebant quid nobis, quid hosti esset eventurum. Cic. 2. de divin. *Quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset. Fissum familiare & vitale tractant.* Apparet duplex fissum fuisse: unum *familiare*, ut opinor, in jecore: alterum *vitale* in aliis extis, ut pulmone: de quo Lucanus, *Parvisque secat vitelia limes.* Fissum etiam unum erat nostrum, alterum hostium, eratque, ut conjicio, linea quædam & limes, qui fibras in extis, ut jecore medio, bipartito secabat & dirimebat. Erat & duplex in jecore caput, unum nostrum, alterum adversariorum. Lucan. *Ecce videt cap.* Hæc Turnebus lib. 5. Advers. cap. 18. & lib. 11. cap. 27. Hic autem ab hostili parte, Cæs. scilicet læta omnia; à familiari (Romæ scil. Pompeique) infausta conjicit.

621. *Tale*

Digitized by Google

Cernit tabe jecur madidum: venásque minaces
Hostili de parte videt. pulmonis anheli
Fibra latet, parvúsque secat vitalia limes.
Cor jacet: & saniem per hiantes viscera rimas
625 *Emittunt: prodúntque suas omenta latebras.*
Quódque (nefas) nullis impunè apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis: pars ægra & marcida pendet,
Pars micat, & celeri venas movet improba pulsu.
630 *His ubi concepit magnorum fata malorum,*
Exclamat: Vix fas Superi quacunque monetis
Prodere me populis: neque enim tibi summe litavi
Juppiter hoc sacrum: cæsique in viscera tauri
Inferni venêre Dei. non fanda timemus:
635 *Sed venient majora metu. Dii visa secundent,*
Et fibris sit nulla fides; sed conditor artis

Finxe-

621. *Tabe jecur.*] Jecur sanie corruptum. *Venasque minaces.*] Quasi exitium & calamitatem aliquam.

622. *Pulmonis anheli.*] Quod è pulmone, ceu folle respiramus & ducimus anhelitum. *Hortens.*

623. *Parvus limes.*] Præcordia indicat; membrana illa quæ cor & pulmones à jecore & liene dirimit, Græcis diaphragma appellatur.

624. *Cor jacet.*] Cor non palpitat. *Et saniem.*] Putridum & corruptum sanguinem. *Hiantes rimas.*] Fissuras se aperientes. *Produnt.*] Ostendunt. *Hort. Sulpit.*

627. *Capiti fibrarum, &c.*] Visa sunt etiam, inquit, magni mali argumentum duo jocinoris capita, quorum unum ab altero opprimebatur. *Impune.*] Sine gravi incommodo. *Increscere.*] Insurgere, & hoc victoriam indicat. *Sulpitius.*

628. *Pendet.*] Non movetur.

629. *Pars micat.*] Salit & palpitat. *Improba.*] Audax. *Celeri pulsu.*] Quo audacia & celeritas Cæsaris significatur.

631. *Monetis.*] Alii, *movetis.*

632. *Neque enim tibi summe litavi, &c. cæsique in viscera tauri, &c.*] Video me non litasse, id est, non placasse Jovem hac hostia ingrata, cujus extis dii iras suas ostenderunt. vel piaculari, qua erratum est, forte quod Jovi taurum immolari negant. vide quæ ad Sen. Medeam, ✠l. 61. & Hercu. Fu. vers. 299. Omnia vero apparuere tristia, ac si diis inferis litassem. Virgil. 6. Æneid. *Tum Stygio regi, &c.*

634. *Inferni venere.*] Eruditè exponit, quibus Diis tauro litavit; nempe inferis, quos in viscera venisse ait. *Majora.*] Detestabiliora. *Hortens.*

635. *Dii visa secundent.*] Benè precantis, & deprecantis infortunium; imò calamitatem imminentem, quam exta portenderent. *Hortens.*

636. *Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis, &c.*] Et fallat aruspicina ars, neque fides habeatur Tagi artis hujus inventori, hunc autem, è sulco in agro Tarqui-

Finxerit ista Tages. flexu sic omina Tuscum
Involvens, multáque tegens ambage canebat.
At Figulus, cui cura Deos, secretáque cœli
640 *Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis*
Æquaret visu, numerisque moventibus astra,
Aut hic errat (ait) nulla cum lege per ævum
Mundus, & incerto discurrunt sidera motu:
Aut, si fata movent, orbi, generíque paratur
645 *Humano matura lues. terræ ne debiscent,*
Subsidentque urbes? an tollet fervidus aër
Temperiem? segetes tellus infida negabit?
Omnis an infusis miscebitur unda venenis?
Quod cladis genus, ô Superi? qua peste paratis
650 *Sævitiam? extremi multorum tempus in unum*
Convenêre dies. summo si frigida cœlo

Stella

Tarquiniensi natum puerili specie docuisse Etruscos aruspicinam, refert Cicer. 2. de divin. & Ovid. 15. Met.

637. *Omina.*] Alii *omma.*

639. *At Figulus.*] Lucanus, antequam ad prædictionem futuri belli è figura revolutionum & planetarum perveniat, præmittit artificiose prosopographiam Figuli, cum amplificatione, ab exacta Astrologiæ scientia. *Horatius. Figulus.*] Nigidii Figuli Pythagorici summi astrologi meminit Cic. A. Gellius sæpius, & Euseb. *Deos, &c.*] Stellas, quæ nonnullis dii, *vel* deorum mentem, ex stellis. *Secretaque cœli.*] Motus & vires siderum.

640. *Quem non stellarum, &c.*] Qui siderum observationis judiciique ex iis peritia præibat Ægyptios astrologos, est autem Memphis nobilissima Ægypti civitas, *Cairo.*

641. *Visu.*] Inspectione & observatione. *Numerisque.*] Canoris spatiis temporum, quibus se astra per gradus movent, quadam cum harmonia, ut Cic. docet. *Sulpit.*

642. *Aut hic errat, &c.*] Si cœlum hoc volvatur certa lege & providentia divina, neque fortuito & casu (ut volunt stulti) erret, si efficacia & influxu suo superiora illa & cœlestia corpora agant in hæc inferiora: magna certe instat terrarum orbi incolisque clades. At quænam illa? Terræne hiatus? An pestis ex aëris corrupti intemperie? *Errat.*] Movetur & vertitur. *Per ævum.*] Per æternitatem.

643. *Incerto.*] Temerario & fortuito.

646. *Subsident.*] Pessum ibunt, submergentur, & obruentur. *Tollet temperiem.*] Fiet intemperatus.

647. *Segetes tellus infida negabit? Omnis an infusis, &c.*] Utrum fames è terræ sterilitate? An ex aqua veneno infecta & corrupta lues?

650. *Extremi multorum, &c.*] Exitiales è multis aspectus conspiravere in hoc unum tempus, ut sit deterrimum.

651. *Summo si frigida cœlo, &c.*] Si Saturnus obtineret in summo cælo, id est, medio Aquarium, qui una est è sedibus

Digitized by Google

Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes;
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
Totáque diffuso latuisset in æquore tellus.
655 *Si sævum radiis Nemeæum Phœbe Leonem*
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensúsque suis flagrasset curribus æther.
Hi cessant ignes. tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, chelásque peruris,
660 *Quid tantum Gradive paras? nam mitis in alto*
Juppiter Occasu premitur, Venerísque salubre
Sidus hebet, motúque celer Cyllenius hæret,
Et cœlum Mars solus habet. cur signa meatus

Dese-

sedibus Saturni; diluvium timeretur, quale fuit tempore Deucalionis. *Quod tamen Olympiodorus fieri posse negat nisi magni anni hyeme, ubi omnes planetæ conjuncti sunt in hyberno signo: piscibus aut Aquario.*

652. *Stella frigida.*] Quod longissime à Sole recedat suprà, quo is penetrare nequit, ut ad inferiores planetas. *Nigros.*] Ob propinquitatem proximorum circulorum, quum alioquin sit colore candido stella. *Hortens.*

653. *Deucalioneos.*] Quales cecidere tempore Deucalionis, & Pyrrhæ, quo mundus aquarum diluvio obrutus fuit. *Hortens.*

655. *Si sævum radiis.*] Si Sol deprehensus esset in Leone, ut propria sede: periculum esset, ne conflagraret mundus. *Neque hoc fit nisi magni anni æstate.* Turnebus lib. 21. cap. 18. *Nemeæum Phœbe Leonem.*] Leonem ab Hercule in Nemea sylva interfectum, & in stellas relatum.

658. *Hi cessant ignes. tu qui flagrante, &c.*] Verum, hi planetæ non ita deprehenduntur, sed tu O Mars, in Scorpio, cujus chelæ in Libram extenduntur, dominate, quæ bella paras? *Tu qui, &c.*] Aversio ad Martem, qui cum natura calidus sit & siccus, accendit in humanis corporibus choleram, audaciam ad furorem usque & insolentiam, roburque gignit. Martis domus sunt Scorpius & Aries, pessimum omnium sidus, si deprehendatur in Scorpione. *Hortens.*

659. *Scorpion.*] Prior Scorpii pars, quæ Chelæ dicuntur ab æquinoctiali circulo ita premitur, ut eum sustinere plane videatur. *Chelasque.*] Chelæ Scorpii brachia sunt. *Hortens. Sulpit.*

660. *Mitis in alto, &c.*] Benigna Jovis stella in casu seu dejectione sua premitur.

661. *Venerisque salubre, &c.*] Salutaris stella Veneris, languet iners, retunditur.

662. *Motuque celer, &c.*] Mercurius alibi celer, hic hæret hebetque. *Celer Mercur.*] Celerem vocat ob id, quod novem diebus ociore ambitu permeet suum orbem quam Sol. Sedes habet Virginem & Geminos.

663. *Cœlum Mars solus habet.*] Mars solus dominus anni, in 10. regione, summum cœlum tenens in Scorp. cæteris planetis destitutis propria sua sede, & hebentibus, prævalebit producetque suos effectus, bella nefaria.

664. *Nun-*

Digitized by Google

Deseruêre suos, mundóque obscura feruntur:
665 *Ensiferi nimium fulget latus Orionis?*
Imminet armorum rabies: ferríque potestas
Confundet jus omne manu: scelerique nefando
Nomen erit virtus: multósque exibit in annos
Hic furor. & Superos quid prodest poscere finem?
670 *Cum domino pax ista venit. duc Roma malorum*
Continuam seriem: cladémque in tempora multa
Extrahe, civili tantùm jam libera bello.
Terruerant satis hæc pavidam præsagia plebem:
Sed majora premunt. nam qualis vertice Pindi
675 *Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo:*

Talis

654. *Mundoque.*] Per cælum. *Obscura.*] Et propter eclypses hoc dixit, & quia à malis futuris, & à terra contrahere nigredinem. *Sulpit.*

665. *Nimium fulget latus Orionis?*] Stella primæ magnitudinis in dextro humero, tres secundæ magnitudinis in balteo Orionis, &c. nimio fulgore portendent belli ardorem. *Latus Orionis.*] Orion sidus est, quod in suo ortu & occasu tempestates acerrimas concitat, bellaque & cædes sæpe portendit. Effingitur in formam juvenis ense accincti. *Sulpit.*

666. *Ferrique potestas.*] Id est, vis justitiam opprimet, & jus fasque omne. Et audacia & scelus pro virtute habebuntur. *Sulpit. Ferrique potestas.*] Supra ℣. 2. hujus libri.

668. *Multosque exibit, &c.*] Duravit quinque pene annos bellum civile.

669. *Et Superos, &c.*] Neque fas est, neque è Rep. votis exposcere finem hujus belli, qui non datur sine oppressione libertatis; extendatur itaque hoc bellum utcunque miserum: ut vel sic fruamur libertate.

670. *Cum domino.*] Cum Cæsare victore pax quidem brevis veniet, sed ea cum servitute. *Duc Roma, &c.*] Aversione precatur longum & diuturnum bellum civile, ut libertas tanto sit diuturnior, quam Roma simul amissura est cum pace. Atque hæc quidem dicit Martem in statione cæli minari. *Hort.*

673. *Terruerant, &c.*] Verba sunt Poëtæ: licet, inquit, omnia ista prodigia, aruspicum responsa, & Mathematici prædictiones, terrorem hominum animis incutiebant; tamen fatidicæ mulierculæ enthysiasmo agitatæ vaticinium, multò magis civium mentes percellebant. *Hortens.*

674. *Nam qualis, &c.*] Nam matrona, non levius quam solent Threissæ mulieres furore Thebani Bacchi correptæ, per montes Thessaliæ ferri, Phœbi afflatu agitata, sic vaticinata est.

675. *Edonis.*] Baccha seu Mænas, Bacchi sacerdos. Edon Thraciæ mons est, quem ita dictum volunt ab Edono Mydonis fratre germano. Hinc Edonis Threissa. *Hortens.* Non est ἡ Ἠδωνὶς, nec systolen fecit poëta, Ἠδωνὶς scribens pro Ἠδωνὶς, ut vult Servius: sed legendum *Odonis.* ἡ Ὠδωνὶς. *Odonis* Thraciæ pop. ut *Bistones.* inde Ὠδωνὶς, mulier, ut Βισωνὶς. *Salmas. Ogygio Lyæo.*] Plena Baccho, & Bacchi furore af-

Digitized by Google

Talis & attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus his prodens urgentem pectora Phœbum.
Quò feror ô Pæan? qua me super æthera raptam
Constituis terra? video Pangæa nivosis
680 *Cana jugis, latósque Æmi sub rupe Philippos.*
Quis furor hic, ô Phœbe, doce: quæ tela, manusque
Romanæ miscent acies, bellúmque sine hoste est?
Quò diversa feror? primos me ducis in ortus,
Quà mare Lagæi mutatur gurgite Nili.
685 *Hunc ego, fluminea deformis truncus arena*
Qui jacet, agnosco: dubiam super æquora Syrtim,
Arentemque feror Libyen, quò tristis Erinnys

Trans-

flata. Ogygia insula est contrà Lacinium promontorium. Plin. lib. 3. cap. 10. *Lyæus* Bacchus dicitur à solvendo, quod vinum immodice haustum membra solvat & enervet.

678. *Quo feror.*] Verba sunt vatis insanæ ad Phœbum, cujus numine agitata, fingit se nescire quo gentium. *Pæan.*] Apollo ἀπὸ τοῦ παιέιν, vel παιόειν τοὺς ἀνίους. vel ab acclamatione Latonæ, cæso Pythone ἰὰ παιῆ.

679. *Video.*] Ita Dis apud Petronium: *Cerno equidem gemina jam stratos morte Philippos, Thessaliæque rogos, & funera gentis Iberæ, &c. Pangæa nivosis Cana jugis, latosque Æmi, &c.*] Juga, montem Thraciæ; & Philippos civitatem ad radicem Æmi montis Thraciæ: *Ubi videtur noster innuere, pugnatum esse inter Pompeium & Cæsarem, quod & à plerisque aliis autoribus factum est*, à Virgilio 1. Georg. *Romanæ acies iterum videre Philippi.* Ovid. 15. Met. *Pharsalia sentiet illum, Æmathiique iterum madefient cæde Philippi.* & Floro lib. 4. cap. 2. *Et Philippicis campis, urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt.* Locutis interim de pugna Pharsalica inter Pomp. & Cæs. At male confunduntur Philippi & Pharsalia, longe inter se dissita. Apud Pharsalum quidem in Thessalia victus est Pompeius à Cæsare. Apud Philippos in Thracia devicti Brutus & Cassius: postea ab Antonio & Octavio.

681. *Quæ tela, manusque.*] Præferam ex MS. Puteanor.

Quis furor hic, ô Phœbe, doce, quod tela manusque
Romanæ miscent acies, bellumque sine hoste est.

682. *Hoste.*] Externo. *Hostis* apud majores nostros dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus. Cic. 1. Off.

683. *Quo diversa feror.*] In quas diversas orbis partes rapior? *Primos me ducis in ortus.*] Ægyptum innuit, quo fugientem post Pharsalicam pugnam Pompeium Cæsar secuturus erat.

684. *Quà mare Lagæi, &c.*] Qua septem ostiis in mare lapsus colorem ejus & saporem mutat Nilus fluv. Ægypti quondam regnatæ Ptolomæo Lagi F. lib. 8. ℣. 691. *Lagæi Nili.*] Hoc est Ægyptii, à Ptolomæo Lago, primo rege Ægyptiorum, post Alexandri mortem.

685. *Hunc ego.*] Pompeium, ab Achilla jussu Ptolomæi obtruncandum.

686. *Dubiam Syrtim.*] Periculosam. *Syrtim.*] Supra ℣. 367.

687. *Arentemque feror Libyen.*] In Afri-

Digitized by Google

Transtulit Emathias acies. nunc desuper Alpis
Nubiferæ colles, atque aëriam Pyrenen
690 *Abripimur. patriæ sedes remeamus in urbis:*
Impiaque in medio peraguntur bella senatu.
Consurgunt partes iterum, totúmque per orbem
Rursus eo. nova da mihi cernere littora ponti,
Tellurémque novam: vidi jam Phœbe Philippos.
695 *Hæc ait: & lasso jacuit defecta furore.*

M. AN-

Africam, quo se recipient, qui pugnæ Pharsalicæ superfuerint. *Feror Libyen.*] Micyllus notat, poëtis valdè familiare esse, ἀδόκητα λαμβάνειν dicere, *feror Libyen, Syrtim*, pro in Libyen, Syrtim.

688. *Nunc desuper Alpis, &c.*] Expeditionem Cæsaris per montes Pyrenæos in Hispaniam designat, expugnaturi Petreium & Afranium, mox Pompeji filios ad Mundam.

690. *Patriæ sedes remeamus in urbis.*] Cæsar Romam reversus Remp. constituet.

691. *Impiaque in medio, &c.*] Interficietur Cæsar in senatu.

692. *Consurgunt partes iterum.*] Octavius & Antonius ultori Cæsaris percussores Brutum, Cassium, &c. *Totumque per orbem, &c.*] Athenas, Armeniam, Parthiam, Ægyptum, quo se devictis ad Philippos Cassio & Bruto, confert Antonius, & ipse mox ab Octavio superandus navali pugna ad Actium.

693. *Nova da mihi cernere.*] Concede, ut videam pugnas navales alibi, quam ubi conspexi. Intelligimus autem ipsam vidisse ea, quæ in mari Hadriatico, & ad Massiliam Cæsaris tempore gesta sunt; & nunc videre alias apud Siciliam, quæ ab Augusto contrà Sextum Pompeium gerentur; & in Antonium & Cleopatram in mari Actiaco. *Sulpit.*

695. *Lasso.*] Ita legendum, non *lapso*, aut *laxo*. Sic & habent MSS. Puteanor. & Thuani. *Grotius. Lasso jacuit defecta furore.*] *Cessit furor & rabida ora quierunt.* Virg. 6. Æneid.

M. ANNÆI LUCANI

CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ, LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

EST ubi conquestus nosci ventura Secundus,
Justitio indicto narrat fera tempora Syllæ.
Post hæc Brutus adit constanti mente Catonem;
Cui rursum nubit funesto Martia cultu.
It Capuam Magnus: latè occupat omnia Cæsar:
Teque capit Domiti: sequitur tum concio Magni.
Brundusio it natus, cujus tentare remota
Auxilia: obsessusque tamen vix effugit ipse.

Amque iræ patuere deûm, manifestáque belli
Signa dedit mundûs: legésque, & fœdera rerum,
Præscia monstrifero vertit natura tumultu,
Indixitque nefas. cur hanc tibi rector Olympi
5 *Sollicitus visum mortalibus addere curam,*

Noscant

1. *Amque.*] Monstra primum ac prodigia solicitudinem, & curam sciendi quid hæc portenderent, injecerant: bella mox ex aruspicis, astrologi, Phœbādis vaticiniis prædicta, timorem & consternationem incusserant, Jovem itaque precatur poëta, ne liceat sortes futuras vel è portentis deorum, vel è præsagiis hominum præscire, fierique ex animo miseris priusquam è fato fiant. *Iræ patuere deûm, &c.*] *Continuo clades hominum venturaque damna Auspiciis patuere deûm, &c.* Petronius.

3. *Monstrifero tumultu.*] Qui toto orbe, tot prodigiis præcedentibus, statim coortus fuit. *Hortens.*

4. *Indixitque nefas.*] Hoc est, natura præscia rerum futurarum, ante tempus denuntiavit bellum, quo cruciatus animorum

Digitized by Google

Noscant venturas ut dira per omina clades?
Sive parens rerum cùm primùm informia regna,
Materiámque rudem flamma cedente recepit,
Fixit in æternum causas, qua cuncta coërcet,
10 *Se quoque lege tenens, & secula jussa ferentem*
Fatorum immoto divisit limite mundum:
Sive nihil positum est, sed fors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, & habent mortalia casum:
Sit subitum quodcunque paras: sit cæca futuri
15 *Mens hominum fati: liceat sperare timenti.*
Ergo ubi concipiunt quantis sit cladibus Urbi
Constatura fides Superûm, ferale per urbem
Justitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.
20 *Tum questus tenuêre suos, magnusque per omnes*

Erra-

maorum ex metu imminentium malorum gravior esset & diuturnior. *Cur hanc.*] Aversio ad Jovem, qua quærit causas, cur mortales hoc pacto præmonitos suorum malorum, & miseros esse ante tempus voluerit. *Hortens.*

7. *Sive parens, &c.*] Sive (ex sententia Stoïcorum) omnia regantur fatali necessitate, & legibus quas ab orbe condito posuit Deus, quas semel jussit, quibus semper paret; sive, ut volunt Epicurei, temere omnia & casibus eveniant; sit *Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ.* Statius Theb. 3. *superæ seu conditor aulæ, &c.* Cic. Div. præscientia malorum cui provideri & caveri non potest, inutilis est, &c. vide & dissertationem Favorini apud A. Gellium, lib. 14. cap. 1. Senec. passim & Boëtium. *Informia regna.*] Intelligit chaos, & rudem illam materiam.

9. *Qua cuncta, &c.*] Qua lege cuncta gubernat & regit; eadem quoque & se tenet. Ergo ut Stoïcus fatetur divinam providentiam omnia moderari. *Hortensius.*

10. *Se quoque lege tenens.*] Ita Seneca de Deo ex Stoïcorum sententia: *Semper paret, semel jussit.* Grotius.

11. *Fatorum immoto.*] Hoc est firmo, immutabili & inevitabili termino ac fato omnia distinxit. *Hortens.*

12. *Positum est.*] Fato decretum. *Fors.*] Alii *sors.*

14. *Sit subitum, &c.*] Si casu fortunæ omnia eveniunt; id quod negant Platonici, ut subitum & improvisum sit, quod futurum est. *Sit cæca.*] Ignoret mens humana ea, quæ sint eventura, ne ante tempus turbent & cruciatum adferant. *Hortens.*

16. *Ergo ubi concipiunt, &c.*] Postquam igitur ex ostentis & vaticiniis innotuit quantas clades allatura esset prodigiorum certitudo: indicta est juris dicundi statio ceu intermissio, quod non nisi in publica calamitate, luctu aut necessitate fiebat. *Urbi.*] Alii, *Orbi.*

18. *Latuit plebeio, &c.*] Magistratus omnes sumpserunt plebeios habitus; neque à vulgo discernebantur veste. ipsi Consules exuebant purpuram.

Digitized by Google

Erravit sine voce dolor. sic funere primo
Attonitæ tacuêre domus, cùm corpora nondum
Conclamata jacent, nec mater crine soluto
Exigit ad sævos famulorum brachia planctus:
25 *Sed cùm membra premit fugiente rigentia vita,*
Vultúsque exanimes, oculósque in morte jacentes;
Nec dum est ille dolor, sed jam metus: incubat amens,
Miratúrque malum. Cultus matrona priores
Deposuit: mæstæque tenent delubra caterva.
30 *Hæ lacrymis sparsêre Deos, hæ pectora duro*
Afflixêre solo: lacerásque in limine sacro
Attonitæ fudêre comas: votísque vocari
Assuetas crebris feriunt ululatibus aures.
Nec cunctæ summi templo jacuêre Tonantis:
35 *Divisêre deos: & nullis defuit aris*

Invi-

21. *Sic funere primo, &c.*] Quali dolore silent stupentque qui animam jam exhalanti adstant. ubi vero expiravit, conclamabant & nomine ter vocatum jubebant æternum valere: *Salve mi maxime Palla Æternumq; vale.* Virg. 11. Æn. hinc *conclamare* in desperationis proverbium abiit.

24. *Exigit ad sævos, &c.*] Tanquam præfica modum luctus & planctus signa dat. vide quæ ad Sen. Troad. ✠ſ. 83.

25. *Sed cum membra, &c.*] Cum vero mater in extremo quasi amplexu premit membra rigida.

26. *Oculosque in morte jacentes.*] Ita manuscripti, non *minaces*, quod huic loco minime convenit. *Grotius.*

27. *Nec dum est, &c.*] Micyllus suspicatur hæc esse transposita, legendumque: *Nec dum est ille metus, sed jam dolor*, quasi dicat, omni jam vitæ spe deplorata metum in dolorem abiisse. *Incubat amens.*] Superinstat filio, præ dolore insaniens. *Sulpit.*

28. *Cultus matrona, &c.*] Sic jam matres vestis mutatione, planctu, sparso crine, luctu, supplicatione dolorem veluti in publica calamitate testantur.

31. *Afflixere solo.*] In templis se prostravere. Gronovius legit *Adfixere*, ut in MSS. quatuor reperit. Neque enim impetu se prosternendi; sed decenti submissione, & approximando, ut Apuleii verbo utar, os terræ, inque eo habitu aliquandiu permanendo, venerationem monstrabant. Silius lib. 1. *Adfigunt proni squallentia corpora terræ.*

34. *Nec cunctæ summi, &c. Divisere deos.*] Sed aliæ alia deorum templa petebant.

35. *Et nullis defuit aris, &c.*] Diis, qui non exaudirent supplices. Invidiam alicui facit qui ejus sævitiam in odium adducit. *Ante ipsas, quo mors foret invidiosior, aras.* Ovid. Met. 7. vel, Ne invidiam & indignationem diis inter se moveret omnes frequentavit aras, nullis defuit. Copulativa sc. pro disjunctiva posita, ut supra monui l. 1. ✠ſ. 252. quandoque pro negativa præcedente negatione quod nostro usitatum, infra ✠ſ. 235. lib. 5. ✠ſ. 542.

40. *Nunc*

Invidiam factura parens: quarum una madentes
Scissa genas, planctu liventes atra lacertos,
Nunc, ait, ô misera contundite pectora matres,
Nunc laniate comas, nêve hunc differte dolorem,
40 *Et summis servate malis: nunc flere potestas*
Dum pendet fortuna ducum: tùm vicerit alter,
Gaudendum est. his se stimulis dolor ipse lacessit.
Nec non bella, viri, diversáque castra petentes
Effundunt justas in numina sæva querelas.
45 *O miseræ sortis, quòd non in Punica nati*
Tempora Cannarum fuimus, Trebiæque, juventus.
Non pacem petimus Superi: date gentibus iras:
Nunc urbes excite feras: conjuret in arma
Mundus: Achæmeniis decurrant Medica Susis
50 *Agmina: Massagetas Scythicus non alliget Ister:*
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëvos
Albis, & indomitum Rheni caput: omnibus hostes

Red-

40. *Nunc flere potestas, &c.*] Licet indulgere lacrymis & dolorem luctu fateri, quandiu neuter vicerit; at cum alter vicerit, vel ex animo vel simulate gaudendum est.

43. *Diversaque castra, &c.*] Alter-utra; alii Pompeiana, alii Cæsariana.

45. *O miseræ sortis, &c.*] O felices illos, quibus contigere hostes externi, nec unque crudeles, & quibus natis tempore Punicorum bellorum contigit oppetere, vel clade Cannensi, in qua periit P. Æmilius Coss. cum 44000. Roman. vel ad Trebiam fluv. ubi L. Sempronius Cos. magna clade ab Annibale victus fuit. miseros heu nos, qui in hæc civilis belli tempora incidimus.

47. *Non pacem petimus.*] Concessio, quod non recusent bellum; sed quod petant alunde sibi inferri, quam à suis. *Date gentibus iras.*] Concitent tantum alias gentes ad arma Romana lacessenda, si omninò bellandum sit. Inde enumerat aliquot gentes immanitate barbaras, cum quibus aliquando Pop. Rom. bellum habuerit. *Hortens.*

48. *Excite feras.*] Adversus nos.

49. *Achæmeniis, &c.*] Contra nos veniant Parthi è Susis civitate Persidis. lib. 8. *ÿs.* 224. Persæ autem & Medi confuse ponuntur pro Parthis gravibus Rom. nominis hostibus, apud quos Crassus cum filio & exercitu nuper perierant.

50. *Massagetas Scythicus.*] Neque Ister prohibeat Scythas & Sauromatas quominus in nos irruant. Ad Massagetas vero non pervenit Ister, neque è Scythia fluit.

51. *Flavos Suëvos.*] Bavaros, Polonos, Pomeranos, quibus cæsaries flava.

52. *Albis.*] *Elbe.* Germaniæ fluv. è montibus Bohemiæ ortus. *Indomitum Rheni caput.*] Rhenus duos habet fontes inter Rhætos, quos Augustus coërcuit, non domuit. Sueton.

Reddite nos populis: civile avertite bellum:
Hinc Dacus premat, inde Getes: occurrat Iberis
55 *Alter; ad Eoas hic vertat signa pharetras.*
Nulla vacet tibi Roma manus. vel perdere nomen
Si placet Hesperium Superi, collapsus in ignes
Plurimus ad terram per fulmina decidat æther.
Sæve parens, utrasque simul partésque ducésque,
60 *Dum nondum meruêre, feri. tantóne novorum*
Proventu scelerum quærunt, uter imperet Urbi?
Vix tanti fuerat civilia bella moveri,
Ut neuter. Tales pietas peritura querelas
Egerit: at miseros angit sua cura parentes,
65 *Oderúntque gravis vivacia fata senecta,*
Servatósque iterum bellis civilibus annos.
Atque aliquis magno quærens exempla timori,
Non alios, inquit, motus tunc fata parabant,

Cùm

54. *Dacus premat, inde Getes.*] Sarmatiæ Europeæ pop. *Walachi*, *Moldavi*, *Transylvani*. *Occurrat*, *&c.*] Occupentur Pompeius & Cæsar externis bellis. alter in Hispanos, alter ducat legiones in Parthos pharetratos.

56. *Nulla vacet tibi Roma manus.*] Omnes gentes Romam undique hostili animo petant. *Vel perdere*, *&c.*] Si vobis ô Superi decretum sit funditus perdere Rom. nomen, vestra manu pereat, fulmine cœlitus in terras misso.

60. *Dum nondum meruere.*] Antequam civili polluantur sanguine. *Feri.*] Percutias.

61. *Proventu scelerum.*] Libertate scelerum. *Urbi.*] Alii, *Orbi.*

62. *Vix tanti*, *&c.*] Civile bellum non erat movendum, ut neuter imp. id est, prò ipsa etiam libertate tuenda. *Moveri.*] Alii, *movere.*

63. *Ut neuter.*] Nec Cæsar, nec Pompeius. An ergò tanta clade armis civilibus omnia miscere oportet, ut neuter lætam victoriam reportarit? *Peritura.*] Nil profutura.

64. *Egerit.*] Effundit; ab *egero*, *vis.* *At miseros angit*, *&c.*] Senes de legibus fatorum questos & nimio de stamine, quod hæc in tempora durent, quod facinus admiserint dignum tam longo ævo. Juv. 10. sat.

67. *Atque aliquis*, *&c.*] Atque aliquis senum expressurus præsentem calamitatem, repetit civilis inter Marium & Syllam belli faciem, cui hanc confert. Audi Dionem lib 41. Jam cum iras cupiditatesque eorum qui Romam petebant, secum expenderent, memoriaque repeterent mala superiorum temporum, quæ partim ipsi senserant, partim ex aliis audierant, cogitantes quæ & quanta Marius ac Sylla edidissent facinora, nihil de Cæsare moderati sibi pollicebantur: sed longe plura atque atrociora metuebant, quod ejus milites majori ex parte barbari erant.

68. *Tunc fata*, *&c.*] Priori civili bello inter Marium & Syllam.

69. *Cum*

Digitized by Google

Cùm post Teutonicos victor, Libycósque triumphos
70 *Exul limosa Marius caput abdidit ulva.*
Stagna avidi texêre soli, laxæque paludes
Depositum Fortuna, tuum: mox vincula ferri
Exedêre senem, longúsque in carcere pædor.
Consul, & eversa felix moriturus in urbe
75 *Pœnas antè dabat scelerum. mors ipsa refugit*
Sæpe virum, frustráque hosti est concessa potestas
Sanguinis invisi. primo qui cædis in ictu
Diriguit, ferrúmque manu torpente remisit;
Viderat immensam tenebroso in carcere lucem,
80 *Terribilesque Deos scelerum: Mariúmque futurum:*
Audierátque pavens: Non hæc contingere fas est

Colla

69. *Cum post Teutonicos, &c.*] Postquam triumphasset de Jugurtha subacta Numidia; & postea de Cimbris & Teutonibus. supra lib. 1. ✠ 254.

70. *Exul limosa Marius, &c.*] C. Marius invidens, Cor. Syllæ gloriam traditi à Boccho Jugurthæ; & ambitione ardens, delatam Syllæ contra Mithridatem expeditionem, & imperium abrogare per Sulpitium trib. pl. conatus, Syllam, qui adhuc in Campania socialis belli reliquias persequebatur, irritavit. Hic itaque exercitu Romam ducto, Urbem ingressus, devictos adversarios ex S. C. hostes judicatos urbe expulit. Elapsus fuga Marius, in Minturnensium paludibus, demersus calamis & palustribus herbis tectus delituit. hinc emergens equitum strepitu territus, ab iis quos Geminianus miserat deprehensus, Minturnas in custodiam, ut publice necaretur abreptus est.

71. *Stagna avidi, &c.*] *Uvidi* MS. Puteanor. unde promptum emendare: *Stagna udi texêre soli.* Nec dubitem, quin ita legendum. Grotius. *Avidi texêre soli.*] Bibuli. *Laxæque paludes.*] Quæ Marium demersum admitterent.

72. *Depositum.*] Reservatum ad septimum Consulatum.

73. *Exedere.*] Attrivere, consumpsere.

74. *Consul, &c.*] Cos. septimum futurus & victor ultorque hostium moriturus in urbe.

75. *Pœnas ante dabat scelerum.*] Tulit jam pœnas eorum scelerum quæ perpetraturus erat postmodo Romam reversus. *Mors ipsa, &c.*] Carnifex Minturnensium, Cimber ceu Gallus, ingressus carcerem tenebricosum, percussurus Marium, vidit ignem ex oculis Marii emicantem, audiitque vocem: *Tune homo Marium interficere audes?* Territus fugit Cimber, & Minturnenses miseratione & reverentia viri, quondam vindicis Italiæ dicti, Marium dimisere.

76. *Hosti est concessa potestas.*] Cimbro, olim è numero hostium à Mario devictorum.

77. *Sanguinis invisi.*] Marii, quem victorem oderat.

80. *Deos scelerum.*] Furias θεὰς νοτερίους. Dii autem utriusque sunt generis. *Mariumque futurum.*] *Emphaticè.* futurum sc. crudelem ultorem.

Colla tibi: debet multas hic legibus ævi,
Ante suam, mortes: vanum depone furorem.
Si libet ulcisci deletæ funera gentis,
85 *Hunc Cimbri servate senem. non ille favore*
Numinis, ingenti Superûm protectus ab ira,
Vir ferus, & Romam cupienti perdere fato
Sufficiens. idem pelago delatus iniquo
Hostilem in terram, vacuisque mapalibus actus,
90 *Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ,*
Et Pœnos pressit cineres. solatia fati
Carthago, Mariúsque tulit: paritérque jacentes
Ignovêre deis. Libycas ibi colligit iras,

Ut

82. *Legibus ævi.*] Morti, quæ lex ævi est.

83. *Vanum depone furorem.*] Cupiditatem mei interimendi.

85. *Hunc Cimbri servate senem.*] Me sæviturum in Romanos & inferias ex illis relaturum civibus tuis ab iis cæsis. *Non ille favore, &c.*] Non illum servabant dii quod Mario faverent, sed quod Romæ irascerentur, hoc effero viro usuri pro suo flagello.

86. *Ab ira, &c.*] Malim sic legere:

——— *Non ille favore*
Numinis, ingenti superûm protectus ab ira,
Vir ferus, &c.

Melius enim sic cohæret sensus. *Grotius.*

88. *Sufficiens.*] Qui vel unus ad eversionem urbis sufficere potuisset, si voluisset. *Hortens. Idem pelago delatus iniquo.*] Marius à Minturnensibus dimissus, iter mare versus per devia corripuit, se in scapham conjecit, insurgente tempestate gubernaculo fracto delatus est ad insulam Meningen, ubi receptis quibusdam sociis, auditoque filium suum cum Cethego salvos in Africam evasisse ad Hiempsalem, & ipse ad agrum Carthaginensem trajecit; ibi interdictus à Sextili prætoris lictore, ne in Africa pedem poneret. *Renuntia*, inquit Marius, *prætori, vidisse te C. Marium exulem in ruderibus Carthaginis sedentem, haud male fortunam ejus urbis, & suarum rerum mutationem in exemplum ei proponens. Plutarchus. Et Cimbrum in Mario, Mariumque in carcere victum. Quod Consul totiens, exulque, ex exule Consul: Et jacuit Libycis compar jactura ruinis, &c. Manil.* 4.

89. *Hostilem in terram, &c.*] Cui interdicebatur à Prætore, hostis declaratus. *vel*, Mario infestam, qui eam subegerat.

90. *Nuda triumphati, &c.*] *Hypallage*, ipse nudus, *vel* desolata, incolis vacua, aut rara. *Triumphati.*] De quo triumpharat.

91. *Et Pœnos pressit cineres.*] Nam inter ruinas Carthaginis aliquandiu delituit. *Hortens. Solatia fati, &c.*] Carthagini solatio erat Marius huc miseriarum adactus: Mario, homulo, tantæ urbis excidium & ruina.

93. *Libycas.*] Efferas, immanes, quales solent esse barbarorum. *Ibi colligit iras.*] *Marius clade major, si quidem carcer, catenæ, fuga, exilium horrificaverant dignitatem.* Florus lib. 3. cap. 2.

94. *Ut*

Ut primùm fortuna redit: servilia solvit
95 *Agmina: constato sævas ergastula ferro*
Exeruêre manus. nulli gestanda dabantur
Signa ducis, nisi qui scelerum jam fecerat usum,
Attulerátque in castra nefas. prò fata! quis ille,
Quis fuit ille dies, Marius quo mœnia victor
100 *Corripuit? quantóque gradu mors sæva cucurrit?*
Nobilitas cum plebe perit: latéque vagatur
Ensis: & à nullo revocatum est pectore ferrum.
Stat cruor in templis: multáque rubentia cæde
Lubrica saxa madent. nulli sua profuit ætas.
105 *Non senis extremum piguit vergentibus annis*
Præcipitasse diem: nec primo in limine vitæ
Infantis miseri nascentia rumpere fata.
Crimine quo parvi cædem potuêre mereri?
Sed satis est jam posse mori. trahit ipse furoris

Im-

94. *Ut primùm fortuna redit.*] Cum C. Cinna Cos. ad pop. referret de revocandis quos Senatus, ita volente Sylla, hostes judicaverat, & de adscribendo novorum civium x. tribus veteribus xxxv. à diffidentibus Coss. in media urbe disceptatum est. Cinna Urbe pulsus à Cn. Octavio collega, solicitat urbes Italicas, vires undique contrahit, servis etiam ad libertatem vocatis, reversum Marium sibi jungit, quadruplici agmine urbem intrant Cinna, Marius, Carbo, Sertorius, in adversarios desæviunt.

95. *Constato sævas, &c.*] Manicis & catenis soluti servi, modo ergastuli clausi, capessiunt arma.

96. *Nulli gestanda, &c.*] Nemo ad Marium in honore aliquo erat, nemo signifer, nisi qui scelere insignis esset, venisset nefarius in militiam.

98. *Prò fata!*] Exclamat in horribilem cædem Marianam, quum urbem ingrederetur.

100. *Quantoque gradu, &c.*] Quanta celeritate, crudelitatisque magnitudine. *Sulpit.*

101. *Nobilitas cum plebe perit.*] Lege Appianum de hac re latius de civili bell. Florum lib. 3. c. 21. Plutar. Mar.

102. *A nullo revocatum est.*] Nulli pepercêre, ne iis quidem, qui ad templa Deorum statuasque confugerant. *Sulpitius.*

103. *Stat cruor in templis.*] Neque iis parcebatur, qui ad templa & aras confugerant.

105. *Non senis extremum, &c.*] Etiam senibus alterum jam pedem in Charontis cymba habentibus, mortem accelerabant. *Vergentibus annis.*] Ad mortem se inclinantibus. *Sulpit.*

106. *Primo in limine.*] Ipso ortu & principio.

108. *Crimine quo, &c.*] Ab innocentia & ætate, commiseratio.

109. *Posse mori.*] Accepisse animam quam amittant.

110. *Vi-*

Digitized by Google

110 *Impetus: &, visum est lenti, quæsisse nocentem.*
In numerum pars magna perit: rapuistque cruentus
Victor ab ignota vultus cervice recisos,
Dum vacua pudet ire manu. spes una salutis
Oscula pollutæ fixisse trementia dextræ.
115 *Mille licet gladii mortis nova signa sequantur,*
Degener ô populus, vix secula longa decorum
Sic meruisse viris, nedum breve dedecus ævi,
Et vitam, dum Syllæ redit. cui funera vulgi
Flere vacet? vix te sparsum per viscera Bæbi
120 *Innumeras inter carpentis membra coronæ*
Discessisse manus: aut te præsage malorum
Antoni, cujus laceris pendentia canis
Ora ferens miles festa rorantia mensæ

Im-

110. *Visum est lenti.*] Ignavi hominis videbatur, solum sontes ad pœnam rapere. *Hortens. Lenti.*] Ignavi.

111. *In numerum.*] Augendo duntaxat numero, non quod in ipsis causa mortis inveniretur. *Grotius. In numerum pars magna perit.*] Promiscue tam innocentes quam nocentes, ignoti pariter ac noti cadunt augendo duntaxat numero.

113. *Spes una salutis, &c.*] Dederat quippe hoc suis signum, ut interficerent quoscunque ille non resaluasset, quibus salutantibus nihil respondebat, aut quibus manum osculandam non porrexisset. *Signum pacis erat dextram tetigisse tyrannis.*

114. *Trementia.*] Metu mortis.

116. *Degener ô populus, &c.*] O degeneres! qui licet undique mortem minitentur stricti gladii, velint tam turpi osculi obsequio debere ætatem vel longissimam: multo minus redimere brevem in vita eaque ignominiosa moram, usque dum reversus Sylla & hos qui vitam Marii munere habent, perimat.

119. *Vix te sparsum, &c.*] Vix mihi vacat flere te ô Bæbi, manibus militum & turbæ discerptum.

120. *Inter carpentis.*] Discerpentis, lacerantis. *Coronæ.*] Turbæ multitudinis cingentis te.

121. *Discessisse.*] Ita reposuimus pro *discerpsisse.* M. Bæbius sectus in partes. Ita Latini usurpant vocem, *discedere.* Cicero Offic. III. *Cum terra discessisset.* Sic eadem vox infrà lib. III. usurpatur: *Discessit medium tam vastos pectus ad ictus.* Et confirmat hanc emendationem nostram MS. Puteanor. *Grotius. Præsage malorum.*] Qui calamitatem illam multo ante Metello prædixerat.

122. *Antoni, &c.*] M. Antonii clariss. oratoris, qui immissos ad trucidandum illum percussores eloquentia demulserat, caput abscissum Annius Trib. detulit ad Marium cœnantem, qui caput illud per summam animi ac verborum insolentiam aliquandiu contrectatum rostris deinde affigi jussit. Val. Max. lib. 9. cap. 2. Cicer. de Oratore.

124. *Fin-*

Digitized by Google

Imposuit. truncos laceravit Fimbria Crassos.
125 *Sæva Tribunitio maduerunt robora tabo.*
Te quoque neglectum violatæ Scævola dextræ
Ante ipsum penetrale Deæ, sempérque calentes
Mactavére focos: parvum sed fessa senectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.
130 *Septimus hæc sequitur, repetitis fascibus, annis:*
Ille fuit vitæ Mario modus, omnia passo,
Quæ peior fortuna potest, atque omnibus uso,
Quæ melior: mensoque, homini quid fata pararent:
Jam quot apud Sacri cecidêre cadavera portum?

Aut

124. *Fimbria.*] Efferus Marii miles. *Crassos.*] Patrem & filium in mutuo alterum alterius aspectu; Florus lib. 3. cap. 21. filium à patre in fuga interfectum, ne in militum insequentium manus veniret, refert Appian.

125. *Tribunitio maduerunt robora tabo.*] Locus ille in carcere, unde malefici præcipitabantur, maduit sanguine Licinii Tribuni magistratus sacrosancti. *Alii exp.* Rostra, unde Tribuni perorabant, maduisse sanguine. Florus hoc ad Marium filium refert.

126. *Te quoque neglectum.*] Te spretum, quum ob pontificatum venerari te debuisset. *Sulpitius.* Grotius sensum hinc elicere non potest: forte, *Te quoque in exemplum. Violatæ dextræ.*] Id est, datæ paulò ante fidei. Vel lege *violentæ*: & interpretare, occisum à satellitibus Marii Scævolam, eo quod Marius illi manum osculandam non dedisset, quod signum erat morti addicentis. Suprà habuimus:

——— *spes una salutis*
Oscula pollutæ finxisse trementia dextræ.

Apud Florum locus similis: *Anchariusz, ipso videente Mario confossus est, quia fatalem scilicet illam manum non porrexerat salutanti.* Grotius. *Te quoque neglectum, &c.*] Mucius, *inquit*, Scævola, pontifex max. Vestalcs amplexus aras tantum non eodem igne sepelitur. *dextræ Marii*, ut modo v. 113.

127. *Ante ipsum penetrale.*] In vestibulo Vestæ: vel, ut quidam, ad aram. pathos à loco. *Hortens.*

129. *Pepercit.*] Non extinxit flammam, ut cui parum esset sanguinis.

130. *Septimus hæc sequitur, &c.*] Septimus C. Marii Consulatus, namque inter sextum & septimum intercedebant 13. anni.

131. *Ille fuit, &c.*] Intra dies quam intierat consulatum tredecim, morbo laterali & insania obiit annos natus 70.

133. *Mensoque homini quid, &c.*] Emendo ex consensu manuscriptorum:

——— *mensoque hominis quid fata patebant:*

Id est, mensò experimentis vitæ, quæ summa esset fatorum distantia, à maxima felicitate ad maximam miseriam. *Grotius.* Vel ut Hortensius exponit, qui in adversis & secundis mensus fuerat, quid fata pararent & constituerent. *Mensique homini quid fata pararent.*] Experto omnes casus quos homini fata decrevissent.

134. *Jam quot apud, &c.*] Transit jam ad horrendas clades inter Syllam ex Asia reducem, & Marium juniorem, vicesimo ætatis suæ anno Consulem factum,

Digitized by Google

135 *Aut Collina tulit ſtratas quot porta catervas,*
Tunc cùm penè caput mundi, rerúmque poteſtas
Mutavit tralata locum, Romanáque Samnis
Ultra Caudinas ſperavit vulnera Furcas?
Sylla quoque immenſis acceſſit cladibus ultor.
140 *Ille quod exiguum reſtabat ſanguinis Urbi*
Hauſit; dumque nimis jam putrida membra recidit,
Exceſſit medicina modum, nimiúmque ſecuta eſt,
Quà morbi duxere, manus. perière nocentes;
Sed cùm jam ſoli poſſent ſupereſſe nocentes.
145 *Tunc data libertas odiis, reſolutáque legum*
Frænis ira ruit, non uni cuncta dabantur,
Sed fecit ſibi quiſque nefas. ſemel omnia victor

Juſſe-

ctum. *Apud ſacri cecidere, &c.*] Ad Sacriportum haud procul à Præneſte, C. Marium (C. Marii filium, ſive nepotem incertum) Sylla fudit: cum autem Præneſte fugiſſet, obſidionem ejus Sylla delegavit Lucr. Ofellæ. Marius cum per cuniculum captaret evadere, inhibitus, mortem ſibi conſcivit in cuniculo cum fugæ comite ſtricto gladio occurrens, &c. Sylla Lamponium & Feleſinum Samnitium duces, qui ad Coſ. obſidione eruendum advenerant, ad decimum à Porta Collina ſtadium conſecutus magna ſtrage fudit. *Apud Sacriportum & Collinam* 70. *amplius millia Sylla concidit.* Flor.

136. *Tunc cum pene, &c.*] Promiſerat Marius Samnitibus, qui à ſuis partibus ſteterant, ſe tralaturum caput Imperii à Romanis ad Samnites. qui jam ſpem conceperant ſe majori clade preſſuros & miſſuros ſub graviori jugo Romanos, quam olim T. Veturium & Sp. Poſthumium ad Furcas Caudinas, ſaltum abruptum in Appulia, ubi Romani à Samnitibus ſub jugum miſſi. Liv. 9.

137. *Samnis.*] Annotat vetus ad oram MS. Puteanor. ſcholiaſtes Damaſippum hic indicari Samnitem, [illegible]i Marianarum fuit partium. *Grotius.*

138. *Ultra Caudinas, &c.*] Ad portam Collinam major clades accepta fuit, quam quondam exercitus Romanus acceperat à Samnitibus ad Furcas Caudinas. Caudinæ Furcæ, duo ſaltus ſunt ſylveſtres, juxtà & alti, jugorum inter ſe perpetuitate juncti. *Hortenſ.*

141. *Dumque nimis, &c.*] Cum adverſariis & ſeditioſis optimos cives tollit, velut acrior chirurgus, qui membra ſyncera & ſana cum putridis & corruptis excidit.

143. *Periere nocentes.*] Huic illud Metelli: *Statue tandem quos perditurus is.* hinc 40. Senatores, Equites 1600. una tabella proſcripti. & vox illa Furfidii: *Vivere aliquos debere, quibus imperaret.*

144. *Nocentes.*] Crudeles Syllani.

145. *Tunc data, &c.*] Imperatum Syllæ de Marianis occidendis non extendebat ſe tantum in gratiam Syllæ, ſed licentiam hanc quiſque convertebat in odii ſui aut ſceleris libidinem.

147. *Sed fecit ſibi quiſque nefas.*] Propoſito percuſſoribus proſcriptorum præmio talentis duobus; indicibus pari præ-

Jusserat. infandum domini per viscera ferrum
Exegit famulus: nati maduêre paterno
150 *Sanguine. certatum est, cui cervix cæsa parentis*
Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres.
Busta repleta fuga, permistáque viva sepultis
Corpora: nec populum latebræ cepere ferarum.
Hic laqueo fauces, elisáque guttura fregit:
155 *Hic se præcipiti jaculatus pondere dura*
Dissiluit percussus humo: mortésque cruento
Victori rapuêre suas: hic robora busti
Extruit ipse sui, nec dum omni sanguine fuso
Desilit in flammas, &, dum licet, occupat ignes.
160 *Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem,*
Et medio congesta foro: cognoscitur illic
Quicquid ubique latet scelerum. non Thracia tantum
Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni,
Postibus Antæi Libyæ: nec Græcia mœrens
165 *Tot laceros artus Pisæa flevit in aula.*

Cùm

ri præmio; accusantibus indicio, occulentibus supplicio.

150. *Certatum est, &c.*] A filiis, quis ipsorum obtruncaret patrem.

151. *In fratrum præmia.*] In salutem quam fratris caput gerens assequebatur. *Sulpit.*

152. *Busta repleta fuga.*] Latebras quærebant in sepulchris & lustris ferarum.

154. *Elisáque.*] Strangulata.

156. *Dissiluit, &c.*] Alii, *Desiluit.*

157. *Rapuere suas.*] Præripuere, præoccupavere, ne in manus & cruciatus hostium devenirent. *Robora busti, &c.*] Ligna rogi sui.

160. *Colla ducum, &c.*] Abscissa miserorum capita, vultum ac spiritum retinentia in conspectum suum Sylla afferri voluit, ut illa oculis, quia ore nefas erat, manderet. Val. Max lib. 9. cap. 2.

161. *Cognoscitur illic, &c.*] Ex acervo capitum in foro congestorum, cædes clandestinæ patuere.

162. *Non Thracia, &c.*] Non tot cædibus infames fuerunt, non tot capita postibus suis affixere, Diomedes rex Thraciæ, qui equos humanis carnibus pavit; Antæus Libyæ gigas qui hospites ad palæstram provocatos victosque occidit; OEnomaus qui filiæ suæ procos curru consecutus interfecit. de his vide Mythologos, &, quæ nos ad Senecæ Herc. Fu. ℣. 215. Herc. OEt. ℣. 24. & Thyesten, ℣. 138.) quot sæviit Sylla cædibus, quot capita Romæ in foro congesta fuerunt.

163. *Bistonii stabulis, &c.*] Bistonis civitas Thraciæ, à Bistone Martis & Calirrhoës fil.

165. *Pisæa flevit in aula.*] Pisæ, civitas Elidoe, regia OEnomai.

166. *Con-*

VD. Forpla. 1. 5 Am. p. 473

Cùm jam tabe fluunt, confusáque tempore multo
Amisêre notas, miserorum dextra parentum
Colligit, & pavido subducit cognita furto.
Méque ipsum memini cæsi deformia fratris
170 *Ora rogo cupidum, vetitísque imponere flammis,*
Omnia Syllanæ lustrasse cadavera pacis:
Pérque omnes truncos, cum qua cervice recisum
Conveniat, quæsisse caput. Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam? cui victima tristes
175 *Inferias Marius, forsan nolentibus umbris,*
Pendit, inexpleto non fanda piacula busto:
Cùm laceros artus, æquatáque vulnera membris
Vidimus, & toto quamvis in corpore caso
Nil animæ letale datum, morénique nefandæ
180 *Dirum savitiæ, pereuntis parcere morti.*

Avul-

166. *Confusaque.*] Cum diu capita cæsorum confusa jacuissent, & inter se commixta, figuras & lineamenta facierum amiserunt, ut difficile esset dignoscere. *Hortens. Tabe fluerent.*] Postquam corrupta erant, parentes furtim subtrahebant, ut sepelirent. *Sulpit.*

167. *Notas, &c.*] Quibus internosci possent & à suis agnosci.

169. *Meque ipsum, &c.*] Hoc à sene suo dictum fingit Poëta.

170. *Vetitis flammis.*] Vetuerat enim Sylla, sicut & Marius comburi cadavera, ut feris alitibus prædæ essent. *Sulpit.*

171. *Syllanæ pacis.*] Per Ironiam. per *pacem* enim intelligit cædium finem, quæ parta jam victoria, facta sunt. *Sulpit.*

173. *Sanguine, &c.*] Q. Luctatius Catulus qui collega fuerat Marii, & cum eo de Cimbris triumpharat. Ubi se à Mario morti destinatum audivit, in cubiculo suo recens calce illito nec dum perficcato carbonibus accensis sponte suffocatus est. In cujus ultionem Catulus frater à Sylla jam petiit sibi concedi Marium Imperatoris fratrem, quem apud Luct. Catuli sepulchrum, tanquam manes fratris placaturus, brachiis, cruribus, naso, auribus mutilatis, cæcta lingua, oculis demum effossis, servavit aliquandiu, ut per singulorum membrorum carnificinam moreretur. V. Suet. 3, 21 fin.

174. *Cui victima.*] Hostia sacrificata Catulo.

175. *Nolentibus umbris.*] Invitis manibus Catuli.

176. *Pendit.*] Persolvit mortuo hostiam, quæ debebatur fratri. *Hortens. Inexpleto busto.*] Hoc est, mortuo fratre, cujus justa non fuerant expleta, nisi hostia aliqua mactata, cujus sanguine litaretur. *Nefanda.*] Id est, nefarias inferias, sanguinem humanum, quo existimabat fratrem Catulum satiari posse, nondum alioqui satiatum. *Hortens.*

177. *Æquataq; vulnera membris, &c.*] Singulis membris singula infligebantur vulnera & cruciatus.

180. *Parcere morti.*] Membratim cruciarent, superstes esset vita ad doloris sensum.

Digitized by Google

Avulsa cecidêre manus, exactáque lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit aëra motu.
Hic aures, alius spiramina, naris adunca
Amputat: ille cavis evolvit sedibus orbes,
185 *Ultimáque effodit spectatis lumina membris.*
Vix erit ulla fides, tam sævi criminis unum
Tot pœnas cepisse caput. sic molo ruinæ
Fracta sub ingenti miscentur pondere membra:
Nec magis informes veniunt ad littora trunci,
190 *Qui medio perière freto. quid perdere fructum*
Juvit, &, ut vilem, Marii confundere vultum?
Ut scelus hoc Syllæ, cædésque ostensa placeret,
Agnoscendus erat. Vidit Fortuna colonos
Prænestina suos cunctos simul ense recisos,
195 *Unius populum pereuntem tempore mortis.*
Tunc flos Hesperiæ, Latii jam sola juventus,

Con-

sensum. *Ita feri*, imperavit Caligula, *ut sentiat se mori.*

182. *Muto motu.*] Non vocali.

183. *Spiramina, &c.*] Narium.

184. *Orbes.*] Oculos. κύκλους, Sophocles in OEdipo. *Radice ab ima funditus vulsos simul. Evolvit orbes* Senec. OEd. ✱f. 966. vide & quæ nos ibi.

186. *Vix erit ulla fides.*] Vix erit dignum fide, unum corpus capax fuisse tot pœnarum. *Criminis.*] Crudelitatis. *Suspicius.*

187. *Sic mole ruinæ.*] Ædificiorum ruentium pondere.

189. *Nec magis informes, &c.*] Non minus lacerum & deforme fuit Marii corpus, quam eorum qui collapsorum ædificiorum ruina attriti sunt; aut qui morsi, scopulis allisi & piscium esca facti, litus appellunt. *Trunci.*] Cadavera truncata.

190. *Fructum, &c.*] Oculorum pabulum, & usuum voluptatis quam perceptuus erat Sylla agnoscendo Marium.

191. *Ut vilem.*] Ut vulgarem. *Confundere.*] Deformare.

193. *Vidit Fortuna colonos.*] Signanter & emphatice exprobratur Fortunæ, Prænestino templo & cultu celebri, suorum neglectus. *Colonos.*] Habitatores.

194. *Prænestina suos, &c.*] Lucretius Præneste recepto Senatores omnes, qui Mario favissent partim interfecerat, partim in vincula conjecerat. Adveniens Sylla V. M. Prænestinorum spe salutis per P. Cethegum data, extra mœnia municipii evocata, cum abjectis armis humi corpora prostravissent, interficienda, & per agros dispergenda curavit. *Ense recisos.*] Alii habent *receptos*, quod φορτικὸν est, nec satis Latinum. At manuscriptos sequor, qui habent *ense recepto*: id est, in corpora admisso. *Grotius.*

195. *Unius populum, &c.*] Uno quasi ictu, intra spatium quo unus interfici posset.

196. *Tunc flos Hesperiæ, &c.*] Quatuor

Digitized by Google

Concidit, & miserè maculavit ovilia Romæ.
Tot simul infesto juvenes occumbere leto,
Sæpe fames, pelagique furor, subitæque ruinæ,
Aut cæli, terræque lues, aut bellica clades,
Numquam pœna fuit, densi vix agmina vulgi
Inter & exangues immissa morte catervas
Victores movere manus. vix cæde peracta
Procumbunt, dubiáque labant cervice: sed illos
Magna premit strages: peraguntque cadavera partem
Cædis: viva graves elidunt corpora trunci.
Intrepidus tanti sedit securus ab alto
Spectator sceleris: miseri tot millia vulgi
Non piguit jussisse mori. congesta recepit
Omnia Tyrrhenus Syllana cadavera gurges.

In

tuor legiones contrariæ partis, & in his Samnites quàm plurimos, namque hi ex Italis soli Mario & Cinnæ adhæserant, in publica Villa (quæ in campo Martio erat) obtruncari jusserat.

197. *Ovilia Romæ.*] Ovilia erant in campo Martio loca septa & cancellis conclusa, in quæ per pontes, qui erant angustæ viæ, ibant Centuriæ suffragia dicturæ.

199. *Sæpe fames, &c.*] Fame, tempestate, ruinis, terræ motu, peste, bello tot periisse accepimus aliquando: in supplicium, unius jussu tot cecidisse non auditum.

200. *Bellica clades.*] *Cædes* habent manuscripti duo. *Grotius.*

201. *Numquam pœna fuit.*] Sensus est: Tanta hominum cædes, morbis aut aliis malis ἐπιδημιοῖς interdum forte, at nunquam suppliciis imputata est. *Grotius. Densi vix agmina vulgi Inter, &c. vix cæde peracta, &c.*] Cædentibus vix erat spatium ferri stringendi, cæsis vix spatium cadendi, in turba stipata.

203. *Vix cæde, &c.*] Puto *hi* substituendum: quia sequitur, *sed illos.* Grot.

204. *Dubiáque.*] Vacillanti & semiviva. *Labant.*] Nutant hac & illac. *Sulpitius. Illos.*] Semivivos.

205. *Peraguntque cadavera.*] Hoc est, mortui suo pondere vivos necabant.

206. *Elidunt.*] Comprimunt, suffocant. *Trunci.*] Eorum, quibus capita erant abscissa. *Sulpitius.*

207. *Intrepidus tanti, &c.*] Ipse editiori loco sedebat ociosus spectator. Quin & VI. M. in Circum congregatis, Senatum in ædem Bellonæ vocavit: apud quem dum verba faceret, auditu lamentabiles morientium quiritatus perterruerunt Senatores: Ille constanti & nihil mutato vultu dicere pergebat, eos animum orationi suæ adhibere jubebat, neque curare quid foris fieret: quosdam enim malos homines suo jussu castigari. Plut. Sylla.

208. *Miseri tot millia, &c.*] Centum civium M. in his Senatores xc. Consulares xv. Equestris ordinis M M. DC.

209. *Congesta recepit, &c.*] Cadavera in Tyberim projici jussa. qui injectorum haud capax, priora undis admisit, posterius vero injecta prioribus supernatarunt, non flumine demersa.

211. *In*

Hæc verba e ditionis novis simi autor omnis, ut erat qui sic omnia esserit. At mine et prius patent, præsertim si comparentur cum Sibyll. libr. de Clement. claudit Seneca: Hæc divina potestas est, ut ea, quæ publicè servare: multos a occidere et miscere tos, in cen dij ac ruinas prostrata est. Grüter

In fluvium primi cecidêre, in corpora summi.
Præcipites hæsêre rates, & strage cruenta
Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor,
Ad molem stetit unda sequens: nam sanguinis alti
215 *Vis sibi fecit iter, campúmque effusa per omnem,*
Præcipitique ruens Tyberina ad flumina rivo
Hærentes adjuvit aquas: nec jam alveus amnem,
Nec retinent ripæ, redeuntque cadavera campo.
Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas
220 *Sanguine cæruleum torrenti dividit æquor.*
His ne, Salus rerum, Felix his Sylla vocari,
His meruit tumulum medio sibi tollere Campo?
Hæc rursus patienda manent: hoc ordine belli

Ibi-

211. *In corpora summi.*] Posterius injecta cadavera, prioribus supernatarunt, non flumine demersa.

212. *Præcipites.*] Prono & secundo alveo discurrentes. *Hæsêre.*] In cadavera. *Sulpit. Hæsêre rates, &c.*] *Cruentis Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora.* Juv. 10.

213. *Prior amnis.*] Qui erat ante cadavera: nam posterior substitit cadaverum cumulo. *Sulpit.*

214. *Ad molem stetit unda sequens.*] Ad cadaverum aggerem substitit, unda posterior. *Nam sanguinis.*] Rescribendum puto *dum.* Stetit flumen obsessum cadaveribus, donec sanguinis rivi viam fecere. *Grotius. Sanguinis alti vis sibi fecit iter.*] Copia sanguinis impellit undas Tyberis, qui cruore auctus inundavit, reddiditque cadavera in agros ejecta.

217. *Hærentes.*] Stagnantes, non fluentes.

218. *Redeuntque cadavera campo.*] MS. Puteanor. *redditque:* rectè, ut ad animum referatur, ut & quod sequitur verbum *dividit.* Solenne autem Lucano, *& que* ponere, pro *sed*, & tacitè transire de casu in casum. Sensus ergò est: Amnem non retinent aut alveus aut ripæ; sed ipse exundans campo reddit cadavera, & mare dividit sanguine. *Grotius.*

219. *Tandem Tyrrhenas.*] Extremum conatum aquarum impeditarum in excurrendo coarguit; ut in ipso cursu à sanguine aqua se diviserit. *Hortens.*

220. *Sanguine torrenti.*] Cruore, cum abundantia vehementiaque currenti. *Sulpit.*

221. *His ne, &c.*] *En quibus actis Felicis cognomen affequendum putavit?* inquit Val. Max. lib. 9. cap. 2. quem locum lege fis. *Sylla* (inquit Solinus c. 7.) *dictus potius est, quam fuit felix.* Indignatus poëta exprobrat illi cognomenta Antiphrastica, qui se Conservatorem patriæ, Felicem, & Venustum dici voluit: liberos, Faustum Faustamque appellavit.

222. *Tumulum medio sibi tollere Campo?*] Dictatura abdicata Puteolos secessit, ubi morbo pedicular interiit magno honore in funus elatus, in campo Martio crematus est & sepultus.

223. *Hæc rursus patienda manent.*] Talia (inquit senex) nobis jam imminent, vel etiam graviora mala.

Digitized by Google

Ibitur: hic ſtabit civilibus exitus armis.
225 *Quanquàm agitant graviora metus, multoque coïtur*
Humani generis majore in prelia damno.
Exulibus Mariis bellorum maxima merces
Roma recepta fuit: nec plus victoria Sylla
Præſtitit, inviſas penitus quàm tollere partes.
230 *Hos aliò fortuna vocas: olimque potentes*
Concurrunt. neuter civilia bella moveret,
Contentus, quo Sylla fuit. Sic mœſta ſenectus
Præteritique memor flebat, metuensque futuri.
At non magnanimi percuſſit pectora Bruti
235 *Terror, & in tanta pavidi formidine motus*
Pars populi lugentis erat: ſed nocte ſopora,
Parrhaſis obliquos Helice cùm verteret axes,
Atria cognati pulſat non ampla Catonis.
Invenit inſomni volventem publica cura
240 *Fata virum, casúsque Urbis, cunctúsque timentem,*
Securúmque ſui; fariique his vocibus orſus:
Omnibus expulſæ terris, olimque fugatæ

Vir-

225. *Quanquam agitant, &c.*] Marius quidem exul, cum ſuis, reditum ſibi in patriam proponebat: Sylla, adverſariorum vindictam: at noſtri his præmiis non contenti, acerrime de orbis imperio in certamen deſcendentes, quanto majora molientur? ●

232. *Sic mœſta ſinectus, &c.*] In hunc modum, inquit Poëta, ſenex aliquis memoravit præterita, metuit futura.

234. *Bruti terror.*] Fuit hic M Brutus Junii Bruti F. propter ingenium, ſtudia & mores à Cicerone multum laudatus, poſtea percuſſor Cæſaris.

235. *Et.*] Pro *nec*, ut ſupra ℣ſ. 35.

236. *Pars populi.*] Repetatur illud *non. Nocte ſopora.*] A circumſtantia temporis nocturni, quod maximè propter ſilentium & tranquillitatem conſultationibus captum eſt. Ad hæc vult oſtendere, principem virum, cui ſalus Reipub. curæ eſt, non debere totam noctem ſtertere. *Horten.ſ. Nocte ſopora.*] Noctu. urſa majore, circumvolvente ſua plauſtra, ἁμαξεύων, vel polum. Fuit autem Helice ceu Caliſto filia Lycaonis regis Arcadiæ, in qua Parrhaſium oppidum.

238. *Cognati pulſat.*] Avunculi, erat enim Brutus Catonis ex Servilia ſorore nepos. *Non ampla Catonis.*] Utpote hominis continentis & frugalis, plane Stoici; infra ℣ſ. 384. hic poſtea Uticæ ſibi mortem conſcivit.

241. *Securumque ſui.*] De ſe minime ſolicitum, ut conſummatum Stoicum decuit.

242. *Omnibus expulſæ, &c.*] Oratio Bruti deliberativa eſt, cujus ſcopus eſt & propoſitio, Cæſaremne an Pompeium debeat ſequi; an continere ſe in otio,

Virtutis jam sola fides, quam turbine nullo
Excutiet fortuna tibi; tu mente labantem
245 *Dirige me, dubium certo tu robore firma.*
Namque alii Magnum, vel Cæsaris arma sequantur:
Dux Bruto Cato solus erit. pacem ne tueris,
Inconcussa tenens dubio vestigia mundo?
An placuit, ducibus scelerum, populique furentis
250 *Cladibus immistum civile absolvere bellum?*
Quemque sua rapiunt scelerata in prœlia causa:
Hos polluta domus, legésque in pace timenda;
Hos ferro fugienda fames, mundique ruina
Permiscenda fides. nullum furor egit in arma.

Castra

otio, & pacem tueri: De ejus consilio alterum se secuturum. *Hortens.*

243. *Virtutis jam sola fides.*] O solum perfectæ virtutis, quam alii jamdudum expulerunt, domicilium. quo unico relicto exemplo ducti, credant homines esse virtutem. *Quam turbine, &c.*] Horat. Ode 3. l. 3. *Justum & tenacem propositi, &c.*

245. *Robore firma.*] Rationis stabilitate.

246. *Namque alii Magnum.*] Causa ambigui consilii ac dubiæ mentis, quod videat civitatem in duas partes divulsam, quarum aliæ alios duces sequantur; se adhuc neutro inclinari, sed Catonem ducem solum & ejus salubria monita velle sequi dicit. *Hortens.*

247. *Dux Bruto Cato solus erit.*] Tu mihi solus eris dux. *Pacemne tueris.*] Ut à bello & partibus omnino abstineas, in proposito constans, cum cæteri omnes labent.

248. *Inconcussa tenens.*] Perstans in stabilitate & constantia tua, etiam si nutet ruatque mundus: quippe turpissimum est virtute prædito viro de gradu dejici. *Sulpit.*

249. *An placuit, &c.*] An potius visum est te civili huic bello immiscere?

250. *Absolvere bellum.*] Probare, non improbare.

251. *Quemque sua rapiunt.*] Quisque suam caussam ut justam tuetur, quum interim civile bellum nefarium sit. *Hortens.* *Rapiunt scelerata in prœlia causa.*] Hunc Reip. libertatis defendendæ prætextus; illum P. R. beneficii assertio, suæque dignitatis atque salutis tutela; alium propter flagitia domestica, inopiam & æs alienum, timor judiciorum & legum quas bello eludant, in arma rapit: omnes privatam fidei suæ ruinam permiscere publicæ cupientes.

252. *Hos polluta, &c.*] Stupris & adulteriis cooperta, propter quæ in toga in eos legibus animadvertendum esset, quas in bello eludunt ac evadunt. *Hortens.*

253. *Mundique ruina, &c.*] Æs alienum alios ad eludendos creditores, & fidem violandam in militiam trudit. Vel ut servent fidem conjuratis etiam cum totius mundi ruina. *Hortens.* *Sulpitius.*

254. *Permiscenda fides.*] De obæratis loquitur, qui privatam fidei suæ ruinam permiscere publicæ cupiebant. *Grotius.* *Furor egit in arma.*] Mens cæca & belli libidine acta: sed præmio ducti.

255 *Castra petunt magna victi mercede: tibi uni*
Per se bella placent? quid tot durasse per annos
Profuit immunem corrupti moribus ævi?
Hoc solum longæ pretium virtutis habebis?
Accipient alios, facient te bella nocentem.
260 *Ne tantum ô Superi liceat feralibus armis,*
Has etiam movisse manus: nec pila lacertis
Missa tuis cæca telorum in nube ferantur:
Nec tanta incassum virtus eat. ingeret omnis
Se belli fortuna tibi. quis nolet ab isto
265 *Ense mori, quamvis alieno vulnere labens,*
Et scelus esse tuum? meliùs tranquilla sine armis
Otia solus ages, sicut cœlestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.
Fulminibus propior terræ succenditur aër,
270 *Imáque telluris ventos, tractúsque coruscos*
Flammarum accipiunt: nubes excedit Olympus

Lege

256. *Per se bella placent?*] Propter pacem, belli finem.

259. *Accipient alios, &c.*] Atqui ex diutina tua à bello immunitate apparebit, te non probasse causas, quibus alii ad bellum suscipiendum excitantur, ipsi nocentes ante bellum; tu non nisi cum bello.

260. *Ne tantum, &c.*] Avertione precatur Deos, ne Catonem virtum integrum malis misceri sinant, & in prælio ferro sævire in innocentes, & quidem iis manibus, quæ castæ sunt & incorruptæ. *Hortens. Ne tantum, &c.*] Atque utinam ne nunc quidem pravis & cæca cupidine actis ad bellum civibus miscereris, vir tam sanctus & integer, ut ratio belli à te solo pendere videatur.

263. *Ingeret omnis Se belli, &c.*] Omnis belli eventus submittet se tibi, & tu bellum conficies.

264. *Quis nolet ab isto Ense mori.*] Multò est efficacius, quod habet MS. Puteanor. & R. habuit manu priore, *in isto Ense mori.* sicut induere ensem aliquis dicitur. *Grotius.*

266. *Melius tranquilla, &c.*] Optime igitur & te dignum feceris, si omnino à bello abstinueris, intra ocium tuum securus, supra mortalia ista subvectus, non secus ac cœlestia illa corpora, immotus, imperturbatus. *Talis est sapientis animus, qualis mundi status supra Lunam. Semper illic serenum est, &c.* Sen. epist. 59.

269. *Fulminibus propior, &c.*] Infima aëris regio pontus & terra vexantur ventis, tempestatibus, fulmine: montes vero qui nubes cacumine transcendunt, in tuto positi inferiora despiciunt.

271. *Nubes excedit, &c.*] A diverso simul & remotissimo à terra loco, nempe Olympo, cujus verticem nubes excedere dicit, atque ob id non ferirí. *Hortens.*

273. *Quam*

Lege deûm. minimas rerum discordia turbat:
Pacem summa tenent. quàm latè Cæsaris aures
Accipient tantum venisse in prælia civem!
275 *Nam prælata suis nunquam diversa dolebit*
Castra ducis Magni. nimium placet ipse, Catoni
Si bellum civile placet. pars magna Senatus,
Et duce privato gesturus prælia Consul
Sollicitant, procerésque alii: quibus adde Catonem
280 *Sub juga Pompeii; toto jam liber in orbe*
Solus Cæsar erit. quòd si pro legibus arma
Ferre juvat patriis, libertatémque tueri:
Nunc neque Pompeii Brutum, neque Cæsaris hostem,
Post bellum victoris habe. Sic fatur. at illi
285 *Arcano sacras reddit Cato pectore voces:*
Summum Brute nefas civilia bella fatemur:
Sed quò fata trahunt, virtus secura sequetur.
Crimen erit Superis & me fecisse nocentem.

Sidera

273. *Quam lætè Cæsaris aures, &c.*] Quam gratum credis fore Cæsari, quantum sibi ipse placebit, si modo te è tranquillæ pacis proposito ad bellum civile protraxerit, etiamsi ad partes sibi adversas? & se solum (si diis placet) pronunciabit liberum, si post Consules (quorum fuerat sortiri Italiam, ductare exercitus, bellum gerere) & Senatum, auspiciis Pompeji privati hominis summo imperio subjectos; Cato quoque pedibus iverit in servitutem Pompeji. vide amplum de Catone testimonium Senecæ epist. 95. & epist. 14.

280. *Toto jam liber in orbe Solus Cæsar erit.*] Qui contrà Senatum suam caussam armis tuebitur; nec superiorem in suis castris habebit; non Consules, non proceres, qui summam Imperii Pompeio detulerunt. *Hortens.*

281. *Quod si pro legibus arma, &c.*] Quod ad me attinet, neque Cæsaris nunc, neque Pompeji hostis sum. uter vero ipsorum victor tandem molitus fuerit aliquid contra leges & libertatem Reipub. adversus hunc me acerrimum profiteor hostem. Nomine utique & re habes me assertorem patriæ.

285. *Arcano sacras.*] Quasi ejus verba nihil aliud sint, quam oracula, ex divino sacrario profecta.

286. *Summum Brute nefas.*] Catonis oratio gravis & planè Catoniana, hoc est Stoicæ rigiditatis plena; tota in hoc parata est, ut Brutum refutet, & ejus argumenta de abstinendo ab armis civilibus diluat. Bruti argumentis opponit, honestum, necessarium & pium, patriæ libertatem defendere, quum illud non facere sit impium. Largitur quidem civile bellum nefarium; sed transfert in fatalem necessitatem. *Hort.*

287. *Virtus secura sequetur.*] Sed virtus mea nil sibi metuens, sequetur fatalem necessitatem. *Sulpit.*

288. *Me fecisse nocentem.*] Imposuisse mihi

Digitized by Google

Sidera quis, mundumque velit spectare cadentem
290 *Expers ipse metus? quis, cùm ruat arduus æther,*
Terra labet, misto coëuntis pondere mundi,
Complosas tenuisse manus? gentes ne furorem
Hesperium ignotæ, Romanaque signa sequentur,
Deductique fretis alio sub sidere reges?
295 *Otia solus agam? procul hunc arcete furorem,*
O Superi, motura Dacas ut clade, Getasque
Securo me Roma cadat. ceu morte parentem
Natorum orbatum, longum producere funus
Ad tumulum jubet ipse dolor: juvat ignibus atris
300 *Inseruisse manus, constructoque aggere busti*
Ipsum atras tenuisse faces: non ante revellar,
Exanimem quàm te complectar Roma, tuumque
Nomen libertas, & inanem prosequar umbram.
Sic eat: immites Romana piacula divi

Plena

mihi hanc necessitatem, ut arma induerem.

289. *Sidera quis, &c.*] Quis in tantum Stoicus est, aut cui ita in chalybem aut callum obduruere præcordia, ut terram cœlo misceri & omnia ruere videat, ipse interim supinus & compressis sedens manibus?

291. *Terra labet.*] Id est, si omnium rerum elementa confunderentur; mare ac terra cælo miscerentur, otiosus consertis manibus sederem? *Coëuntis.*] Confundentis se. *Hortens. Sulpit.*

292. *Complosas.*] Ita MSS. Alii leg. *Compressas. Gentesne furorem, &c.*] Gentesne exteræ & remotæ venient ad partes & auxilium Imperii nostri: ego vero ignavus sedebo? procul absit à me hæc vecordia? *Furorem Hesperium.*] Civile bellum Romanum, recte *furorem* vocat, quo cives inter se, & in se mutuò arma induunt. *Hortens.*

294. *Deducti.*] Separati.

296. *Motura Dacas.*] Si Roma cadens Scythiæ populos ad commiserationem & auxilia ferenda moveret; multò justius Catonem. *Hortens.* *Dacas.*] Sarmatiæ pop. supra p. 54. Sunt tamen qui nolint huic ut & Virgilio 8. Æn. & Silio 13. licentiam priorem corripiendi permittere, substituant itaque *Daos*, pop. ad mare Caspium.

297. *Ceu morte parentem, &c.*] Annon hoc dabo dolori & amori erga patriam, quod erga liberos? Nato suprema solvo libens: Quidni patriæ? Non te deseram ô patria, non tibi deero dulce nomen, Libertas.

298. *Producere funus.*] Comitari longam pompam exequiarum. *Sulpit.*

300. *Inseruisse manus, &c.*] Rogum incendere & ignem fovere. *Idem.*

302. *Exanimem.*] Dirutam & deletam.

303. *Nomen.*] Quod mihi dulcissimum est.

304. *Sic eat.*] Sit ita, ut dii velint sibi litari universo Rom. sanguine: Cur meum morer? O utinam ad patriam expiandam, libertatemque Imperii tuen-

305 *Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.*
O utinam, cœlique Deis, Erebique liberet
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas!
Devotum hostiles Decium pressere caterva:
Me gemina figant acies, me barbara telis
310 *Rheni turba petat: cunctis ego pervius hastis*
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat sanguis populos: hac cæde luatur,
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.
Ad juga cur faciles populi, cur sæva volentes
315 *Regna pati pereunt? me solum invadite ferro,*
Me frustra leges & inania jura tuentem:
Hic dabit, hic pacem jugulus, finemque laborum
Gentibus Hesperiis: post me regnare volenti
Non opus est bello. quin publica signa, ducemque

Pom-

tuendam, diis superis, Inferisque sufficeret caput hoc meum omnibus diris devotum. ut Pub. Decii quondam pro salute exercituum in prœlio contra Samnites. Historiam, ritum, & devotionis formam lege apud Livium lib. 8. de patre; & de filio lib. 10.

306. *O utinam.*] Exclamatio pathetica, magna gravitate & dignitate verborum exornata; sed indignationis plena. Hac optat posse se suo capite suoque sanguine pacem redimere & libertatem tueri. Sunt autem cætera omnia planè Catoniana, tragicæ indignationis referta. Ad ultimum ità concludit, sibi ad Pompeium Ducem eundum esse: à quo, si victor extiterit, nihil libertati sit timendum. *Hortens.*

309. *Gemina figant acies.*] Hinc Pompeiana, illinc Cæsariana.

310. *Rheni turba petat.*] Rheni accolæ, Germani, Galli, qui Cæsaris signa sequuntur.

312. *Hic.*] Meus.

313. *Romani meruerunt, &c.*] Mali, flagitiosi.

315. *Me solum. Me, &c.*] Mirum in modum concitat affectus, geminatione particulæ *me*, & pronominis demonstrativi *hic*: ut erat rigidus & vehemens in dicendo. *Hortens. Me solum invadite ferro.*] Me obstantem tyrannidi.

316. *Inania jura.*] Sine vi & efficacia; quæ contemnantur nunc, quum arma invalescant. *Hortens. Inania jura.*] Oppressa.

318. *Post me regnare, &c.*] Neque enim me extincto invenietur, qui libertatem armis tueatur. *Regnare.*] Atroci verbo & invidioso utitur, *regnare*: quum regni affectatores, Sp. Melium, Saturninum & alios nonnullos, vel ex levissima suspicione ad cædem rapere solerent. *Hortens.*

319. *Quin publica signa.*] Epilogus, quo hortatur Brutum, ut consociatis animis & armis, auspicia Senatus, & Pompeji sequantur. Ea *publica* quasi Pop. Romani vocat, quum Cæsaris *hostilia* sint. *Hortens. Quin publica, &c.*] Hortatur Brutum ad arma capessenda & Pompeji partes, reddita ratione.

Digitized by Google

320 *Pompejum sequimur? nec, si fortuna favebit,*
Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi
Non bene compertum est: ideo me milite vincat,
Ne sibi se vicisse putet. Sic fatur: & acres
Irarum movit stimulos: juvenisque calorem
325 *Excitat in nimios belli civilis amores.*
Interea, Phœbo gelidas pellente tenebras,
Pulsatæ sonuêre fores: quas sancta relicto
Hortensii mœrens irrupit Marcia busto.
Quondam virgo toris melioris juncta mariti:
330 *Mox ubi connubii pretium, merceſque soluta est*
Tertia jam soboles, alios fecunda penates
Impletura datur; geminas è sanguine matris
Permistura domos. sed postquam condidit urna
Supremos cineres, miserando concita vultu,

Effu-

320. *Nec, si fortuna, &c.*] Cæsarem affectare monarchiam jam dudum compertum est: de Pompejo, non liquet, hujus itaque auspicia sequar, qui non sibi, sed patriæ militat.

321. *Hunc.*] Pompejum. Nam si fortuna Pompejo faverit, satis constat, quod is non vindicabit sibi jus Mundi; hoc est, principatum & perpetuam dictaturam, quam affectat Cæsar. *Hortensius.*

323. *Ne sibi se, &c.*] Rectam esse hanc emendationem, docet Ms. Puteanor. & Thuan. Hæc quoque, inquit, justa causa est, cur Pompejo militem; ut vel hinc intelligat, causam agi non suam, sed publicam: & si eadem quæ Cæsar cogitat, eundem me ipsi futurum, qui nunc sum Cæsari. *Grot.*

324. *Juvenisque.*] Bruti.

326. *Phœbo.*] Oriente Sole.

327. *Relicto Hortensii mœrens irrupit Marcia busto.*] Cato Marciam uxorem ex qua tres susceperat filios, jamque gravidam amico Hortensio postulanti cessit, quo defuncto eandem recepit. Quod illi exprobravit Cæsar: inescandi (inquiens) Hortensii causa dimisit pauperem, quam postea reciperet ditatam.

328. *Irrupit.*] Ingressa est. Hanc Poëta fingit hoc loco, sua sponte Catonem adiisse, non autem accitam: & eruditè in Marciæ prosopographia immoratur, sepulto Hortensio marito, sub initium civilis belli. *Melioris maritum* vocat Catonem, cui prius nupta fuerat. *Hortens.*

329. *Melioris juncta mariti.*] Catonis.

330. *Pretium.*] Ut pater esset trium liberorum. *Merceſque soluta est.*] Ubi est matrimonii officio satisfactum, & proles suscepta, quæ est matrimonii præmium; nam ad eam suscipiendam inventum fuit. *Sulpit.*

331. *Fecunda.*] Parata ad procreandum.

332. *Geminas, &c.*] Catonis & Hortensii.

334. *Supremos cineres.*] Cineres superioris mariti, Hortensii.

335. *Con-*

Digitized by Google

335 *Effusas laniata comas, concussaque pectus*
Verberibus crebris, cineresque ingesta sepulcri,
Non aliter placitura viro, sic mœsta profatur:
Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
Jussa Cato, & geminos excepi feta maritos.
340 *Visceribus lassis, partuque exhausta, revertor*
Jam nulli tradenda viro. da fœdera prisci
Illibata tori: da tantum nomen inane
Connubii: liceat tumulo scripsisse, Catonis
Marcia: nec dubium longo quæratur in ævo,
345 *Mutârim primas expulsa, an tradita, tedas.*
Non me lætorum sociam, rebusque secundis
Accipis: in curas venio, partemque laborum.
Da mihi castra sequi: cur tuta in pace relinquar,
Et sit civili propior Cornelia bello?

Hæ

335. *Concussaque.*] Mss. rectius *contusaque.* Grot.

336. *Cineresque.*] Aspersa cineribus mariti.

337. *Non aliter, &c.*] Inculta, neglecta & mœrens, placitura inculto & rigido Catoni.

338. *Dum sanguis inerat, dum vis materna.*] Multis & validis argumentis probat Gronovius hic *justa* requiri, quem pudicè vocat *sanguinem* & *vim maternam*: neque enim sine his justa illa matronalia sive uxoria præstantur. Sed & præcesserat ex persona Poëtæ narrantis: *connubii pretium mercesque soluta est Tertia jam suboles.* Quid hoc aliud quam prioris connubii justa peracta? Porro sic etiam *justa funebria* dicuntur. Vide Gronov. Observ. lib. 4. cap. 6. *Sanguis inerat.*] Extenditur ultimâ in *Sanguis. Dum vis materna.*] Mater esse poteram.

339. *Jussa Cato.*] Tua, qui me tradidisti Hortensio. *Feta.*] Prægnans.

340. *Visceribus lassis.*] Defesso & jam sterili utero; sum enim anus. *Sulpit. Partuque exhausta.*] Effæta.

341. *Da fœdera, &c.*] Recipe me in torum pudicum, ἀνατφεῦον τοῦ. Infra ✠ f. 378.

342. *Illibata.*] Est autem id quod petit honestum, maximè quum addit, *illibata fœdera*; castum nempe, utpote quæ non concubitus caussa eam rem petat. *Nomen inane.*] Ut Catonis uxor solummodo dicatur. *Hortens.*

343. *Liceat tumulo, &c.*] Ut sepulchro meo inscribatur: *Marcia Catonis.*

344. *Nec dubio, &c.*] Ne in dubio sit apud posteros, repudiata ne fuerim an tradita. *Grotius* legit *dubium.*

345. *Mutarim tedas, &c.*] Mutarimne primas nuptias repudiata; an ex utriusque consensu *tradita* amico Hortensio. *Hortens.*

346. *Non me lætorum.*] Neque venio particeps futura rerum lætarum, sed comes & solatium tibi in adversis.

348. *Da mihi castra sequi.*] Periculorum etiam comitem ad Corneliæ imitationem se offert. *Sulpit.*

349. *Cornelia bello?*] L. Scipionis filia, quam post mortem Juliæ duxit Pom-

Digitized by Google

350 *Hæ flexêre virum voces, & tempora quanquam*
Sunt aliena toris, jam fato in bella vocante:
Fœdera sola tamen, vanaque carentia pompa
Jura placent, sacrisque deos admittere testes.
Festa coronato non pendent limine serta;
355 *Insulaque in geminos discurrit candida postes,*
Legitimæque faces, gradibusque acclivis eburnis
Stat torus, & picto vestes discriminat auro:
Turritaque premens frontem matrona corona,
Tralata vetuit contingere limina plauta.

Nox

Pompejus, jamque sub initium belli Mytilenen ablegavit, victus autem fugienſque in Ægyptum, eam receptam fugæ comitem habuit. lib. 5. ✠ſ. 722.

351. *Aliena toris, &c.*] Non contrahendis matrimoniis apta, imminente jam civili bello.

352. *Fœdera, &c.*] Hinc dilatat narrationem à ceremoniis nuptialibus Romanorum id temporis; quarum nihil tum inter eos celebratum fuit. Harum enumeratione admirabili copia narrationem amplificat. *Hortenſ. Fœdera sola tamen.*] Conjugii fides, citra pompam celebrem & ceremonias nuptiarum.

353. *Deos admittere testes.*] Jovem & Junonem τελείους, Venerem, Suadam, Dianam. vide Plutarch. Rom. Quæſt. 2. & quæ nos ad Medeam Senecæ ✠ſ. 1.

354. *Festa coronato, &c.*] In celebritate nuptiarum postes & januam floribus & festa fronde ornabant. Juvenal. lib. 6. ✠ſ. 80.

355. *Insulaque.*] Novæ nuptæ ad limen mariti ubi venissent, postes, priusquam ingrederentur, laneis vittis & fasciis redimibant, oleoque ungebant. *Insulaque.*] Conjunct. copulat. *que*, pro *nec*, ut supra ✠ſ. 35.

356. *Legitimæque faces.*] Ἐγὼ δ' ἤτοι σοι πυρὸς ἀφῆψα φῶς νόμιμον σὺν γάμοις, &c. Euripides in Phœnissis. Quinque autem faces adhibebantur in nuptiis. vide quæ nos ad Sen. Thebaid. ✠ſ. 507. rationes lege apud Plutarch. Rom. Quæst. 2. & Augustin. de Civit. Dei, lib. 6. cap. 9. & lib. 7. cap. 24. *Gradibusque, &c.*] Neque lectus in honorem Genii sternitur in aula, in quem gradibus inscenditur eburnis, stragulo acupicto auroque intertexto tectus.

357. *Discriminat.*] Dividit & variat lymbis, & lineis aureis.

358. *Turritaque premens, &c.*] Neque more nuptarum gerens coronam turriculis distinctam atque insurgentem, vitat (sic enim legit Brodæus) tangere limen. Neque enim è religione erat novam nuptam pedibus limen tangere, sed in transgressu supportabatur à Pronubis aut transiliebat. Rationes vide apud Plutarch. Rom. Quæst. 29. Si retineamus *vetuit*? Quid si sic intelligamus? Neque Berecynthia mater, Cybele turrita, quæ eadem est cum Vesta, id est, terra, vetuit hanc nuptam contingere limen pedibus. Varro enim ref. Serv. ad 8. Ecl. Virg. opinatus est, ideo sponsas limen non tetigisse, ne à sacrilegio inchoarent, si deposituræ virginitatem calcarent rem Vestæ, id est, numini castissimo consecratam. J. Rutgersius leg. *metuit*, sensu quo Horat. Od. 2. lib. 2. *penna metuente solvi, &c.* Var. Lection. lib. 1. cap. 12.

359. *Tralata vetuit.*] Pro *metuit* habent

Digitized by Google

360 *Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem*
Lutea demissos velarunt flammea vultus:
Balteus haud fluxos gemmis astrinxit amictus,
Colla monile decens; humerisque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.
365 *Sic, ut erat, mœsti servans lugubria cultus,*
Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.
Obsita funerea celatur purpura lana.
Non soliti lusêre sales: nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.
370 *Pignora nulla domus, nulli coiêre propinqui.*
Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.

Ille

bent *vitat* MS. Puteanor. & Thuan. & R. antiquior. quam lectionem in textum recipiendam censeo. Et *matrona* accipiendum, non de pronuba, sed de ipsa nova nupta. *Grotius.* Fuit autem apud Romanos moris, ut domo egrediens nova sponsa, limen transiliret. Plautus in Casina: *Sensim super attolle limen pedes nova nupta.* Plutarch. Διὰ τὴν γαμικὴν ὁδὸν ἐστὶν αὐτῇ ὑπερβῆναι τὴν οἰκίας, ἀλλ' ὑπερείδουσιν οἱ παρόντες. Plaut. in Casina: *Ubi tu es, qui colere mores Massilienses postulas?* hoc est molles. *Brodæus.*

360. *Non timidum, &c.*] Non operiebatur flammeo, velo luteo, seu rubro, quo novarum nuptarum capita tegebantur pudoris gratia, vel in subjectionis symbolum.

362. *Balteus, &c.*] Non zona gemmis distincta cinxit vestes; non monile ornabat collum.

363. *Humerisque suppara, &c.*] Ubi & vestem superiorem fuisse apparet, & primis humeris hæsisse. Cur autem dicatur *nudatos lacertos* cinxisse, ea fortasse causa est, quod Marcia recens à funere Hortensii mariti, nudis ad planctum pectore & lacertis veniebat. Subjicit enim: *Sicut erat mœsti servans lugubria cultus.* Porro eleganter Tertullianus adversus Gentes, vexillorum vela transversis hastulis alligata *suppara* vocat, & *stolas crucium* appellat. *Supparum* Nonius interpretatur, *Linteum femorale usque ad talos pendens, dictum quod subtus appareat.* At Varro lib. IV. de L. L. à subucula distinguit, & ab eo deducit quod est supra. *Alterum genus inquit, quod subtus est; à quo supparus.* Quod verisimilius. *Ferrar.*

364. *Suppara.*] Supparum, subuculæ seu tunicæ genus pectora complexum. Ald. Manut. lib. 3. Quæsit. 2. per epist.

365. *Sic, ut erat, &c.*] A recenti funere mariti squallida & pullata.

367. *Funerea lana.*] Pulla.

368. *Non soliti lusêre sales, &c.*] Non occinebantur, pro more nuptiarum à Sabinis seu Fescenninis tracto, dicteria. de his vide quæ nos ad Medeam Senecæ v. s. 113.

370. *Pignora nulla.*] Non liberi.

371. *Taciti.*] Sine pompa & strepitu ceremoniarum. *Contentique auspice Bruto.*] Adhibito tantum Bruto quasi auspice & paranympho. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

372. *Ille*

Digitized by Google

Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore
Cæsariem, duroque admisit gaudia vultu:
(Ut primùm tolli feralia viderat arma,
375 *Intonsos rigidam in frontem descendere canos*
Passus erat, mæstamque genis increscere barbam.
Uni quippe vacat studiisque odiisque carenti,
Humanum lugere genus) nec fœdera prisci
Sunt tentata tori: justo quoque robur amori
380 *Restitit. hi mores, hæc dari immota Catonis*
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Huic epulæ, vicisse famem: magnique penates,
385 *Submovisse hyemem tecto: pretiosaque vestis,*
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam: Venerisque huic maximus usus,
Progenies; Urbi pater est, Urbique maritus:
Justitiæ cultor, rigidi servator honesti:

In

372. *Ille nec horrificam, &c.*] Cato non barbam posuit, non capillitium, non vultu præ se tulit lætitiam, non cum uxore rem habuit, ab illo tempore quo civile bellum parari viderat.

377. *Uni quippe vacat studiisque, &c.*] Partium studiis minime occupatus, Philosophiæ studiis vacat, quæ docent se noscere, suasque deplorare miserias.

379. *Robur amori Restitit.*] Constans immotusque animus.

381. *Secta fuit.*] Stoica. *Finemque tenere.*] Prospicere finem & ad eum omnia referre.

384. *Huic epulæ, vicisse famem.*] Laudat Catonem à temperantia & frugalitate. Pro delitiis habuit omne id, quod famem pellebat: pro luculentis ædibus tectum, quamvis modicum ac tenue, sub quo adversus cæli injuriam latitaret. Splendidum satis ducebat amictum penulam villosam & hirtam contra frigus & aëris inclementiam. *Hortens. Sulpitius. Huic epulæ, &c.*] Vide tamen quid de illius potationibus ad auroram protractis scribat Plutarchus in vita ejus, quod & illi objectum à Cæsare. *Magnique penates.*] Supra vſ. 238.

386. *More Quiritis.*] More veterum Romanorum, qui dicebantur Quirites, vel à Curibus vel à Romulo Quirino dicto, quod hastam, quæ Sabinis Quiris est, gestare solebat. *Hirtam membra super, &c.*] Ubi *more Quiritis* non est more veterum Romanorum, ut volunt interpretes; nam & posteri Quirites, & ipse Cato: sed *Quiris* pro quolibet ex populo, id est, plebeia vulgarique toga contecto & angusta, rudique textura confecta. *Ferrarius.*

388. *Progenies.*] Sobolis procreatio.

391. *Sub-*

Digitized by Google

390 *In commune bonus: nullosque Catonis in actus*
Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas.
Interea trepido discedens agmine Magnus,
Mœnia Dardanii tenuit Campana coloni.
Hæc placuit belli sedes, hinc summa moventis
395 *Hostis in occursum sparsas extendere partes,*
Umbrosis mediam qua collibus Appenninus
Erigit Italiam, nullo quà vertice tellus
Altius intumuit propiusque acceßit Olympo.
Mons inter geminas medius se porrigit undas
400 *Inferni Superique maris: collesque coërcent*
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Pisæ,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Fontibus hic vastis immensos concipit amnes,
Fluminaque in gemini spargit divortia ponti.

In

391. *Subrepsit.*] Subintravit: nunquam enim in sua vita, & in actibus suis voluptates admisit.

392. *Interea trepido, &c.*] Pompejus perterritus rumore adventantis propere Cæsaris, Capuam ex urbe temere profugit. hic se confirmavit, hanc belli sedem primum intendit.

393. *Mœnia Dardanii.*] Capuam, à Capy Trojano, ut quidam volunt, conditam.

394. *Belli sedes.*] Hic delectu habito copias colligere, exercitum conscribere, Cæsari summa molienti occurrere.

395. *Sparsas extendere partes.*] Mittere & dividere cohortes & copias. *Sulpit.*

396. *Umbrosis mediam, &c.*] In regione plana, qua Apennini latus modice assurgit.

399. *Mons inter geminas, &c.*] Est autem Apenninus, mons, qui Italiam in longitudinem tanquam spina dorsi secat à sinistra parte mare Adriaticum seu Superum spectans, à dextra mare Tyrrhenum seu Inferum respiciens.

400. *Collesque coërcent, &c.*] Cujus colles & latera signat coërcetque à dextra in imo sinu Tyrrheni maris, urbs Pisæ à sinistra. Ancona Piceni urbs in Adriatico mari, ventis & fluctibus è Dalmatia advenientibus exposita, est enim ἀδριὰν ulna cubiti, ceu sura potius Italiæ in tibiæ formam porrectæ. *Coërcent.*] Constringunt utrinque.

402. *Dalmaticis.*] Hadriaticis: sumpto epitheto ab ora adversa littoris Illyrici, circà quam Dalmatia est, quæ Pannoniæ pars est, spectans ad Adriaticum mare. *Hortens.*

403. *Fontibus hic vastis, &c.*] Ex hoc Apennino oriuntur multi celebres amnes qui delabuntur in utrunque mare Superum & Inferum. Divortia aquarum sunt (inquit Turnebus Adverf. lib. 14. cap. 11.) juga unde in diversa aquæ & cœlestes & perennes divertunt. *Et ipsis jugis ad divortia aquarum castra posuit.* Livius.

404. *Divortia.*] In diverticula superi inferique maris, quod longis anfractibus & mæandris divertant, priusquam maria ingrediantur. *Hortens.*

405. *In*

405 *In lævum cecidere latus, veloxque Metaurus,*
Crustumiumque rapax, & junctus Isapis Isauro,
Sennaque, & Adriacas qui verberat Ausidus undas:
Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem,
Eridanus, fractasque evolvit in æquora silvas,
410 *Hesperiamque exhaurit aquis. Hunc fabula primum*
Populea fluvium ripas umbrasse corona:
Cumque diem pronum transverso limite ducens,
Succendit Phaëthon flagrantibus æthera loris,
Gurgitibus raptis penitus tellure perusta,
415 *Hunc habuisse pares Phœbeis ignibus undas.*
Non minor hic Nilo, si non per plana jacentis
Ægypti Libycas Nilus stagnaret arenas.
Non minor hic Istro, nisi quod, dum permeat orbem
Ister,

405. *In lævum cecidere latus.*] In Superum mare ceu Adriaticum, *golfo de Venetia. Metaurus.*] Umbriæ fluv. Asdrubalis clade notus.

406. *Crustumiumque rapax.*] Fl. in Flaminia. *Et junctus Isapis Isauro.*] Scribe cum MS. Puteanor. & R. A. *Et juncto Sapis Isauro.* Exstat id nomen fluminis apud Plin. III. 15. *Grotius. Isapis.*] Flaminiæ fluv. Straboni lib. 3. sed Plinio lib. 3. cap. 15. & Boccatio *Sapis. Isauro.*] Piceni fluv. Blondo & Leandro *Flegia.*

427. *Sennaque & Adriacas.*] *Et Clausis & Rubicon & Senonum de nomine Senna.* Sil. 8. *Verberat.*] Cum impetu influit. *violens obstrepit Ausidus.* Horat. lib. 3. od. 30. *Ausidus undas.*] Apuliæ fluv. Cannensi clade memorabilis, *L. Osanio.*

408. *Quoque magis, &c.*] Padus *Po*, totius Europæ amnium longe maximus, circa ostia, excepto Danubio. *Proluit insano contorquens vortice sylvas Fluviorum rex Eridanus.* Virg. Georg. 1. non autem oritur ex Apennino, uti nec alii quidam fluvii quorum fontes poëta Apennino tribuit.

410. *Hesperiamque exhaurit aquis.*] Amnes navigabiles & lacus immensi in Padum se exonerant, ita ut flumina 30. in Adriaticum effundat. *Exhaurit aquis.*] Quicquid enim aquarum est in Italia secum videtur arripere: nam multa in eum influunt flumina. *Sulpit. Hunc fabula primum, &c.*] Fabula ceu fama est, Phaëtontis sorores versas fuisse in populos ad ripas hujus fluvii, &c. Ovid. 2. Met.

412. *Diem pronum.*] Solem præcipitem. *Transverso limite ducens.*] A via errantem.

413. *Flagrantibus loris.*] Habenis & curru ardentibus. *Idem.*

414. *Gurgitibus raptis, &c.*] Cæteris fluv. exhaustis & desiccatis, Eridanum parem fuisse extinguendo Phaëtonti.

416. *Non minor hic Nilo.*] Si nactus fuisset terram planam & jacentem, instar Ægypti, per quam Nilus leniter decurrens stagnat seque extendit.

418. *Istro, nisi quod, &c.*] Max. Europæ fluv. cujus superior pars Danubius, inferior Ister vocatur, *Donau, Danaw*, qui in agro Frustembelgensi non Abnoba

Ister, casuros in quælibet æquora fontes
420 *Accipit; & Scythicas exit non solus in undas.*
Dexteriora petens montis declivia Tybrim
Unda facit, Rutubamque cavum. delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & umbrosæ Liris per regna Maricæ
425 *Vestinis impulsus aquis, radensque Salerni*
Culta Siler, nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinæ procurrit in æquora Lunæ.
Longior educto quà surgit in aëra dorso,
Gallica rura videt, devexasque excipit Alpes.
430 *Tunc Umbris Marsisque ferax, domitusque Sabello*
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnes
Indigenas Latii populos, non deserit antè

Hespe-

Abnoba monte, (ut olim creditum) ortus, 60. amnes receptos in Pontum defert per 6. ostia. Mela lib. 2. cap. 1.

420. *Scythicas in undas.*] In mare Ponticum.

421. *Dexteriora petens montis declivia Tybrim Unda facit, Rutubamque cavum.*] A dextra parte Apennini in mare Tyrrhenum defluunt Tiberis per Etruriam, Romam alluens, *Tivere*; & Rutuba, quem Vibius agnoscit in Tiberim influentem. Est & alius hujus nominis Ligurijæ fluv.

422. *Cavum.*] Propter riparum altitudinem.

423. *Vulturnusque celer.*] Fl. Campaniæ. *Nocturnaque editor auræ Sarnus.*] Fl. qui per Lucanos, Picentinos, & Campanos labitur, in paludes diffusus, opacas & tetras exhalat nebulas, *Scafate.*

424. *Umbrosæ.*] Sylvosæ. *Liris per regna Maricæ.*] Liris fluv. Campaniæ Minturnas præterfluens. Minturnensium autem numen Marica mater Latini regis, quæ prius Circe fuerat. Lactant. 1. fals. relig. cap. 21. hodie *Garigliano.*

425. *Vestinis impulsus aquis, &c.*] In quem se exonerant flumina Vestinorum.

426. *Siler.*] Sive Silarus Campaniæ fluv. qui alluit agros Salerni opp. Picentinorum. *Macra moratus.*] Macra Liguriam ab Etruria disterminans, in mare prolapsus juxta Lunam portum Etruriæ, innavigabilis, quia vadosus.

427. *Alnos.*] Naves, rates.

428. *Longior educto, &c.*] Apenninus Galliam prospiciens in longitudinem per omnem Italiam exporrectus, quem Umbri, Marsi, Samnites, Aborigenes antiquissimus Latii pop. colunt, in duo deinde se dividens brachia, altero extenditur in Rhegium promontorium Brutiorum, in Siculo mari, *Rhezo*; altero in Lacinium promontorium juxta Crotonem, *Cabo delle colonne.* à Junonis Laciniæ columnis & templo.

429. *Gallica rura.*] Despicit Galliam Transalpinam. *Alpes devexas.*] Montes inclinatos & pendulos.

430. *Tunc Umbris.*] Prosequitur ordine tractum Apennini montis, ad Siculum mare usque, ubi terminatur.

431. *Indigenas.*] Qui in eo loco geniti sunt. *Sulpit.*

Hesperiam, quàm cùm Scyllæis claditur undis,
Extenditque suas in templa Lacinia rupes,
435 *Longior Italia, donec confinia pontus*
Solveret incumbens, terrasque repelleret æquor.
At postquam gemino tellus elisa profundo est,
Extremi colles Siculo cessere Peloro.
Cæsar in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
440 *Gaudet habere vias, quòd non terat hoste vacantes*
Hesperiæ fines, vacuosque irrumpat in agros,
Atque ipsum non perdat iter, consertaque bellis
Bella gerat. non tam portas intrare patentes
Quàm fregisse juvat: nec tam patiente colono

Arva

434. *In templa Lacinia.*] Juno Lacinia in Calabria colebatur in templo ditissimo atque sanctissimo, quod ei constituit Hercules, Lacinio latrone illic occiso. *Sulpit.*

435. *Longior Italia, &c.*] Atque se quondam Apeninus extendebat ulterius quam nunc est Italia, continuatus scil. junctaque Siciliæ, sed *venit medius vi pontus & undis Hesperiam Siculo latus abscidit arvaque & urbes Litore diducta angusto interluit æstu.* Virgil. Æneid. 3. *Pontus.*] Mare Ionium & Siculum.

436. *Solveret.*] Dissolveret vicinitatem. nam mare Tyrrhenum vicinam Siciliam suo æstu ab Apenninis jugis abrumperet, & viam faceret inter Italiam & Siciliam, quæ conjunctæ aliquando fuerunt; sed ipsum pelagus à Sicilia suum nomen retinuit, postquam æstu maris ab Italia abrupta fuit.

437. *Gemino tellus, &c.*] Hinc Ionio, inde Tyrrheno mari.

438. *Extremi colles Siculo, &c.*] Extrema pars Apennini abscissa est Peloro promontorio Siciliæ quod Italiam prospicit, in cujus appellationem & ipse cessit. *Siculo cessere, &c.*] Ubi ergò Italia duobus æquoribus à Sicilia est avulsa; extrema Apennini juga cesserunt, interluente pelago, Siciliæ promontorio Peloro, inter quod & Rhegium angustissimum est fretum. *Hortens.*

439. *Cæsar in arma furens, &c.*] *Varie hic implicitæ sunt conjunctiones*, uti monuimus supra ℣. 35. *Sed ita disponendas arbitror.* Cæsar armis potius rem peragi quam pacate exoptans (ut lib. 1. ℣. 146.) *Acer & indomitus quo spes quoque ira vocasset ferre manum, & nunquam temerando parcere ferro, &c. gaudensque viam fecisse ruina*; gaudet nullas habere vias nisi sanguine fuso, non gaudet quod terat Italiæ fines hoste vacantes. præsidiis vacuos irrumpat agros, nec agros vastandi occasionem offendat quacunque ruit, quod bella manu conserta hostemque non conveniat. juvat non tam portas, &c. infra lib. 3. ℣. 364.

440. *Quod non terat, &c.*] Gaudet hoc ipso, quod vacuum non invenit Italiam. *Grotius.*

442. *Non perdat iter.*] Perit iter Cæsari, in quo non vincit. Ita infrà: *Sic hostes nihil deesse nocet, damnumque putatur Armorum, nisi qui vinci potuere repellent.* Grot. *Consertaque bellis.*] Connexa: ut uno nondum finito incipiat aliud. *Sulp.*

444. *Patiente colono, &c.*] Non impediente, transitum permittente.

446. *Con-*

445 *Arva premi, quàm si ferro populetur, & igni.*
Concessa pudet ire via, civemque videri.
Tunc urbes Latii dubiæ, varioque favore
Ancipites, quanquàm primo terrore ruentis
Cessuræ belli, denso tamen aggere firmant
450 *Mœnia, & abrupto circundant undique vallo:*
Saxorumque orbes, & quæ super eminus hostem
Tela petant, altis murorum turribus aptant.
Pronior in Magnum populus, pugnatque minaci
Cum terrore fides: ut cùm mare possidet Auster
455 *Flatibus horrisonis, hunc æquora tota sequuntur:*
Si rursus tellus pulsu laxata tridentis
Æolii, tumidis immittat fluctibus Eurum,
Quamvis icta novo, ventum tenuêre priorem
Æquora, nubiferoque polus cum cesserit Euro,
460 *Vendicat unda Notum. Facilis sed vertere mentes*
Terror erat; dubiamque fidem fortuna ferebat.
Gens Hetrusca fuga trepidi nudata Libonis,

Fus-

446. *Concessa pudet ire via.*] Hostiliter grassari maluit.

447. *Varioque favore Ancipites, &c.*] Cæsaremne reciperent, an Senatus Pompejique autoritatem tuerentur.

448. *Ruentis.*] Ingruentis belli.

449. *Cessuræ.*] Defecturæ.

450. *Abrupto, &c.*] Præcipiti, tumultuario.

451. *Saxorumque orbes.*] Saxorum acervos, vel saxa rotunda tormentis emittenda.

453. *Pronior in Magnum populus.*] Et post varios conflictus mentis, hinc studiorum & fidei erga Pompejum, inde metus Cæsaris: vicere tandem studia & fidem metus fortunaque Cæsaris. in Comparatione itaque Austrum cape Pompejum, Eurum Cæsarem, mare populum. *Pugnatque minaci, &c.*] Sive ob veterum victoriarum memoriam, quibus formidabilis erat Pompejus; sive quod ex urbe profecturus, edicto pronuntiasset, habiturum se pro hoste Reipub. quicunque sua castra non esset secutus: sive quod princeps civitatis, summam haberet authoritatem ob perpetuam domi & belli felicitatem.

456. *Tellus pulsu, &c.*] Strongyle, antrum Æoli, quo *Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit Æolus, &c.* Virg. 1. Æneid. eo enim respicit poëta.

459. *Polus.*] Aër. *Cum cesserit.*] Ita emendavimus. ante fuit, *concesserit.* Grotius.

460. *Vendicat.*] Acquirit, retinet.

462. *Gens Hetrusca.*] Ubi in universum totius propè Italiæ studium in Pompejum commemoravit: transitione hinc refert, qui duces Pompejani, & primum quidem in Hetruria; mox in Umbria dederint se, vel in fugam abierint. *Hortensius. Libonis.*] Præfecti tum

Jusque sui pulso jam perdidit Umbria Thermo.
Nec gerit auspiciis civilia bella paternis
465 *Cæsaris audito conversus nomine Sylla.*
Varus, ut admotæ pulsarunt Auximon alæ,
Per diversa ruens neglecto mœnia tergo,
Quà silvæ, quà saxa, fugit. depellitur arce
Lentulus Esculea. victor cedentibus instat,
470 *Divertitque acies: solusque ex agmine tanto*
Dux fugit, & nullas ducentia signa cohortes.
Tu quoque nudatam commissa deseris arcem
Scipio Luceriæ: quanquàm fortissima pubes
His sedeat castris, jampridem Cæsaris armis

Par-

forte Etruriæ. ad Scribonium Libonem missum Caninium Revilum legatum colloquii causa de pace concilianda, meminit autor Commentariorum de civili bello lib. 1. fuisse item Achaiæ ac Liburniæ classis præfectum, lib. 3.

463. *Jusque sui pulso, &c.*] Adventu Curionis cognito, è Tignio cohortes eduxisse & profugisse Thermum reperio lib. 1. de civili bello. sed ubi Tignium sit, non ita facile. Firmium forte aut aliud opp. Umbriæ. Tignia est Picenorum fluv.

464. *Nec gerit auspiciis, &c.*] Faustus Sylla degenerans à patris fortitudine & fortuna, fugam cepit.

466. *Varus, &c.*] Atius Varus, decurionibus Auximi Picenorum opp. ad Cæs. inclinantibus, præsidium ex oppido educit, & profugit, &c. lib. 1. com. civ. bell. *Alæ.*] Equitum proprie vexillationes.

467. *Neglecto mœnia tergo.*] Hosti in fuga exposito.

468. *Depellitur arce, &c.*] Asculum Picenum Lentulus Spinther cum decem cohortibus tenebat: qui Cæsaris adventu cognito, profugit ex oppido. cohortes secum abducere conatus à magna parte militum deseritur lib. 1. de civ. bel.

470. *Divertitque acies.*] A recto itinere aliâ circumduxit: vel potius à duce ad se avocat. *Grotius. Solusque.*] Traditis copiarum reliquiis Vibullio Rufo.

473. *Luceriæ.*] *Nuceriæ* legit Micyllus, quæ in Umbria, ubi jam erat Cæsar & in Piceno. Verum hac in parte sæpius excusandus est poëta, ut qui neque temporum neque rerum servet ordinem. ut post discessum Pompeji, qui iis rebus cognitis, quæ erant ad Corfinium gestæ, Luceria profectus est Canusium, atque inde Brundusium, Scipio Luceriæ in præsidio relictus profugerit. fuit autem hic L. Scipio socer Pompeji.

474. *Jampridem Cæsaris, &c.*] Ad Cæsaris vites minuendas Marcellus author fuit patribus Senatusconsulti, quo decernebatur ut Bibulo (quem in Parthos, post cædem Crassi mittendum præ se ferebant) Pompejus legionem unam, Cæsar alteram cederet. Cæsar itaque cum unam pro se traderet, & Pompejus repetebat ab illo alteram, quam post Tituriî Cottæque Cæsaris prætorum acceptam cladem, utendam illi dederat, ita utranque Cæsar suppeditavit. Has legiones habuisse Scipionem refert poëta. Dio. lib. 40. & Appian. lib. 2. de civ. bel.

476. *Sup-*

Digitized by Google

475 *Parthorum subducta metu: qua Gallica damna*
Supplevit Magnus, dumque ipse ad bella vocaret,
Donavit socero Romani sanguinis usum.
At te Corfini validis circundata muris
Tecta tenent pugnax Domiti: tua classica servat
480 *Oppositus quondam polluto tiro Miloni.*
Ut procul immensam campo consurgere nubem,
Ardentesque acies percussis sole corusco
Conspexit telis, Socii decurrite, dixit,
Fluminis ad ripas, undæque immergite pontem:
485 *Et tu montanis totus nunc fontibus exi,*
Atque omnes trahe gurges aquas, ut spumeus alnos
Discussa compage feras. hoc limite bellum
Hæreat, hac hostis lentus terat otia ripa.
Præcipitem cohibete ducem: victoria nobis

Hic

476. *Supplevit Magnus.*] Cum Cæsar in Italiam venisset, cognovit per M. Marcellum duas eas legiones, quas dixi, quæ ex S. C. debuissent ad Parthicum bellum mitti, Cn. Pompejo fuisse traditas *Gallica damna* dicit Titurium Sab. & Cottam cæsos in Ambiorigis conspectu. *Dumque ipse.*] Eas legiones Pompejus L. Scipioni tradiderat socero suo, donec ipse eas ad reliquas copias evocaret. *Hortens.*

478. *At te Corfini, &c.*] L. Domitius Ænobarbus successor Cæsari in Galliis S. C. delegatus, se receperat in Corfinium Pelignorum oppidum cum XX. cohortibus; hunc Cæsar insequitur

479. *Pugnax Domiti.*] Imo pusillanimis & minime militaris. Sed Poëta noster, pronioris semper in Pompejum studii, Pompejanos extollit, Cæsarianos deprimit. *Tua classica, &c.*] Tu Domiti accepisti cohortes quibus Pompejus sorum sepserat in quæstione de Clodio à Milone cæso. supra libro I. *v.* 323.

480. *Oppositus quondam, &c.*] Cur enim Milo pollutus? accusatum sciunt omnes, & forum cohortibus militaribus circumseptum. Legendum est igitur, ni fallor: *Oppositus quondam pullato tyro Miloni.* Dempster.

481. *Ut procul, &c.*] Domitius cohortes V. præmisit ex oppido, qui pontem fluminis, quod erat ab oppido IIIM. passuum, interrumperent, ubi cum antecursoribus Cæsaris prælio commisso, celeriter Domitiani à ponte repulsi, se in oppidum receperunt. *Nubem.*] Pulverem à cohortibus excitatum.

482. *Ardentesque, &c.*] Ad solem fulgentes.

485. *Et tu montanis, &c.*] Aversio ad amnem, ut quantum possit, cum omnibus fontibus è montibus delapsus, & agros inundet, & disturbet pontem.

486. *Alnos.*] Sublicas & tigna pontis ex alno vel alio quovis ligno.

487. *Discussa compage feras.*] Dissolutis juncturis pontis. *Hoc limite, &c.*] Pons interruptus moretur & retardet festinantem Cæsarem.

489. *Victoria nobis, &c.*] Hic mo-

Digitized by Google

490 *Hic primùm stans Cæsar erit. nec plura locutus,*
Devolvit rapidum nequicquam mœnibus agmen.
Nam prior è campis, ut conspicit amne soluto
Rumpi Cæsar iter, calida prolatus ab ira,
Non satis est muris latebras quæsisse pavori?
495 *Obstruitis campos, fluviis arcere paratis,*
Ignavi? non si tumido me gurgite Ganges
Summoveat, stabit jam flumine Cæsar in ullo,
Post Rubiconis aquas. equitum properate catervæ:
Ite simul pedites: ruiturum ascendite pontem.
500 *Hæc ubi dicta, levis totas accepit habenas*
In campum sonipes: crebroquè simillima nimbo
Trans ripam validi torserunt tela lacerti.
Ingreditur pulsa fluvium statione vacantem
Cæsar, & ad tutas hostis compellitur arces.
505 *Et jam moturas ingentia pondera turres*
Erigit, & mediis subrepsit vinea muris.
Ecce, nefas belli, reseratis agmina portis

Capti-

ram trahere coactus Cæsar nobis pro victoria sit.

491. *Devolvit rapidum, &c.*] Emittit v. cohortes ex oppido.

492. *Amne soluto, &c.*] Ponte interrupto, qui fluvium coërcebat: nam *ligatus* dicitur fluvius, qui pontem supra se habet.

493. *Prolatus.*] Percitus ira, ad hunc modum eos insectatur. *Hortens.*

496. *Ganges.*] Indiæ fluvius qui Cyro & Alexandro moram injecit. *Ganges.*] Hoc est, si Ganges me transitu prohibere non posset, multò minus hic fluvius meum impetum sustinebit; imò nulli amnes, post transitum Rubiconis. A majori ad minus. *Hortens.*

498. *Post Rubiconis.*] Postquam transierim Rubiconis aquas. lib. 1. ✠ f. 185.

499. *Ruiturum.*] Quem diruere patant.

503. *Statione, &c.*] Domitianis militibus.

504. *Et ad tutas, &c.*] Cæsar legionibus adductis ad oppidum constitit, juxtaque murum castra posuit, turres erexit, tormenta paravit, vineas admovit. *Ad tutas arces.*] Intrà Corfinium.

505. *Turres.*] Nam è turribus missilia librabantur. *Grotius.*

506. *Vinea muris.*] Vide l. 3. ✠ f. 487.

507. *Ecce, nefas belli, &c.*] Domitius ad Pompejum in Apuliam literas miserat, ut quanta posset celeritate obsesso subvenirer, Cæsarem intercluderet. rescripsit Pompejus id se facere non posse, ut Domitius itaque se cum copiis clam Corfinio subtraheret. Literis acceptis, Dom. dissimulans, in concilio pronunciat Pompejum brevi adfuturum. ipse cum paucis consilium fugæ capit. id militibus suboluit, qui legatis

ad

Digitized by Google

Captivum traxêre ducem, civisque superbi
Constitit ante pedes. vultu tamen alta minaci
510 *Nobilitas recta ferrum cervice poposcit.*
Scit Cæsar pœnamque peti, veniamque timeri.
Vive, licet nolis, & nostro munere, dixit,
Cerne diem. victis jam spes bona partibus esto,
Exemplumque mei: vel, si libet, arma retenta;
515 *Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor.*
Fatur: & astrictis laxari vincula palmis
Imperat. heu quantò melius vel cæde peracta
Parcere Romano potuit fortuna pudori!
Pœnarum extremum civi, quòd castra secutus
520 *Sit patriæ, Magnumque ducem, totumque Senatum.*
Ignosci. premit ille graves interritus iras:
Et secum: Romámne petes, pacisque recessus
Degener? in medios belli non ire furores

Jam-

ad Cæs. missis sese paratos esse portas aperire, imperata facere, & L. Domitium vivum in ejus potestatem tradere; quod proximo die factum.

508. *Civisque superbus, &c.*] Cæsaris, cui noster usque malevolus.

509. *Vultu minaci.*] Intrepido & imperterrito.

510. *Nobilitas recta, &c.*] Equites R. tribuni, senatorum liberi, senatores ad Cæs. producti; L. Domitius, P. Lentulus Spinther, Vibullius Rufus, Sex. Quintilius Varus quæstor. L. Rubius, inquit interpres Lambertus Hortensius. cui ego non assentior. video enim poëtam induxisse animum, ut Pompejanis in omnibus adularetur. qui hic imbelli Domitio magnanimitatem & nobilitatem adfingit. producti quidem illi aliique complures & à Cæsare dimissi incolumes.

513. *Cerne diem.*] Fruere lucis usura & vitæ. *Spes bona*] Veniæ.

514. *Mei.*] Clementiæ meæ.

515. *Et nihil hac venia.*] Neque reposcam parem gratiam, sicubi tu victor fueris.

517. *Quanto melius, &c.*] Quanto majori honori fuisset, morte affici, quam vita donari, quæ dedecus summum. imo supplicium maximum erat civi Romano ignosci, quod patria & publica arma hostilibus & privatis prætulerit.

519. *Civi.*] Romano homini maximum est supplicium, venia opus habere, quod publica arma privatis prætulerit. Antea legebatur, *cui sit.* Grotius.

521. *Premit.*] Supprimit, dissimulat.

522. *Et secum.*] Aliter hæc referunt Plutarchus, Appianus & Cæsar: Domitium cæterosque productos Cæsar à contumeliis militum conviciisque prohibet. pauca apud eos loquitur. pecunias quas in publicum deposuerat allatas ad se à Corfiniensib. Domitio reddit, permittitque illi ire quo libuisset. ille autem Massiliam, atque hac devicta se ad Pompejum contulit, ceciditque in acie Pharsalica.

Jamdudum moriture paras? rue certus, & omnes
525 *Lucis rumpe moras, & Cæsaris effuge munus.*
Nescius interea capti ducis arma parabat
Magnus, ut admixto firmaret robore partes.
Jamque secuturo jussurus classica Phœbo,
Temandasque ratus moturi militis iras,
530 *Alloquitur tacitas veneranda voce cohortes:*
O scelerum ultores, melioraque signa secuti:
O verè Romana manus: quibus arma Senatus
Non privata dedit, votis deposcite pugnam.
Ardent Hesperii sævis populatibus agri:
535 *Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes:*
Jam tetigit sanguis pollutos Cæsaris enses.
Dii melius, belli tulimus quòd damna priores:
Cœperit inde nefas. jamjam me præside Roma
Supplicium, pœnamque petat. neque enim ista vocari

Præ-

524. *Jamdudum moriture.*] Qui jam dudum statueris pugnando mori in armis. *Rue certus.*] Clausula deliberationis, qua hortatur se ipsum ad militiam, utque transeat, vel cum mortis periculo, in castra Pompeji, utcunque casura sit belli alea.

525. *Lucis rumpe moras.*] Vitam, quæ ab hoste donata, non est munus: ἐχθρῶν δῶρον δῶρον.

526. *Nescius interea, &c.*] Pompejus interim ignarus eorum quæ Corfinii gesta sunt, exercitum conscribit & auxiliis undique confirmat. *Capti ducis.*] Domitii.

528. *Secuturo jussurus, &c.*] Signum daturus movendi postero die castra, militum animos in pugnam explorat.

531. *O scelerum.*] Pompeji oratio tota in demonstratione versatur. habet enim vituperationem & laudem personarum, & quidem à rebus gestis. Exordio benevolentiam captat, per Exclamationem: à pietate militum erga suam patriam. *Hortens. Scelerum ultores.*] Arrogansum impie à Cæs. patriæ illatorum. ut mox ℣. 539. *Melioraque signa secuti.*] Pro patria, sub quibus militant Coss. & Senatus.

532. *Romana manus.*] Libertatis patriæ studiosa.

533. *Non privata dedit.*] Ut Cæsaris sunt. *Votis deposcite pugnam.*] Alacri animo & cum acclamatione poscite signa dari belli, infra ℣. 599.

534. *Ardent Hesperii, &c.*] Ferro & flamma vastatur Italia, furibundis Gallis à Cæsare immissis.

536. *Jam tetigit, &c.*] Et jam Cæsar sanguine imbuit bellum.

537. *Dii melius, &c.*] Diis gratia, quibus placuit, à Cæsare potius quam à nobis initium capere nefaria hæc bella.

539. *Neque enim ista, &c.*] Rem honesto vocabulo & plausibili appellat; ut militum animos magis accendat, & alacriores ad vindictam reddat. *Et* ab exemplis ostendit, non debere hoc certamen susceptum contrà nefarios cives

bellum

540 *Prælia justa decet, patriæ sed vindicis iram.*
Nec magis hoc bellum est, quàm cùm Catilina paravit
Arsuras in tecta faces, sociusque furoris
Lentulus, exertique manus vesana Cethegi.
O rabies miseranda ducis! cum fata Camillis
545 *Te Cæsar, magnisque velint miscere Metellis,*
Ad Cinnas, Mariosque venis. sternêre profectò,
Ut Catulo jacuit Lepidus, nostrasque secures

Pas-

bellum appellari; sed potius *conjuratio*, ut illa Catilinaria. *Hortens.*

541. *Cum Catilina, &c.*] Conjuratio illa satis nota vel pueris ex Salustio.

543. *Exertique manus vesana Cethegi.*] Alibi *nudam* appellat. Quo loco rectè notavit Sulpitius, *exertum* eum dici, qui habet humerum & brachium dextrum nudatum. Etsi brachium porrigere extrà togam veteres *exerere*, & *exertum brachium* dicerent: *exertos* tamen propriè eos appellarunt, qui sine tunica, nudoque humero & brachio extrà togam porrecto incederent. Hoc Cethegorum peculiare ac gentile fuisse scriptores docent. ut & Horat. lib. de Arte poët. *Fingere cinctutis non exanclata Cethegis. Cinctuti* dicuntur, quod loco tunicæ cinctum gestarent, hoc est, subligaculum, sive campestre, quod solas partes infrà pectus velabat. *Ferrarius. Exertique manus, &c.*] Antiqui Cethegi (inquit Turnebus lib. 19. Adv. cap. 9.) tunicas non gerebant, sed pro tunica cinctum vel campestre ab umbilico ad pedes, reliquo corpore exerto & nudo. unde roga in urbe tecti nudos exerebant lacertos. Horat. epist. ad Pisones, *cinctutis Cethegis.* noster infra libro 6. ℣. 794. *nudique Cethegi.* Silius Ital. *Ipse humero exertus gentilis more.*

544. *O rabies.*] Per exclamationem exemplis ostendit, Cæsarem præposterè summos viros in republ. imitari; qui non evertere, sed conservare patriam studuerunt. *Hortens. Cum fata.*] Qui cum possis & debeas, Camillum & Metellos imitatus, servare patriam: velis in pestes & eversores patriæ degenerare, Cinnam & Marium. ita scripserat Brutus ad Atticum de Antonio: ὃς οὐ Βρούτοις καὶ Κασσίοις καὶ Κάτωσι συναγωνιζόμενος δυναίμην ἀποθανεῖν ἀνοσιώτερον ἢ κατὰ τὴν Ὀκτάβιον ἀδικούμενος. Plutar. in Bruto. *Camillis.*] Furius Camillus urbem à Gallis captam, Capitolium obsessum, exul, creatus Dictator liberavit pulsis Gallis.

545. *Miscere.*] Æquiparare *Metellis.*] Numidico Pio, Creticо, Balearico.

546. *Cinnas.*] Not. ad ℣. 94. supra. *Mariosque venis.*] Supra ℣. 70. & deinceps. *Sternêre profectò.*] Sed dabis mihi hujus amentiæ pœnas, victus, ut à Catulo Lepidus, qui Coss. inter se disceptarunt. Lepidus acta Syllæ rescindere conatus, è Gallia quam provinciam sortitus est, & ubi res novas moliebatur, revocatus à Senatu, cum exercitu ad urbem rediit: sed à Catulo collega in Campo Martio superatus, in Sardiniam fugit; ibique non multo post, periit.

547. *Jacuit.*] Superatus fuit Lepidus à Catulo in Campo Martio. *Nostrasque, &c.*] Cn. Papirius Carbo tertium Cos. cum C. Mario creatus, reverso è bello Mithridatico Sylla, urbe profugit. sed à Metello Pio prope Faventiam superatus, in Siciliam fugit, à Pompejo captus, & damnatus capitis catenis vinctus, securi percussus est.

Passus, Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro,
Quique feros movit Sertorius exul Iberos.
550 *Quanquàm, si qua fides, his te quoque jungere Cæsar*
Invideo, nostrasque manus quòd Roma furenti
Opposuit. Parthorum utinam post prælia sospes,
Et Scythicis Crassus victor remeasset ab oris,
Ut simili causa caderes, qua Spartacus hostis.
555 *Te quoque si Superi titulis accedere nostris*
Jusserunt; valet in torquendo dextera pilo:
Fervidus hæc iterum circa præcordia sanguis
Incaluit: disces non esse ad bella fugaces,
Qui pacem potuêre pati. licet ille solutum,
560 *Defectumque vocet, ne vos mea terreat ætas.*
Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.

Quò

548. *Sicanio sepulchro.*] Pompejus enim Carbonem ex Libya in Siciliam profectum, atque inde in Corsicam fugientem, media fuga interoepit, ac capitis damnavit. *Hortens.*

549. *Quiq; feros movit Sertorius, &c.*] Q. Sertorius à Sylla proscriptus Hispanos ad arma movit, contra quem missus Q. Metellus Cos. mox Pompejus, ancipiti acie sæpius pugnarunt. Sertorius tandem domestico scelere & insidiis extinctus est à Perpenna belli socio in convivio.

550. *Quanquam si qua, &c.*] Collatione eorum quos recensuit contemptim, de Cæsare loquitur; ducto argumento à majori ad minus: ut inferat cum illis etiam Cæsarem non esse conferendum: simul se Ducem à Senatu lectum ad furorem ejus frangendum. Omnia insolentiæ plena, quum Cæsarem ita contemnat, ut cum mancipio gladiatore, ejusque interitu conferat. *Hortens. Jungere Cæsar.*] Conferre, causa ac poena.

551. *Invideo.*] Doleo. *Sulpit. Nostrasque manus, &c.*] Mihi contra te in patriam furentem, Coss. & Senatus bellum hoc demandarunt.

553. *Scythicis.*] Pro *Parthicis.*

554. *Ut simili causa caderes.*] Per speciem latrocinii, ut ille servorum manus contracta. *Qua Spartacus hostis.*] Spartacus Thrax, gladiator è ludo Lentuli Capuæ cum 70. sociis effugit, servis ad partem vocatis armatisque exercitum 70 M. confecit, legatos, prætores, Coss. Rom. devicit, à M. Crasso tandem devictus cæsusque est.

555. *Te quoque si Superi, &c.*] Spartaci victi & Sertorii debellati laudem insolenter sibi vendicat Pompejus, ad quarum rerum titulos & Cæsarem se adjectuum minatur. *Hortens. Titulis accedere, &c.*] Victoriis meis additum.

556. *Valet in torquendo.*] Laudat se à viribus corporis, quibus præter ætatem valeat; & confirmat milites collatione ducum & utriusque exercitus. *Hortens.*

559. *Pacem potuere pati.*] In pace vivere. vide quæ ad ℣. 314. lib. 5. *Solutum, defectumque.*] Dissolutum viribus & debilitatum.

561. *Dux sit in his, &c.*] Cur mihi duci

Quò potuit civem populus perducere, liber,
Ascendi, supraque nihil nisi regna reliqui.
Non privata cupit, Romana quisquis in urbe
565 *Pompejum transire parat. hinc Consul uterque,*
Hinc acies statura ducum. Cæsarne Senatus
Victor erit? non tam cæco trahis omnia cursu,
Teque nihil Fortuna pudet. Multisne rebellis
Gallia jam lustris, ætasque impensa labori
570 *Dant animos? Rheni gelidis quòd fugit ab undis,*
Oceanumque vocans incerti stagna profundi;
Territa quæsitis ostendit terga Britannis?
An vanæ tumuere minæ, quòd fama furoris
Expulit armatam patriis è sedibus urbem?
575 *Heu demens, non te fugiunt; me cuncta sequuntur:*
Qui cùm signa tuli toto fulgentia ponto,

Antè

duci ætas illa probro sit, quæ illius militibus honori?

562. *Quò potuit, &c.*] Ecphonesis, in amentiam Populi Rom. qui Cæsaris potentiam in suam servitutem armarunt. se quidem inscendisse ad gloriæ usque fastigium summum; ac suprà se nihil nisi dominationem ac tyrannidem reliquisse. *Hortens. Liber.*] Libertatem suam retinens, non delata ulli imperii summa.

564. *Non privata cupit.*] Non civis esse vult, sed tyrannus, qui &c.

565. *Hinc Consul.*] A partibus nostris. *Uterque.*] L. Lentulus & C. Marcellus. A. U. 705.

566. *Ducum.*] Procerum, Senatorum.

567. *Non tam cæco trahis, &c.*] Objectio à fortunæ providentia, quam dicit tam cæcam non fore, ut id fieri patiatur. *Hortens.*

568. *Multisne.*] *Invidiosè.* Duobus, neque exactis iis.

570. *Rheni gelidis, &c.*] Cæsar Germanos ferro & igni populatus, in hostico per dies 18. moratus, se in Galliam recepit, rescisso post se ponte, quem in Rheno struxerat, ne Germanis usui esset. hanc Pompejus fugam calumniatur.

571. *Oceanumque vocans incerti, &c.*] Et quod causatus Oceanum Britannicum esse Gallici maris æstuaria, reciproco fluxu & refluxu, modo stagnantia, modo vadosa: repulsus est à Britannis quibus ultro bellum intulerat. *Sed hæc Cæsaris gesta Pompejus per invidiam externis inducitur. Incerti profundi.*] Ob perpetuam reciprocationem. Causa inferendi belli Britannis erat, quod satis compertum haberet, ab iis auxilia Gallis transmissa fuisse. *Hortensius.*

573. *An vanæ tumuere.*] Inefficaces & sine viribus; quasi tuo adventu territi urbem deseruerint cives, quum mea signa sint secuti. *Hortens.*

576. *Qui cum signa tuli, &c.*] Qui intra spacium 2. mensium, piratas Cilicas maria latrociniis infestantes coercui; & captis, ne ad piraticam relabentur,

Digitized by Google

Antè bis exactum quàm Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Angustaque domum terrarum in sede poposcit.
580 *Idem per Scythici profugum divortia Ponti*
Indomitum regem, Romanaque fata moriantem,
Ad mortem, Sylla felicior, ire coëgi.
Pars mundi mihi nulla vacat: sed tota tenetur
Terra meis, quocunque jacet sub sole, trophais.
585 *Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas*
Arctos habet: calida medius mihi cognitus axis
Ægypto, atque umbras nusquam flectente Syene.

Occa-

rentur, agrum assignavi, deductis procul à mari Solos urbem Ciliciæ, à me instauratam, appellatamque Pompeiopolin.

579. *Angustaque in sede.*] Intelligit Solos, urbem Ciliciæ.

580. *Per Scythici profugum divortia Ponti.*] Per diverticula & transversas semitas sui regni in Asia minori fugientem in Armeniam, Colchos, Albanos, Hiberos, &c.

581. *Indomitum regem, Romanaque.*] Mithridatem, qui 40. annos cum Romanis bella gessit. *Fata moriantem.*] Victorias & Imperium.

582. *Mortem.*] Male veneno tentatam, sed ferro exactam. lib. 10. ✠ f. 336. *Felicior, ire coëgi.*] Alludum ad cognomen Syllæ Felicis, qui Mithridatem attrivetat, ut & Lucullus.

583. *Pars mundi mihi, &c.*] Vide Martial. epist. 75. lib. 5.

585. *Phasidos undas.*] Fl. max. Colchidos. quo Mithridatem Pompejus insequutus est.

586. *Arctos habet.*] Pars Septentrionalis subjecta Arcto ursæ majori. *Medius mihi cognitus axis Ægypto.*] Pars mundi Meridionalis, datus enim fuerat à Senatu tutor pueri regis Ptolemæi, item ibi sub Sylla fuerat.

587. *Umbras nusquam flectente Syene.*] Ita veteres libri, nec aliter lectum est ætate Macrobii, qui merito id reprehendit. per illos igitur dies quibus crescit Nilus, in illis locis unde oritur, umbras sine fine absumi ac deficere vult Plinius. ergò sub Cancro & Leone, per duo scilicet dodecatemoria, nullæ umbræ in illo tractu ubi fontes Nili. idem de Meroë & Syene pronunciat Lucanus, lib. x. ✠ f. 233.

——— contraque incensa Leonis
Oratumet: Cancroque suam torrente Syenen
Implorat: adest, nec campos liberat umbis,
Donec in autumnum declinet Phœbus & umbras
Extendat Meroë.

Id est, donec ἀκμὴν esse desinat Meroë, quod sit Sole in Autumnum inclinante, cum in Virginem transit. tunc enim residit & decrescere incipit. igitur ex sententia Lucani per totum Cancri signum & Leonis, Meroë sine umbra. ita certe opinatur vir magnus. Sed diversa veterum opinio fuit de Syene & Meroë, quantum ad ἀκμὴν, ut ita loquar. Syene sub æstivo tropico Cancri, in ea solstitii medio die nullam umbram jaci scribit Plin. lib. 11. cap. LXXIV. idem ibidem tradit apud Meroën quæ à Syene quinque millibus stadiorum

Occasus mea jura timet, Tethynque fugacem
Qui ferit, Hesperius post omnia flumina Bætis.
590 *Me domitus cognovit Arabs, me Marte feroces*
Heniochi, notique erepto vellere Colchi.

Cap-

diorum abest, bis anno umbras absumi, sole duodevicesimam Tauri partem, & quartam decimam Leonis obtinente. diversis itaque temporibus Syene & Meroë ἄσκιοι: illa tunc est, cum certam partem Cancri Sol detinet; hæc vero eo die, quo Sol certam Leonis partem ingreditur. Lucanus quoque diversum tempus ἀσκιότητος, his duabus urbibus assignavit. de Syene loquens, Cancro eam torreri semper dicit, quia Sol in Cancri signo constitutus, supra verticem illius civitatis invenitur, quo tempore jugis ibi & incitatissimus calor, lib. x.

—— Cancroque suam torrente Syenen
Implorantes adeti.

Et lib. VIII. ℣. 851.

Nam quis ad exustam Cancro torrente Syenen
Ibit.

tunc enim torrentissimus æstus, cum Sol supra verticem stat, κατὰ κορυφὴν, in Syene sub solstitio, quo tempore medio die nullas ibi corpora jaciunt umbras. At de Meroë ita canit: lib. x. ℣. 304.

—— quæ quantum arbore multa
Frondosat, æstatem nulla sibi mitigat umbra,
Illum tam rectum mundi ferit illa Leonem.

His verbis aperte indicat Meroën ἄσκιον esse, tantum cum Sol per Leonem transit. sed quid est, quod sit, Leonem rectum feriri ab illa mundi linea. hæc non intelligo. scribendum:

Illum tam rectum mundi ferit illa Leonem.

ecce, inquit, eostum, & supra verticem stantem in Leone Solem fert illa mundi linea, sub qua est Meroë. *Leonem rectum*, dixit Solem in Leone correta perpendicularem stantem. Meroë ergo ipsa tunc ἄσκιος, cum quartam decimam Leonis Sol obtinet: Syene vero juxta eundem ipso solstitii die nullas habet umbras. quæ & Lucanus manifeste distinxit, Cancrum Syenæ assignans, sub quo ἄσκιος fit; Meroë autem Leonem. Nec forte putandum, per totos dies Cancri & Leonis nullas umbras eum Syenæ dare, aut Meroë. Sic accipiendum cum dicit: *umbras nunquam eum flectente Syene*, per totum scil. Cancri signum, sub quo sita est. ita etiam intelligendum, ubi canit: *Meroën nulla umbra æstatem mitigare*, per totum nempe Leonis signum sic accepisse satis ostendit versus qui sequitur,

Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.

Salmas. Plin. Exerc. pag. 422. *Umbras nusquam flectente Syene.*] Syene oppidum est Thebaidos in confinibus Ægypti atque Æthiopiæ, quæ directa & perpendiculari linea tropico subjecta, medio Solstitii die sole Cancrum ingresso, est ἄσκιος. corpora scil. arrecta umbram in neutram partem jaciunt. Alii, *nusquam*.

588. *Occasus mea jura timet.*] Hispania, cujus extremus fluvius Bætis *Oceano* in fretum Gaditanum infunditur. quod & ipsum effluit in mare Occidentale, refluitque. *Thetynque fugacem.* Fluens ac refluens fretum Gaditanum intelligit. *Hortens.*

590. *Arabs.*] Circa Amanum montem in expeditione ad rubrum mare.

591. *Heniochi.*] Pop. feri, juxta Colchos, ab Amphyo & Telechio, vel ut alii ref. Rheca & Amphistrato Castoris & Pollucis ἡνίοχοις, id est, aurigis, qui ibi confederant, orti. *Notique erepto vellere Colchi.*] Ab Jasone petiti, cujus notissima historia.

591. Cap-

Cappadoces mea signa timent, & dedita sacris
Incerti Judæa Dei, mollisque Sophene.
Armenios, Cilicasque feros, Tauroque subegi.
595 *Quod socero bellum, præter civile, reliqui?*
Verba ducis nullo partes clamore sequuntur,
Nec matura petunt promissa claßica pugnæ.
Senßit & ipse metum Magnus, placuitque referri
Signa, nec in tanta discrimina mittere pugnæ
600 *Jam victum fama non visi Cæsaris agmen.*
Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum secreta petit, vacuosque per agros
Exul in adversis explorat cornua truncis;

Nec

592. *Cappadoces mea.*] Asiæ minoris pop. *Et dedita sacris Incerti Judæa Dei.*] Primus Romanorum Cn. Pompejus, quum ex Asia victrices circumageret copias, debellatis in transitu Judæis, templi penetravit intimos recessus. Ex illo tempore vulgatum est, inquit Tacitus, *vacuam esse sedem & inania arcana.* Enimvero tenuerat antea mortaleis opinio, esse intus Numen aliquod, Apim, Ammonemve, aut Anubin, cujus nomen inter ipsos modo notum, pronuntiari apud exteros profanosque fas haud esset. At postquam Pompejus, jure victoriæ, adyta reseravit, palam omnibus factum est, de nihilo esse tot sacra, totque ceremonias, siquidem nemini Deum præcipuè colerent. Ab eadem etiam fama jactatum vulgo in Judæos est, esse eos nubium & cæli cultores. *Cumeus. Dedita, &c.*] Pompejus Judæam subegit, Aristobulum regem cepit. sacra vero Judaica nobis notiora, quam Lucano.

593. *Mollisque Sophene.*] Luxu soluta Asiæ regio.

594. *Armenios, &c.*] Has gentes pervagatus devicit bello Mithridatico. *Tauroque.*] Tauri montis accolas.

595. *Socero bellum.*] Cæsari, cujus filiam duxerat Pompejus.

596. *Verba ducis nullo partes, &c.*] Milites non excipiunt orationem Pompeji cum plausu & acclamatione, neque petunt signa profectionis in bellum dari. quod & ipse Pompejus adverteris subtimuit, & institutro itinere omisso, se Luceria Canutium, & inde Brundusium contulit.

597. *Nec matura petunt, &c.*] Et notum Ciceronis cavillum est, qui eum in castra Dyrrachina paulo serius venisset reliquis; interrogatus per contemptum à Pompejanis, cur tardius adesset; respondit, quod mature satis veniret, quum nihil parati ad bellum inveniret. *Hortens.*

598. *Placuitque referri.*] Retro Brundusium duci cohortes.

599. *Nec in tanta discrimina, &c.*] Neque mittere exercitum suum consternatum, fama & metu Cæsaris notidum visi in discrimen pugnæ.

601. *Pulsus ut armentis, &c.*] Simpta est hæc comparatio à Virgilo, *subulcus victus abit, longique ignotis exulat oris, &c.* 3. Georg.

602. *In adversis explorat cornua truncis.*] *Et tentat fosse, atque irasci in cornua discit Arboris obnixus trunco, inimicusque lacessit Ilibum, &c.*

604. Nec

Nec redit in pastus, nisi cùm cervice recepta
605 *Excussi placuêre tori: mox reddita victor*
Quos libet in saltus comitantibus agmina tauris
Invito pastore trahit: sic viribus impar
Tradidit Hesperiam, profugusque per Appula rura
Brundusii tutas concedit Magnus in arces.
610 *Urbs est Dictæis olim possessa colonis,*
Quos Creta profugos vexêre per æquora puppes
Cecropiæ, victum mentitis Thesea velis.
Hanc latus angustum jam se cogentis in arctum
Hesperiæ, tenuem producit in æquora linguam,
615 *Adriacas flexis claudit quæ cornibus undas.*
Nec tamen hoc arctis immissum faucibus æquor

Por-

604. *Nec redit in pastus, &c.*] *Post ubi collectum robur, viresque receptæ. Signa movet, præcepsque oblitum fertur in hostem. Cervice recepta.*] Viribus cervicis rursum collectis; quippe cui omne robur in cervice ac cornibus situm sit. *Hortensius.*

605. *Tori.*] Pulpæ, musculi & densitas quædam carnis in collo & cruribus, & etiam in brachiis hominum, in qua quidem esse dicuntur vires. Virgil. *Luxuriatque toris animosum pectus.* Sulpitius. *Reddita victor.*] Recepta armenta, devictis aliis tauris, ipse ducit.

607. *Sic viribus impar, &c.*] *Redditio Comparationis*, sic Pompeius se imparem Cæsari sentiens, Cæsari Italiam cedere, ipse per Apuliam profectus, Brundusium, hinc in Macedoniam navigare instituit.

610. *Urbs est, &c.*] Brundusium urbs condita fuit, atque habitata à Cretensibus quibusdam, qui Atheniensibus advecti navibus profugerunt è Creta cum Theseo reduce Minotauri victore. Strab. lib. 6. *Dictæis.*] Cretensibus: à Dicte, oppido Cretæ.

611. *Cecropiæ.*] Athenienses, à Cecrope primo Atheniensium rege. *Mentitis Thesea velis.*] Nigris, præ festinatione & nautarum oblivione, iisdem quibus solverant Athenis, contra mandatum patris Ægei, qui præceperat ut si victor rediret filius, alba suspenderent carbasa.

613. *Hanc latus, &c.*] Hic qua Italia cogit se in arctum (legitur & *arcum*) angustia illa porrigitur. In æquora ad formam linguæ, hoc est, terræ molliter devexæ & se coarctantis, quæ curvato sinu prætenditur mari Adriatico, ita ut portus frequenti utrinque flexu repræsentet cornua capitis cervini, unde & nomen. Namque Messapiorum lingua, ἡ κεφαλὴ ἔλαφος καλεῖται βραχίστου. Strab. 6.

614. *Tenuem linguam.*] Terram tenuem, exporrectam in linguæ formam. *Sulpit.*

615. *Cornibus.*] Rupibus exporrectis in formam cornuum cervinorum, quibus simillimæ sunt, & urbs ipsa caput imitatur. *Sulpit.*

616. *Nec tamen, &c.*] Neque tamen satis fidus foret hic portus, nisi objecta insula, fluctus ventosque exceptos frangeret.

617. *Co-*

Portus erat, si non violentos insula Coros
Exciperet saxis, lassasque refunderet undas.
Hinc illinc montes scopulosa rupis aperto
620 *Opposuit natura mari, flatusque removit,*
Ut tremulo starent contenta fune carinæ.
Hinc latè patet omne fretum, seu vela ferantur
In portus Corcyræ tuos, seu læva petatur
Illyris Ionias vergens Epidamnus in undas.
625 *Huc fuga nautarum, cùm totas Adria vires*
Movit, & in nubes abiere Ceraunia, cumque
Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.
Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis,
Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,
630 *Cùm mediæ jaceant immensis tractibus Alpes:*
Tunc sobole è tanta natum, cui firmior ætas,
Affatur: Mundi jubeo tentare recessus.
Euphratem, Niluinque move, quò nominis usque

Nostri

617. *Coros.*] Ventos ab occasu solstitiali flantes.

618. *Refunderet.*] Remitteret fluctus, quibus feritur.

620. *Flatusque removit.*] Ventos arcuit.

621. *Contenta funes.*] Quæ non indigeant anchora *Sulpit.*

623. *Corcyræ tuos.*] Inf. *Corfu*, à dextra. *Læva petatur, &c.*] Epidamnus, quam Romani, ut Pomp. Mela lib 2. cap. 3. vel ut Appius scribit, Corcyræenses, (propter inauspicatum nomen quasi *Mali damnum*, Dyrrachium appellaverunt) in Illyrica ora, versus mare Ionium posita.

624. *Epidamnus in undas.*] Legitur & *Epidaurus*, verum ut historiæ nostræ inserviatur, perplacet *Epidamnus.*

625. *Huc fuga nautarum.*] In portum Brundusii. *Cum totas Adria vires.*] Quando in Adriatico tempestas exoritur.

626. *Et in nubes, &c.*] Nubibus involuti non apparent montes illi Epiri.

627. *Calaber perfunditur æquore Sason.*] Insula contra Calabriam, inter Epirum & Brundusium.

628. *Ergò ubi nulla fides.*] Postquam sensit Pompejus Cæsarem se consequi, & à tergo iter fugæ interclusum: Cn. Pompejum filium nam majorem cum mandatis Brundusio ad contrahenda toto orbe auxilia misit. *Horatius. Fides rebus, &c.*] Spes Italiæ tenendæ, quæ Brundusium fugientibus erat à tergo.

629. *Nec licet ad duros, &c.*] Neque posset jam bellum transferri in Hispaniam longe dissitam atque Alpibus interclusam, quam provinciam tenebant Petreius & Affranius Pompeji legati.

631. *Cui firmior ætas.*] Cn. Pompejum filium natu majorem, missurus ad devictas à se gentes auxilia petitum.

632. *Recessus.*] Loca remota.

633. *Euphratem.*] Armeniam, unde oritur; Syriam, quam præterlabitur Euphra-

Nostri fama venit, quas est vulgata per urbes
635 *Post me Roma ducem: sparsos per rura colonos*
Redde mari Cilicas: Pharios hinc concute reges,
Tigranemque meum. nec Pharnacis arma relinquas,
Admoneo, nec tu populos utrâque vagantes
Armeniâ, Pontique feras per littora gentes,
640 *Riphæasque manus, & quas tenet æquora denso*
Pigra palus Scythici patiens Mæotica plaustri.
Et quid plura moror? totos mea, nate, per ortus
Bella feres, totoque urbes agitabis in orbe
Perdomitas: omnes redeant in castra triumphi.
645 *At vos, qui Latios signatis nomine fastos,*
Primus in Epirum Boreas agat: inde per arva
Græjorum, Macedûmque novas acquirite vires:
Dum paci dat tempus hyems. Sic fatur: & omnes
Jussa gerunt, solvuntque cavas à littore puppes.
650 *At nunquam patiens pacis, longæque quietis*

Armo-

Euphrates. *Nilumq.*] Ægyptum, quam Nilus rigat.

634. *Quas est vulgata, &c.*] Ad quas Romanum nomen propter me victorem pervenit.

635. *Sparsos per, &c.*] Supra ℣. 570.

636. *Pharios.*] Ægyptios, à Pharo Inf.

637. *Meum.*] Beneficio meo in pristinum fortunæ habitum restitutum. Val. Max. lib. 5. cap. 1. *Pharnacis.*] Filii Mithridatis, cui à patre deficienti Pompejus confecto bello Bosphorum concesserat.

638. *Vtraque.*] Majori & Minori. *Vagantes, &c.*] Scythas vagos, ἀμφοτέρας.

639. *Pontique feras, &c.*] Maris Euxini, ἄξεινου prius dicti propter immanitatem accolarum.

640. *Riphæasque manus.*] Incolas Riphæorum montium Scythiæ. *Quas tenet, &c.*] Accolas Mæotidis paludis gelu constrictæ & induratæ, ita ut per eam onusta agantur vehicula.

642. *Et quid plura moror?*] Enumerationem in compendium contrahit, ut per totum orbem Imperii Rom. regibus, dynastis, provinciis & liberis populis denuntiet bellum populo Rom. esse, & auxilia equitum ac peditum suo nomine iis imperet. *Hortensius. Ortus.*] Orientales regiones.

644. *Omnes redeant, &c.*] Auxilio mihi adsint reges omnes & gentes, de quibus ego nostrique triumphavimus.

645. *Qui Latios, &c.*] Consules, quorum nomina in Fastis præfigebantur suis annis. lib. 5. ℣. 5.

646. *Primus in Epirum, &c.*] Cum primo vento in Epirum navigate, solicitaturi Græcos & Macedonas.

647. *Macedûmque.*] Pro Macedonum.

650. *At nunquam.*] Misso Pompejo ad Cæsarem redit, & ejus celeritatem

Digitized by Google

Armorum, ne quid fatis mutare liceret,
Assequitur, generique premit vestigia Cæsar,
Sufficerent aliis primo tot mœnia cursu
Rapta, tot oppresse dejectis hostibus arces:
655 *Ipsa caput mundi, bellorum maxima merces,*
Roma capi facilis: Sed Cæsar in omnia præceps,
Nil actum credens, dùm quid superesset agendum,
Instat atrox: & adhuc, quamvis possederit omnem
Italiam, extremo sedeat quòd littore Magnus,
660 *Communem tamen esse dolet: nec rursus aperto*
Vult hostes errare freto, sed molibus undas
Obstruit, & latum dejectis rupibus æquor.
Cedit in immensum cassus labor: omnia pontus
Haurit saxa vorax, montesque immiscet arenis:
665 *Ut maris Ægæi medias si celsus in undas*

Depel-

in persequendis inimicis. *Hort. Nunquam patiens pacis, &c.*] Nihil detrectans. omni in re properans, solitus *Successus urgere suos: instare favori Numinis*, ut lib. 1. *phs.* 148.

652. *Generique, &c.*] Pompejum propere sequutus, Brundusium cum 6. legionibus venit.

653. *Sufficerent aliis.*] Collatio Cæsaris cum ingeniis aliorum ducum.

655. *Caput mundi, &c.*] Summi imperii sedes, triumphati orbis caput.

656. *Cæsar in omnia præceps.*] Cæsar cum dubitaret quo animo Pompejus Brundusii remaneret, an ut maris Adriatici utramque partem potestate sua retineret; an inopia navium ibi restitisset. veritus ne Italiam ille dimittendam non existimaret, cupiensque simul bellum conficere, profectus Dyrrhachium Cos. ipse, ut Pompejum interciperet, exitus Brundusini portus præcludere constituit.

657. *Nil actum credens, &c.*] Hoc transcripsit Justinianus lib. x1. C. de his quibus ut indign. *Nihil enim actum credimus, dum aliquid addendum superest.*

660. *Communem tamen, &c.*] Non tulit Italiam sibi communem esse cum Pompejo, ut ne eum quidem tulerit in mari. *Hortens.*

661. *Molibus undas, &c.*] Qua fauces portus erant angustissimæ, molem ab utraque parte litoris in vado jaciebat. quo vero agger, propter altitudinem aquæ contineri non posset, rates terra, cratibus ac pluteis contectas, & turribus adversus impetum & incendia munitas collocavit.

663. *Cedit in immensum cassus labor.*] Labor immensus cedit incassum. Hypallage. *Omnia pontus, &c.*] Injectas moles absorbent arenæ. ut refert Poëta secus atque autor Commentariorum de bello civ.

665. *Ut maris Ægæi, &c.*] Neque tamen moles illæ magis portum obstruunt aut in mare eminent, quam si in lacu Averno demergatur Gaurus mons Campaniæ, aut in Ægæo mari Eryx mons Siciliæ, qui quoniam procul

Depellatur Eryx, nullæ tamen æquore rupes
Emincant, vel si convulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.
Ergo ubi nulla vado tenuit sua pondera moles,
670 *Tunc placuit cæsis innectere vincula silvis,*
Roboraque immensis latè religare catenis.
Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
Construxisse vias, multum cùm pontibus ausus,
Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
675 *Inceßitque fretum rapidi super Hellesponti,*
Non Eurum, Zephyrumque timens: cùm vela, ratesque
In medium deferret Athon. sic ora profundi
Arctantur casu nemorum: tunc aggere multo
Surgit opus, longæque tremunt super æquora turres.
680 *Pompejus tellure nova compressa profundi*
Ora videns, curis animum mordacibus angit,
Ut reserat pelagus, spargatque per æquora bellum.
Sæpe Noto plenæ, tensisque rudentibus actæ

Ipsa

cui distat ab Ægæo, Sabellicus & alii *Athos* legendum autumant.

669. *Ergò ubi nulla, &c.*] Prosequitur Cæsaris diligentiam & studium in perficiendo opere cepto. *Hortens. Nulla vado, &c.*] Ut modo ℣. 663.

670. *Vincula silvis, Roboraque, &c.*] Rates conjunctas, & quaternis singulis anchoris firmatas.

672. *Tales fama canit, &c.*] Qualiter Xerxes μέγα φρονῶν, olim in Hellesponti freto ponte ex navibus ducto, ab Abydo urbe Asiæ in Sestos urbem Europæ, pedibus trajecit exercitum. Herodot. 7. Mela lib. 2. cap. 2.

675. *Inceßitque.*] Init super fretum rapidi Hellesponti. *Hortens.*

676. *Eurum, &c.*] Qui tamen, concitato pelago, pontem disjecerunt. *Cum vela, &c.*] Cum montem Macedoniæ Athon à continenti abscindi jussum circumnavigaret. *Velificatus Athos*, Juvenal. Sat. 10. ℣. 180.

677. *Sic ora profundi, &c.*] Sic fauces portus Brund. ratibus roboreis è sylvis excisis & in mare dejectis coarctantur.

678. *Aggere multo, &c.*] Trabibus terra constratis.

679. *Longæque tremunt, &c.*] In quarta quaque ratium turres binorum tabulatorum excitatæ.

680. *Pompejus.*] Ubi videt ostia & fauces aggere præclusas, omni studio & conamine laborat, ut ratibus Cæsaris perruptis refractoque aggere viam sibi aperiat Dyrrhachium trajecturo.

682. *Ut reseret pelagus.*] Ut aperiat mare, & obices solvat. *Sulpit. Spargatque.*] In Macedoniam transferat bellum. *Alii* machinas bellicas dissipet.

683. *Sæpe Noto plenæ.*] Pompejus na-

Digitized by Google

Ipsa maris per claustra rates fastigia molis
685 *Discussêre salo, spatiumque dedêre carinis:*
Tortaque per tenebras validis ballista lacertis,
Multifidas jaculata faces. Ut tempora tandem
Furtiva placuere fuga: ne littora clamor
Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas,
690 *Neu tuba præmonitos perducat ad æquora nautas*
Præcepit sociis. jam cœperat ultima Virgo
Phœbum laturas ortu præcedere Chelas,
Cùm taciti solvêre rates. non anchora voces
Movit, dum spissis avellitur uncus arenis:
695 *Dum juga curvantur mali, dumque ardua pinus*

Erigi-

ves magnas onerarias turribus trium tabulatorum instructas ad opera Cæsaris disturbanda appellebat; sic quotidie utrinque fundis, sagittis, reliquisque telis pugnabatur, quæ naves, ut vult Luc. aggerem Cæsaris diruperunt, autor tamen Comment. dimidiam vix operis partem à Cæs. effectam refert.

687. *Ut tempora, &c.*] Pompejus, adventu navium à Cos. Dyrrhachio remissarum, profectionem parat. ne Cæsariani milites sub ipsa profectione oppidum irrumperent, portus obstruit, vicos plateasque transversis fossis & sudibus præacutis præsepit. milites silentio naves conscendere jubet, &c. comment. 1.

688. *Clamor Nauticus.*] Nautarum solventium & se invicem cohortantium κέλευσμα.

689. *Buccina.*] Quæ vigiliarum distinctiones indicare solet.

690. *Nec tuba, &c.*] Neu tuba signum profectionis canat.

691. *Jam cœperat ultima Virgo.*] Videtur poëta ex Heliaci Virginis ortus notatione innuere Pompejum Brundusio discessisse sub Æquinoctio Autumnali circa medium Septembrem: cum ex Ciceronis epistolis, & Commentariis de bello civili (Cæsarisne illi sint, Oppii vel Hirtii) constet cœptum hoc bellum post comitia, ineunte Januario, Ariminum & alia opp. capta à Cæs. in Februario; Pompejum excessisse Brundusio in Martio; rediisse ad Romam Cæsarem, devicisse Pompeji duces, Marsiliam oppugnasse eadem æstate sequenti; deinde anno in Pharsalia depugnatum. Dio tamen scribit, *Autumnum jam exiisse.* lib. 41. *Ultima virgo.*] Ultima virginis signi Zodiaci pars, quam excipit Libra, quæ dicitur Chelæ, pendetque à prima Scorpionis parte. *Hortens.*

692. *Phœbum laturas, &c.*] Sub auroram, seu potius unà cum aurora, paulò ante exortum Solis Cæsarianorum stationes pertupit. *Hort. Phœbum laturas, &c.*] Videtur & matutinum tempus denotare, cum tamen Appianus 2. de civ. bel. Rom. Pompejum circa vesperam solvisse scribat & autor comment. sub noctem naves solvisse. *Chelas.*] Scorpii brachia, quæ tribuuntur Libræ, quæ Virginem excipit.

693. *Non anchora voces.*] A signis alti silentii in fuga Pompeji.

695. *Dum juga, &c.*] Dum antennæ inclinantur. *Pinus.*] Malus.

696. *Pa-*

Digitized by Google

Erigitur, pavidi classis siluere magistri:
Strictaque pandentes deducunt carbasa nauta,
Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentes.
Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur,
700 *Quam retinere vetas, liceat sibi perdere saltem*
Italiam. vix fata sinunt. nam murmure vasto
Impulsum rostris sonuit mare, fluctuat unda,
Totque carinarum permistis æquora sulcis.
Ergo hostes portis, quas omnes solverat urbis
705 *Cum fato conversa fides, murisque recepti,*
Præcipiti cursu flexi per cornua portus
Ora petunt, pelagusque dolent contingere classes.
Heu pudor, exigua est fugiens victoria Magnus.
Angustus puppes mittebat in æquora limes
710 *Arctior Euboica, qua Chalcida verberat, unda.*
Hîc hæsere rates geminæ, classique paratas
Excepêre manus: tractoque in littora bello,

Hîc

696. *Pavidi magistri.*] Gubernatores navium Pompejanarum.

697. *Strictaq; pandentes.*] Extremum conatum nautarum oculis subjicit, in explicandis, evolvendisque velis, & velorum alis. *Hortens. Pandentes.*] Alii leg. *pendentes. Deducunt, &c.*] Explicant vela antennis substricta.

698. *Ne sibilet aura.*] Ne concussorum rudentum sonitus fugam prodat.

699. *Dux etiam, &c.*] Pompejus.

700. *Perdere, &c.*] Absque jactura relinquere, tuto discedere, deserere.

701. *Vix fata sinunt, &c.*] Non licet. neque enim sine strepitu potuere tot naves remis velisque educi è portu.

704. *Ergo hostes portis, &c.*] Brundusini Pompejanorum militum injuriis atque ipsius Pompeji contumeliis permoti, Cæsaris rebus nec fortunæ minus faventes, Cæsarianos per admotas scalas ascendentes recipiunt; qui moniti ut fossas & sudes præacutas caveant, longo itinere à Brundusinis circunducti ad portum perveniunt, duasque naves cum militibus, quæ ad molem Cæsaris adhæserant scaphis deprehendunt.

705. *Cum fato conversa fides.*] Poëta cum fato fidem mutatam esse dicit: nam cum fuga Pompeji, Brundusini fidem mutarunt. *Hortens.*

706. *Cornua portus.*] Portum cervi cornua referentem. supra ℣. 613.

707. *Ora petunt.*] Ostia, portus.

709. *Limes, &c.*] Limes ille, per quem exibant Pompejanæ naves, erat angustior Euripo, qua juxta Chalcida interluit Euboicam inf. & Bœotiam.

711. *Classique paratas Excipere manus.*] Uncos ferreos, ad naves retinendas fabricatos.

712. *Tractoque in litora bello.*] Conserto prælio per noctem tumultuario cum Pompejanis, qui in duabus illis navibus pertrahebantur ad litus.

Digitized by Google

Hic primùm rubuit civili sanguine Nereus.
Cetera classis abit summis spoliata carinis:
715 *Ut Pagasæa ratis peteret cùm Phasidos undas,*
Cyaneas tellus emisit in æquora cautes,
Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,
Et statura redit. jam Phœbum urgere monebat
720 *Non idem Eoi color ætheris, albaque nondum*
Lux rubet, & flammas propioribus eripit astris,
Et jam Pleias hebet, fessi jam plaustra Boötæ
In faciem puri redeunt languentia cœli,
Majoresque latent stellæ, calidumque refugit
725 *Lucifer ipse diem. pelagus jam Magne tenebas,*

Non

713. *Nereus.*] Mare.

714. *Summis spoliata carinis.*] Alii sic accipiunt; quasi illæ, studio præcipitis fugæ mutilatæ fuissent, id quod arguit comparatio navis Argus. *Hort. Summis spoliata carinis.*] His duabus navibus extremis.

715. *Ut Pagasæa, &c.*] Ut Argo olim, qua Jason cum Minyis è Pagaso Thessaliæ oppido solventes petebant Colchos Phaside fluv. celebres, transmissa per Cyaneas ceu Symplegadas insulas, quæ concurrere inter se fingunturr, è collisione insularum deminuta est parte puppis extrema. vide quæ ad Senecæ Medeam ℣s. 341. & Herc. Fu. ℣s. 1210. *Phasidos undas.*] Colchos, ad Phasidem fluvium.

716. *Tellus emisit.*] Tellus quasi irata novis nautis, cautes emisit, ut navium transituram colliderent. *Cyaneæ cautes.*] Duæ insulæ vicinæ & parvæ in Ponto, contrà Thracium Bosphorum, quæ quia olim concurrere creditæ, dictæ sunt *Symplegades*, id est, concurrentes. *Sulpitius.*

717. *Rapta puppe.*] Alii *Rupta. Subducta est.*] Liberata à concussu montium.

718. *Vanaque.*] Instabilis. Vel nihil nocens concurrendo. *Percussit pontum.*] Non navim. *Sulpit.*

719. *Statura redit.*] Permansura immota. *Jam Phœbum, &c.*] Jam Orientis color è pullo in croceum, mox roseum mutatus, prænunciabat Solis ortum appetere.

720. *Albaque nondum.*] Quæ Solem jam jam emersurum antecedit, cujus accessu propiore, stellæ obscurantur, quarum lucem *flammas* hoc loco nominat poëta per similitudinem. *Hortens.*

721. *Flammas propioribus, &c.*] Major lux offuscat minorem, & eo citius quo quæque vicinior est & minor.

722. *Pleias hebet.*] Vergiliæ, stellæ 7. in humero ceu capite Tauri obscurantur. *Plaustra Boötæ.*] Ursa major, cujus 7. stellas lucidiores secundæ magnitudinis, plaustrum vulgo dictum Bootes sequi videtur, *custos Erymanthidos ursæ Arctophylax formam terga sequentis habet. Fessi.*] Steph. leg. *flexi.*

723. *In faciem, &c.*] Sua luce obscurata colorem ætheris induunt.

724. *Majoresque latent stellæ, &c.*] *Diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit Lucifer, & cœli stationem novissimus exit.*

726. *Non*

Non ea fata ferens, quæ, cùm super æquora toto
Prædonem sequerere mari. lassata triumphis
Descivit fortuna tuis. cum conjuge pulsus,
Et natis, totosque trahens in bella penates,
730 *Vadis adhuc ingens populis comitantibus exul.*
Quæritur indignæ sedes longinqua ruinæ.
Non quia te Superi patrio privare sepulcro
Maluerint: Pharia busto damnantur arena:
Parcitur Hesperiæ, procul hoc ut in orbe remoto
735 *Abscondat Fortuna nefas, Romanæque tellus*
Immaculata sui servetur sanguine Magni.

M. AN-

726. *Non ea fata, &c.*] Non alios insequutus, ut olim piratas Cilicas, supra ℣. 576. sed fugiens. Audi Florum: Et peractum fuerat bellum sine sanguine, si Pompejum Brundusii opprimere, ut cœperat, potuisset. Sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit. Turpe dictu. modo princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum à se mare lacerata & pene inermi nave fugiebat.

727. *Prædonem*] Cilicas.

728. *Descivit.*] Deseruit nunc te. Alii leg. *Deseruit*, malè. *Grotius. Conjuge pulsus.*] Cornelia, supra ℣. 349.

729. *Natis.*] Cneio & Sexto.

730. *Ingens populis, &c.*] Magnæ authoritatis propter comites Coss. Senatus partem principem, & exercitum. *Exul.*] Pathos à conditione.

731. *Quæritur indignæ, &c.*] Vide Epig. 75. Martialis & quæ nos ad illud.

732. *Non quia te Superi, &c.*] Aitiologia: ne Italia toties ab ipso servata, tanti viri cladem ob oculos cernat, quum omninò in fatis sit ipsi pereundum esse.

733. *Pharia busto, &c.*] Ægyptiaca arena destinatur sceleratæ cædi & tristi sepulchro Pompeji, *sed ipsum Terra tegit Libyes: si tamen ulla tegit.* eodem epigr.

734. *Parcitur Hesperiæ.*] Ne Italia tot Pompeji victoriis servata, tot triumphorum illius spectatrix, nunc eum cernat victum, aut cæsi sanguine contaminetur.

M. ANNÆI LUCANI CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ, LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

TErtius exponit fugientis ſomnia Magni,
Atque ut Trinacrias eſt Curio miſſus in urbes.
Brunduſio reditum deſcribit Cæſaris: inde
Prædanti fiſcum, cui vult obſtare Metellus.
Hinc populos, Magnum qui ſunt in bella ſecuti,
Utque iter accelerans Hiſpanas Cæſar in oras,
Maſſiliam fidam vexat terraque marique:
Moxque abiens Bruto victori bella relinquit.

PRopulit ut claſſem velis cedentibus Auſter
Incumbens, mediumq; rates tenuere profundum,
Omnis in Ionios ſpectabat navita fluctus:
Solus ab Heſperia non flexit lumina terra
Magnus, dum patrios portus, dum littora nunquam
Ad viſus reditura ſuos, tectumque cacumen
Nubibus, & dubios cernit vaneſcere montes.

Inde

1. *PRopulit.*] Quemadmodum Maro Æneam inter navigandum Carthaginis mænia ſubinde reſpicientem facit: ita Lucanus Pompejum, ſoluto portu Brunduſino, Italiam reſpectantem introducit. *Hortenſ. Cedentibus.*] Impulſis procedentibus. *Sulpet.*

3. *Omnis in Ionios.*] Cæteris omnibus Ionium mare proſpicientibus, Pompejus ſolus reſpexit Italiam.

6. *Tectumque, &c.*] Montium faſtigia nubibus obducta.

7. *Vaneſcere montes.*] Rareſcere, diſparere, vix dignoſci à nubibus. vide quæ nos ad Senecæ Troadia, vſ. 1046.

8. *Sepe-*

Digitized by Google

Inde soporifero cesserunt languida somno
Membra ducis: diri tum plena horroris imago
10 *Visa caput mœstum per hiantes Julia terras*
Tollere, & accenso furialis stare sepulcro.
Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum
Ad Stygias (inquit) tenebras, manesque nocentes,
Post bellum civile trahor. vidi ipsa tenentes
15 *Eumenidas, quaterent quas vestris lampadas armis.*
Præparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor: in multas laxantur Tartara pœnas:
Vix operi cuncta dextra properante sorores
Sufficiunt: lassant rumpentes stamina Parcas.
20 *Conjuge me lætos duxisti Magne triumphos:*
Fortuna est mutata toris: semperque potentes
Detrahere in cladem fato damnata maritos
Innupsit tepido pellex Corneliæ busto.

Hæ-

8. *Soporifero cesserunt, &c.*] Pompejo per quietem Juliæ (de qua l. 1. ℣. 113.) umbram oblatam fingit poëta.

10. *Per hiantes, &c.*] *Tellure rupta Tartaro gressum efferre.*

11. *Accenso furialis, &c.*] Instar furiæ accensis rogis & prætentis facibus adstare, indignata propter superductam Corneliam, & civile bellum.

12. *Sedibus Elysiis, &c.*] Nec mea tui cura ipsa in morte recedit. Quin & manes passura meos, ex quo bella movere cœpisti, ego è beatarum animarum sedibus in damnatorum loca detrudor. de Elysiis campis vide quæ ad Senecæ Troad. ℣. 942.

15. *Eumenidas.*] Furias tres, Εὐμενίδας dictas Orestii, postquam eas consilio Apollinis placasset. *Quaterent, &c.*] Tenentes manu faces quas intentarent vestris furialibus armis incitandis.

16. *Præparat innumeras, &c.*] Neque enim una sua ratis sufficiet transvehendis animis eorum qui hoc bello perituri sunt.

17. *Portitor.*] Charon, qui vehit animas. *In multas laxantur, &c.*] Ut novis animis fiat locus. *laxatque foros Charon.* Virg. Æneid. 6. & Sen. Herc. OEt. ℣. 949. *Laxate manes.*

18. *Vix operi, &c.*] Exercentur, imo lassantur Parcæ staminibus vitæ absolvendis.

21. *Toris: semperque potentes, &c.*] Cum conjuge, namque Cornelia fatalis est & ominosa maritis. P. Crasso prius, qui periit, apud Parthos, tibi jam futura æque perniciosa. lib. 8. ℣. 90.

23. *Innupsit.*] Ita scribendum, non *nupsit*. Vide Festum voce *innubere*. Grot. *Tepido busto.*] Improbat Pompeji festinantiam ad nuptias novas, non servato luctus legitimo tempore, mensium scil. decem. *Tepido.*] Mei recens mortuæ, vel conjugis sui, juxta legitimum tempus 10. mensium. *Pellex Corneliæ busto.*] Invidiose vocat eam pellicem, quæ intra legitimum luctus spatium nupta fuerit suo nuper marito, cujus memoriæ per illam exciderit.

Digitized by Google

Hæreat illa tuis per bella, per æquora signis,
25 *Dum non securos liceat mihi rumpere somnos,*
Et nullum vestro vacuum sit tempus amori,
Sed teneat Cæsarque dies, & Julia noctes.
Me non Lethæa, conjux, oblivia ripæ
Immemorem fecêre tui, regesque silentum
30 *Permisêre sequi. veniam, te bella gerente,*
In medias acies. nunquam tibi Magne per umbras,
Perque meos manes generum non esse licebit.
Abscindis frustra ferro tua pignora. bellum
Te faciet civile meum. Sic fata, refugit
35 *Umbra per amplexus trepidis dilapsa mariti.*
Ille, Dei quamvis cladem, manesque minentur,
Major in arma ruit, certa cum mente malorum.
Et, quid (ait) vani terremur imagine visus?
Aut nihil est sensus animis à morte relictum,
40 *Aut mors ipsa nihil. Titan jam pronus in undas*
Ibat, & igniferi tantum demerserat orbis,
Quantum deesse solet luna seu plena futura est,
Seu jam plena fuit: tunc obtulit hospita tellus
Puppibus accessus faciles: legêre rudentes,

Et

24. *Hæreat.*] Licet tecum assidue sit, nullum tamen vestro vacuum erit tempus amori. *Hæreat illa tuis, &c.*] Illa licet te in bella comitetur, non tamen fruemini mutuo amore, namque te interdiu exercebit pater meus Cæsar, noctu ego tibi somnos interturbabo.

28. *Me non Lethæa.*] Neque oblivionis ille fluvius degustatus apud inferos ademit mihi tui memoriam.

29. *Regesque.*] Pluto & Proserpina.

30. *Veniam, &c.*] *Omnibus umbra locis adero*, ultrix usque sequar te, monebo usque, te esse Cæsaris generum.

33. *Abscindis frustra, &c.*] Frustra terras bello extinguere jus affinitatis, namque hoc bellum te mihi reddet. *Prædicitque illi mortem.*

34. *Te faciet meum.*] His verbis ei mortem denuntiat. *Refugit, &c.*] *Frustra comprensa manus effugit imago, Par levibus ventis, volucrique simillima somno.*

36. *Ille, &c.*] Pompejus majori cum fiducia, imo obstinacia obvius it fatis.

37. *Certa cum mente malorum.*] Cum certo proposito agendi belli civilis. *Sulpitius.*

40. *Titan jam pronus, &c.*] Solis jam occidentis media pene parte, (instar lunæ semiplenæ) sub Horizonte depressa appulit Dyrrachium Pompejus.

43. *Hospita.*] Dyrrachium.

44. *Legere rudentes.*] Collectis funibus & velis, maloque inclinato subierunt portum remigio.

46. *Cæ-*

Digitized by Google

45 *Et posito remis petierunt littora malo.*
Cæsar, ut emissas venti rapuêre carinas,
Absconditque fretum classis, & littore solus
Dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi
Lætificat Magni: queritur quòd tuta per æquor
50 *Terga ferant hostes. neque enim jam sufficit ulla*
Præcipiti fortuna viro: nec vincere tanti,
Ut bellum differret, erat. tunc pectore curas
Expulit armorum, pacique intentus agebat,
Quoque modo vanos populi conciret amores,
55 *Gnarus & irarum causas, & summa favoris*
Annona momenta trahi. namque asserit urbes
Sola fames, emiturque metus, cum segne potentes
Vulgus alunt. nescit plebes jejuna timere.
Curio Sicanias transcendere jussus in urbes,
60 *Quà mare tellurem subitis aut obruit undis,*

Aut

46. *Cæsar ut emissas.*] Traducto Dyrrachium Pompejo, redit ad Cæsarem poëta, etiam tum in littore sedentem cum exercitu, ubi classis Pompejana è conspectu ablata fuit. *Hortens.*

47. *Absconditque, &c.*] Propter distantiam, & globi rotunditatem.

49. *Queritur quid, &c.*] Cæsar moræ omnis impatiens, nullam percipit voluptatem è Pompeji fuga, quæ parva erat victoria. supra lib. 2. ℣. 70. & inique tulit evasisse Pompejum, cujus fuga bellum protraheretur, quod semel confectum voluit.

51. *Præcipiti.*] Nulla fortuna Cæsari satis erat, præcipitanti semper, & nunquam cunctanti in rebus agendis. *Nec vincere tanti.*] Nec tanti existimabat unam victoriam, ut vellet bellum protrahere, malebat enim cum periculo statim conficere. *Hort. Sulp.*

52. *Tunc pectore, &c.*] Cæsar, etsi maxime è re esse arbitraretur Pompejum sequi, priusquam se transmarinis auxiliis confirmaret; partim tamen navium desiderio; partim ne quid se absente tentaretur per Galliam & Italiam, timens; nec non exercitum in Hispania sub ducibus Pompejanis veritus: in Siciliam Curione misso, in Sardiniam Valerio, &c. ipse Iberiam cogitans ad Urbem proficiscitur.

55. *Gnarus & irarum causas.*] Scilens populi animos abalienari, à fide deficere & detrectare imperium, si quando fame & penuria laboretur; conciliari studium plebis & benevolentiam, largitione annonæ; quæ sola civium obedientiam obstringit. Cum populus *duas tantum res anxius optet, Panem & Circenses.* Juven. Sat. 10. ℣. 80.

56. *Trahi.*] Conciliari.

57. *Metus.*] Obedientia.

58. *Jejuna.*] Fame pressa. *Timere.*] Studium, fidem, obsequium præstare.

59. *Curio Sicanias, &c.*] Curio itaque proprætor cum tribus legionibus missus est in Siciliam, frumentatum.

60. *Quà mare tellurem, &c.*] Quæ Siculum

Aut scidit, & medias fecit sibi littora terras.
Vis illic ingens pelagi, semperque laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes:
Bellaque Sardoas etiam spargunturin oras.
65 *Utraque frugiferis est insula nobilis arvis.*
Nec plus Hesperiam longinquis messibus ulla,
Nec Romana magis complerunt horrea terra.
Ubere vix glebæ superat, cessantibus Austris,
Cùm medium nubes Borea cogente sub axem,
70 *Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.*
Hæc ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor
Non armata trahens, sed pacis habentia vultum,
Tecta petit patria. prò, si remeasset in urbem,
Gallorum tantùm populis, Arctoque subacta,
75 *Quam seriem rerum longa prèmittere pompa,*
Quas potuit belli facies! ut vincula Rheno,
Oceanoque daret! celsos ut Gallia currus
Nobilis, & flavis sequeretur mista Britannis!

Per-

culum mare Rhegium & Pelorum interfluit. vide lib. I. supra ✠ſ. 435.

63. *Ne rupti, &c.*] Ne Apenninus & Pelorus vi undarum divulsi, rursus conjungantur.

64. *Bellaque Sardoas.*] Valerius missus est frumentatum in Sardiniam.

66. *Nec plus Hesperiam.*] Non ex alia ulla terra major frumenti copia in Italiam & Romam advehitur, quam ex insulis Sicilia & Sardinia.

68. *Ubere vix, &c.*] Vix ipsa Africa superat fertilitate has inſ. Austris non flantibus.

69. *Cum medium nubes Borea.*] Cum repulsis à Borea nubibus rigata abundam messem & frugum proventum tulit. *Borea.*] Non quod in siticulosa regione Libyes, aut sub torrida zona largus imber tum cadat, sed quod terra largius humectetur rore nocturno: quo tempore effusa pluvia, & Sardoa & Sicula rura utiliter rigantur & perfunduntur.

70. *Magnum annum.*] Uberem annonam frumentariam & ditem messem. *Hortens.*

72. *Non armata trahens, &c.*] Deductis in municipia cohortibus, vel eas pacem præ se ferentes urbem versus ducit.

74. *Arctoque subacta.*] Germanis cæterisque populis Septentrionalibus devictis.

75. *Quam seriem, &c.*] Quam speciosam triumphi pompam, quas urbium captarum & prælorum imagines potuisset præferre.

76. *Vincula Rheno.*] Vel propter pontem in Rheno constructum, & mare Britannicum tum primum à Romanis navigatum: vel propter utriusque accolas devictos.

77. *Celsos ut Gallia.*] Triumphales Impe-

Perdidit ô qualem vincendo plura triumphum!
80 *Non illum lætis vadentem cœtibus urbes,*
Sed tacitæ vidêre metu. non constitit usquam
Obvia turba duci: gaudet tamen esse timori
Tam magno populis, & se non mallet amari.
Jamque & præcipites superaverat Anxuris arces,
85 *Et qua Pontinas via dividit uda paludes,*
Qua sublime nemus, Scythica qua regna Diana;
Quaque iter est Latiis ad summam fascibus Albam:
Excelsa de rupe procul jam conspicit Urbem,
Arctoi toto non visam tempore belli:
90 *Miratusque suæ, sic fatur, mœnia Romæ:*
Téne, Deûm sedes, non ullo Marte coacti
Deseruêre viri! pro qua pugnabitur urbe?
Dii melius, quòd non Latias Eous in oras
Nunc furor incubuit; nec juncto Sarmata velox
95 *Pannonio, Dacisque Getes admistus: habenti*

Tam

Imperatoris currus sequentibus Gallis & Britannis crine flavis.

79. *Plura triumphum.*] Italiæ oppida vincendo & Pompejum cum Coss. fugando.

80. *Non illum, &c.*] Non illum præteuuntem excepere urbes lætis acclamationibus, metus inhibuit gratulationem.

81. *Non constitit, &c.*] Non prodibant illi obviam urbes gratulatoriæ.

82. *Gaudet tamen, &c.*] Invidiose hoc in Cæsarem ut semper.

84. *Jamque & præcipites, &c.*] Jam pretereiens Tarracinam & Anxur in arduo positam; & qua via Appia dividit paludem Pontinam in Volscis.

86. *Sublime nemus.*] Nemus Aricinum, clivus Virbii. CLX. stadia distans à Roma. *Scythicæ qua regna Dianæ.*] In Silva Aricina colebatur simulachrum Scythicæ Dianæ, huc ab Oreste translatum è Taurica regione, cæso rege Thoante. Dianæ Aricinæ sacerdos Rex dicebatur. Sueton. Calig. cap. 35. *Nemorensi regi, quod, &c.* Martial. ep. 65. lib. 9. *Quæ Triviæ nemorosa petit dum regna viator.* & nôster lib. 6. ✠s. 74. Strabo lib. 5. Solin. cap. 8.

87. *Quaque iter est Latiis.*] Qua ad Albam longam eunt Coss. sacrificatum in Latinis feriis, supra libro 1. ✠s. 550.

89. *Arctoi toto non, &c.*] Adversus Gallos, Germanos, Britannos gesti, Septentrionem versus.

91. *Deûm sedes.*] *Roma Deûm sedes.* Ovid.

93. *Dii melius.*] Dii melius prospexerunt, quod à cive potius quam ab externo hoste inferatur bellum hoc Urbi, à timido duce Pompejo desertæ. *Eous.*] Parthicum bellum, ab Oriente.

94. *Juncto Sarmata, &c.*] Quod non invadant nos Sarmatæ misti Pannoniis, Getæ Dacis, supra lib. 2. ✠s. 54.

98. *Nam-*

Digitized by Google

Tam pavidum tibi Roma ducem Fortuna pepercit,
Quòd bellum civile fuit. Sic fatur, & Urbem
Attonitam terrore subit. namque ignibus atris
Creditur, ut captæ, rapturus mœnia Romæ,
100 *Sparsurusque Deos. fuit hæc mensura timoris:*
Velle putant, quodcunque potest. non omina festa,
Non fictas læto voces simulare tumultu:
Vix odisse vacat. Phœbea palatia complet
Turba Patrum, nullo cogendi jure Senatus,
105 *E latebris educta suis: non Consule sacra*
Fulserunt sedes: non proxima lege potestas
Prætor adest: vacuæque loco cessêre curules.
Omnia Cæsar erat. privatæ Curia vocis
Testis adest. sedêre Patres censere parati,

Si

98. *Namque ignibus, &c.*] Timetur ne ferro & flamma omnia divastet, neque ipsis sacris pareat.

100. *Mensura timoris.*] Tantum timebant Romani, quantum videbant Cæsarem posse; & quia omnia in eos poterat, omnia sibi ab eo metuebant. *Sulpit.*

101. *Velle putant, &c.*] Causas publici timoris ordine commemorat, hanc primum opinionem omnium animis insedisse, Cæsarem ea omnia perpetraturum fuisse quæcunque potuisset, Syllæ exemplo: sed præter spem omnia evenere. *Hortens. Velle putant, quodcunq; potest. non omina festa.*] Th. Pulmannus legendum censet, nescio an recte:

——— *non omnia fausta.*

Sed indubie melius significantiusque:

——— *non omina fausta.*

Alludit ad morem revocandi in urbem Imperatoris, quem cum victore exercitu reducem faustis acclamationibus recipiebant, fausta illi omina apprecantes. *Dempster. Non omina festa.*] Ut modo ✠ſ. 80.

103. *Vix odisse vacat.*] Vix animo sunt præsenti, exercendo, ut par est, odio. *Phœbea palatia, &c.*] Patres in Apollinis ædem Palatinam vocatos benignè affatum esse Cæsarem, excusasse bellum hoc susceptum dignitatis suæ tuendæ gratia adversus invidiam & injurias paucorum, hortatum ut secum curam Reip. susciperent, curarentque legatos mittendos ad Pompejum & Coss. de pace, &c. testantur omnes historici, Plutarchus, Appianus, Dio, Florus, Oppius ceu Hircius.

104. *Nullo cogendi, &c.*] Jus enim cogendi Senatum penes Coss. vel Prætorem erat. Ab Antonio & Cassio convocatum Senatum refert Dio. lib. 41.

105. *E latebris educta suis.*] Ex ædibus suis quo se receperant.

106. *Sedes.*] Curia. *Non proxima, &c.*] Non Prætor, proximus à Coss. magistratus.

107. *Curules.*] Sellæ majorum magistratuum, Consulum, Prætorum, Censorum, Ædilium curulium.

108. *Omnia Cæsar erat.*] Cæsar omnium magistratuum munera solus obibat. *Privatæ Curia, &c.*] Convocabantur Patres, testes futuri, actorum & consultorum Cæsaris privati hominis.

109. *Censere parati.*] Parati, Cæsari, si po-

110 *Si regnum, si templa sibi, jugulumque Senatus,*
Exiliumque petat. melius, quòd plura jubere
Erubuit; quàm Roma pati. tamen exit in iram
Viribus an possent obsistere jura per unum
Libertas experta virum. pugnaxque Metellus
115 *Ut videt ingenti Saturnia templa revelli*
Mole, rapit gressus, & Cæsaris agmina rumpens,
Ante fores nondum reseratæ constitit ædis.
(Usque adeo solus ferrum, mortemque timere
Auri nescit amor. pereunt discrimine nulla
120 *Amissæ leges: sed pars vilissima rerum*
Certamen movistis opes) prohibensque rapina
Victorem clara testatur voce Tribunus:
Non nisi per nostrum vobis percussa patebunt
Templa latus, nullasque feres nisi sanguine sacro
125 *Sparsas, raptor, opes. certè violata potestas*
Invenit ista Deos. Crassumque in bella secutæ
Sæva Tribunitiæ noverunt prælia diræ.
Detege jam ferrum. neque enim tibi turba verenda est
Spe-

si poposcisset, decernere regnum, divinos honores, quorum vellet cædem, exilium, proscriptionem.

111. *Melius.*] Melius fuit, optime actum est, quod, &c.

112. *Tamen exit, &c.*] Tamen libertas tentans per unum virum (Metellum scil. Trib. pl. obstantem Cæsari ærarium effracturo) an jura possent obsistere viribus, iram movet.

114. *Pugnaxque.*] Obstans Cæsari.

115. *Saturnia.*] Ærarium quod erat in æde Saturni à Tullo Hostilio condita.

118. *Usque adeo.*] Exclamatio in execrandam auri famem, qua nihil non nefarii sceleris mortales audent perpetrare. Hinc recte Virg. *Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames!* Hortens.

119. *Pereunt discrimine, &c.*] Leges cum libertate perierant, nemine asserente: aurum solum invenit patronum.

122. *Testatur voce Tribunus.*] Protestatur se prohibiturum, *vel*, detestatur, execratur.

124. *Sacro Sparsas raptor, opes. certè violata, &c.*] Tribuni. Tribunitia autem potestas sacrosancta est, quam, quicunque violaverit aut pro levi habuerit, Deos expertus est ultores, uti Crassus non ita pridem qui diris & execrationibus Atteii Trib. pl. impetitus, misere in Parthis periit.

125. *Sparsas opes.*] Aspersas Tribunitio sanguine. *Grotius.*

126. *Invenit ista Deos.*] Credebant Deos præsentes vindices adesse, si quis eam potestatem violasset.

128. *Detege jam ferrum.*] Stringe ferrum in me; nec abstine sacrosancto sanguini fundendo, verecundia civium spectan-

Digitized by Google

Spectatrix scelerum: deserta stanus in Urbe.
130 *Non feret è nostro sceleratus præmia miles:*
Sunt quos prosternas populi, quæ mœnia dones.
Pacis ad exhausta spolium non cogit egestas:
Bellum Cæsar habes. His magnam victor in iram
Vocibus accensus: Vanam spem mortis honestæ
135 *Concipis: haud (inquit) jugulo se polluet isto*
Nostra, Metelle, manus. dignum te Cæsaris ira
Nullus honor faciet. te vindice tuta relicta est
Libertas? non usque adeò permiscuit imis
Longus summa dies, ut non, si voce Metelli
140 *Serventur leges, malint à Cæsare tolli.*
Dixerat: & nondum foribus cedente Tribuno
Acrior ira subit: sævos circumspicit enses,
Oblitus simulare togam. tum Cotta Metellum
Compulit audaci nimium desistere cœpto.
145 *Libertas, inquit, populi, quem regna coërcent,*
Libertate perit; cujus servaveris umbram,

Si,

spectantium inhibitus. Nemo superest civis, nemo libertatis assertor in urbe.

130. *E nostro sceleratus.*] Ex ærario publico.

131. *Sunt quos prosternas populi.*] Converte bellum tuum ad hostes potius, ex his victis redde militibus promissa munera. non feres ex ærario thesauros, quos longa pace congestos non expromere licebit, nisi publica jusserit egestas. Hos olim (inquit Appianus) execratione publice proposita conditos fuisse memorant, ut, nisi Celtico insurgente bello, à nullo promerentur.

132. *Pacis ad exhausta spol.*] Inopia pecuniæ non cogit te ad diripienda, impiè spolia, quæ olim pax longa congessit, & in usum necessarium in æde Saturni condidit, & ad hunc usque diem intacta & inviolata servavit. *Hortens.*

134. *Honesta, &c.*] Mea manu inflictæ.

136. *Dignum te Cæsaris, &c.*] Sacrosancta potestas tua, quam jactas usque, non faciet te dignum ira mea.

137. *Te vindice tuta relicta est Libertas?*] Tune quæso libertatem ex urbe fugientem moraris? tune libertatis solus in urbe assertor? respondet ad illud supra, v. 129.

138. *Non usque adeo, &c.*] Non eo desperationis & confusionis venit Respublica, ut legum suarum assertorem Metellum malit quam Cæsarem.

142. *Sævos circumspicit enses.*] Admota capulo manu, dixisse fertur Cæsar: *An ignoras adolescens, difficilius esse mihi dicere hoc quam facere?*

143. *Togam.*] Pacem.

145. *Libertas, inquit, populi, &c.*] Libertas populi oppressa, obnoxia est libertati illius qui oppressit; cujus tamen retinebis imaginem, si libenter te subjicias imperatis.

147. *Tot*

Si, quicquid jubeare, velis. tot rebus iniquis
Paruimus victi: venia est hæc sola pudoris,
Degenerisque metus, nil jam potuisse negari.
150 *Ocyus avertant diri mala semina belli.*
Damna movent populos, si quos sua jura tuentur,
Non sibi, sed domino gravis est, quæ servit, egestas.
Protinus abducto patuerunt templa Metello.
Tunc rupes Tarpeja sonat, magnoque reclusæ
155 *Testatur stridore fores: tunc conditus imo*
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi:
Quod tibi Roma fuga Pyrrhus trepidante reliquit,

Quo

147. *Tot rebus iniquis, &c.*] Et cum cæterarum rerum, legum, libertatis, &c. pertulimus jacturam, necessitate adacti; quin & thesauris etiam publicis cedamus, impetrabit degeneris metus veniam apud posteros necessitas, cui resistere in nostra manu non erat.

150. *Ocyus avertat, &c.*] Alibi audiendus vir summus, qui sic incongrue legi scribit, substituitque *avertant*, pro abeant in rem malam ista belli irritamenta. Verum verbum hoc interdum proprium est, de rebus illis, quas ex aliena in nostram potestatem & ditionem, ut plurimum fraude & malis artibus redigimus. Cic. in Verrem: *istum in Quæstura, pecuniam publicam avertisse.* Gronov. *Ocyus avertat, &c.*] Quin ocyus auferat thesaurum hunc, cujus fortasse causa bellum hoc dirum à Cæsare motum est, dirius futurum si illum obnixe detineamus.

151. *Damna movent populos.*] Ærarium populi liberi exhaustum, non fit sine publico damno: sed populi servientis egestas & thesauri exhausti, domino, non populo damnum adferunt.

153. *Patuerunt templa Metello.*] Reclusum erat ærarium, & thesauri à nomine usque in illam diem contacti, militibus rapiendi concessi.

154. *Tunc rupes Tarpeia sonat.*] Stridore cardinum resonuit saxum Tarpejum. Ita enim fores erant factæ, ut sine crepitu ac sine stridore, quia ferreæ, aperiri nequirent; ut eo fures, si qua tentarentur, se proderent. *Hortens.* *Magnoque reclusæ, &c.*] Impactis securibus reclusæ fores, & stridore cardinum resonat collis Saturnius, Tarpejus, vel Capitolinus, in quo ærarium.

157. *Census populi.*] Aurum & argentum, è mulctis, tributis, donis gentium devictarum. *Punica bella.*] Primum quo mulctati sunt Carthaginenses MCC. talentis argenti. Secundum, quo mulctabantur XM. tal. arg. in L. annos æquis portionibus solvendis, sed intervenit Tertium.

158. *Perses.*] Macedoniæ rex ab Æmylio Paulo devictus. vide Plutarch. Æmylium Paul. *Philippi.*] Patris Persæ à T. Flaminio ad deditionem compulsi. Plutar. T. Q. Flam.

159. *Quod tibi Roma, &c.*] Supra lib. 1. ✱ſ. 30.

160 *Quo te Fabricium regi non vendidit auro,*
Quicquid parcorum mores servastis avorum,
Quod dites Asiæ populi misêre tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.
165 *Tunc Orientis opes, captorumque ultima regum*
Quæ Pompejanis prælata est gaza triumphis
Egeritur: tristi spoliantur templa rapina;
Pauperiorque fuit tunc primùm Cæsare Roma.
Interea totum Magni fortuna per orbem
170 *Secum casuras in prœlia moverat urbes.*
Proxima vicino vires dat Gracia bello.
Phocaicas Amphissa manus, scopulosaque Cyrrha,
Parnassusque jugo misit desertus utroque.
Bœoti coiere duces, quos impiger ambit
175 *Fatidica Cephissos aqua, Cadmeaque Dirce,*

Pi-

160. *Quo te Fabricius, &c.*] Aurum à Pyrrho oblatum ut patriam desereret prodereque, recusavit Fabricius ad regem legatus.

161. *Mores servastis avorum.*] Frugalitas veterum Romanorum & parsimonia.

162. *Quod dites Asiæ.*] Quod ab Antiocho Syriæ, Attali legatione & hæreditate obvenit.

163. *Minoia Creta Metello.*] Minoi olim regnata Creta, à Q. Metello vastata.

164. *Quod Cato, &c.*] Missus in Cyprum adversus Ptolemæum Cato Maj. advexit VII. M. talenta.

165. *Captorumque regum.*] Mithridatis Ponti, Tigranis Armeniæ, Aristobuli Judæ regis, &c. *Ultima.*] Ex remotissimis regionibus. *Ultima gaza.*] Novissima præda de regibus parta. *Grotius.*

168. *Pauperiorque, &c.*] Emphatice & invidiose in Cæsarem ære alieno prius pressum.

169. *Interea totum, &c.*] Recenset poëta catalogum populorum qui Pompejo auxilia submiserunt. 1. Europæ. 2. Asiæ. 3. Africæ. orditur à Græcia.

170. *Secum casuras, &c.*] Eandem cum Pompejo fortunam & cladem experturas.

171. *Vicino, &c.*] Pompejo jam Dyrrhachii.

172. *Phocaicas Amphissa, &c.*] Apparet eum τὴν Φωκαΐδα Ionicam urbem in Asia confudisse, & τὴν Φωκίδα Achaiæ regionem. *Salmasius. Amphissa manus.*] Oppido Phocidis. *Scopulosaque Cyrrha.*] Ad rupem sita.

173. *Parnassusque.*] Mons Apollinis Pythii oraculo & Musarum sede clarus, bicollis. *Jugo misit desertus utroque.*] Tithoreo & Hyampeo.

175. *Fatidica Cephissos aqua.*] Oritur Cephissus amnis è montibus Phocidis Delphico oraculo claris. *Cadmeaque Dirce.*] Dirce fons vicinus Thebis à Cadmo positis. vide quæ ad Senecæ Theb. ✠ 126.

176. *Pi-*

Pisæaque manus, populisque per æquora mittens
Sicaniis Alpheus aquas. Tunc Mænala liquit
Arcas, & Herculeam miles Trachinius Oeten.
Thesproti, Dryopesque ruunt, quercusque silentes
180 *Chaonio veteres liquerunt vertice Sellæ.*
Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
Exigua Phœbea tenent navalia puppes,
Tresque petunt veram credi Salamina carinæ.
Jam dilecta Jovi centenis venit in arma

Creta

176. *Pisæaque manus.*] E Pisis opp. Elidis, juxta Alpheum fluv. qui fertur subter mare ferri ad Arethusam fontem Siciliæ. Pausan. Eliacor. 1.

177. *Tunc Mænala.*] Advenerunt Arcades à Mænalo Arcadiæ monte, & Thessali à Trachyne, quam Hercules condidit sub Oeta monte.

179. *Thesproti, Dryopesque.*] Epiri pop. *Ruunt.*] Properant ad castra Pompeji. *Quercusque, &c.*] Dodoneas quercus non amplius responsa dantes; fugatis columbis fatidicis. vide quæ ad Senecæ Medeam, ✠. 349.

180. *Sellæ.*] Epiri pop. MS. P. recte *Sellæ*, sicut *Arctæ*. Est enim Græcum Σέλλοι apud Homerum, & ex eo Strabonem & Stephanum. *Grot.*

181. *Exhausit totas, &c.*] Athenæ, utcunque delectu prius exhaustæ, è navalibus tamen suis Phœbo dicatis mittunt tres Salaminias naviculas; quæ testentur Salamina esse veri juris Atheniensium non Megarensium, uti olim controversum erat. Simul videtur allusum ad illud Horatii: *Ambiguam tellure nova Salamina futuram*; propter Cypriam. vide Senec. Troad. vers. 842. Erant item Athenis tres naves publico usui destinatæ: *Theoria*, qua vehebantur in Delum quotannis è Theseio voto; Plato in Phædone: *Paralus*, qua mittebantur Delphos aut alio rem divinam facturi; Aristophanis interpres: *Salaminia*, quæ evocatos ad judicium subveheret. Plutarchi Pericles.

182. *Phœbea navalia.*] Quod ea Phœbo dedicata essent, propter studia literarum, quibus præsidet: quamquam non Piræum, sed Tænarum revera Phœbo dedicatum erat.

183. *Tresque petunt veram, &c.*] Recenset Lucanus auxiliares copias, quæ Pompejo Magno suppetias in bello adversus C. Cæsarem venerant; interque cæteros populos recensentur & Athenienses, de quibus hæc scripsit: Sed docet, non magnas fuisse auxiliares istas Atheniensium copias, etiamsi, quotquot potuerunt, conscripti sint milites. Paucitatem istarum copiarum postea refert, tresque tantum naves cum *Salaminia* militibus instructas fuisse scribit. *Tresque petunt, &c.*] Id est, tres naves militibus instructæ sunt, quarta exspectabatur instruenda *Salaminia*. Quod vero *Salaminia* navis militibus instruitur, argumento est, rem militiamque illam cordi fuisse Atheniensibus; tantumque habitum fuisse delectum, quantus haberi potuit: nam non solebant Athenienses instruere *Salaminiam* Navem, ut docet Critolaus apud Plutarch. in Pericle, nisi ἐπὶ τοῖς μεγίσταις κινδύνοις. *Petitur. Veram Salamina.*] Seneca Troadibus: *Nunquid Æacia Salamina veram.* Manilius: *Vera Syracusis Salamis non merget Athenas.* Grotius.

184. *Dilecta Jovi, &c.*] Creta ἐκατόμπυ-

185 *Creta vetus populis, Gnossasque agitare pharetras*
Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis.
Tunc qui Dardaniam tenet Oricon: & vagus altis
Dispersus sylvis Athamas, & nomine prisco
Encheliæ versi testantes funera Cadmi.
190 *Colchis, & Adriacas spumans Absyrtos in undas,*
Et Penei qui rura colunt, quorumque labore
Thessalus Æmoniam vomer proscindit Iolcon.
Inde lacessitum primò mare, cùm rudis Argo
Miscuit ignotas temerato littore gentes,
195 *Primaque cum ventis, pelagique furentibus undis*
Composuit mortale genus, fatisque per illam

Acces-

πύμπολις in qua Jupiter natus educatusque fuit.

185. *Gnossasque, &c. Gortyna sagittis.*] Cretæ urbes notiss. Gnossus & Gortyna sagittariis insignes.

186. *Nec Eois.*] Non cedens Parthis arte mittendi sagittas.

187. *Dardaniam tenet Oricon.*] Heleno & Andromache Dardanis regnatam maritimam illam Epiri urbem, Virg. 3. Æn. 5.

188. *Dispersus sylvis Athamas.*] Athamanes, montes Epiri incolentes.

189. *Encheliæ versi, &c.*] Illyrii pop. quorum urbs Cadmi & Harmiones in serpentes conversorum est monimentum. ἴσελυς autem anguilla est *longæ cognata colubræ*, ut ait Juvenalis, Satyra 3.

190. *Colchis & Adriacas, &c.*] Tolle comma, & scribe *Absyrtis*, quomodo id nomen scribitur apud Plin. 111. 26. Strabonem quoque & Stephanum. Hæc autem Absyrtis Colchis, id est, *Colchica* vocatur, quia Medea & frater ejus Absyrtus ibi laceratus, ex Colchis erant. *Grotius. Colchis.*] Non Ponti illa sed Istri regio, dicta à Colchis qui ab Æëta missi ad persequendum Jasonem, hic consederunt. *Absyrtos in undas.*] Insula cum fluvio cognomine in mare Adriaticum prolapso, sub Illyrico.

191. *Et Penei.*] Dele &, manuscriptis auctoribus. Nam nomen fluminis est *Penens* Πηνειὸς, non *Peneus*, Πηνεὸς. *Grotius. Penei.*] Fl. Thessaliæ.

192. *Æmoniam vomer proscindit Iolcon.*] Thessaliæ opp.

193. *Inde lacessitum.*] Præferam quod in MS. P. est, *Unde lacessitum*, ut cohæreant hæc cum superioribus. *Grotius. Lacessitum.*] Vexatum remis. *Inde lacessitum, &c.*] Ex Iolco solverunt Argonautæ. Argo autem primam celebrant Poëtæ navem. *Rudis.*] Ignara navigandi. *Rudis Argo, &c.*] Exprimit illud Senecæ in Medea choro primo: *Bene dissipti fœdera mundi Traxit in unum Thessala pinus, Jussitque pati verbera pontum: Partimque metus fieri nostri Mare sispositum.*

194. *Temerato littore.*] Occupato & violato: nam multas gentes in ipso cursu navigationis violarunt Argonautæ: & miscuerunt ignotas gentes temerandis hospitiis. *Hortens.*

196. *Composuit.*] Commisit inter se, conciliavit. *Hortens. Fatisque per illam.*] Mortis novum genus illatum, scil. naufragium.

197. *Tunc*

Digitized by Google

Acceßit mors una ratem. tunc linquitur Æmus
Thracius, & populum Pholoë mentita biformem.
Deseritur Strymon tepido committere Nilo
200 *Bistonias consuetus aves, & barbara Cone*
Sarmaticas ubi perdit aquas, sparsamque profundo
Multifidi Peucen unum caput alluit Istri:
Mysiaque, & gelido tellus perfusa Caico
Idalis, & nimium glebis exilis Arisbe.
205 *Quique colunt Pitanen, & quæ tua munera Pallas*
Lugent damnatæ Phœbo victore Celenæ:
Quà celer erectis descendens Marsya ripis
Errantem Mæandron adit, mistusque refertur:
Passaque ab auriferis tellus exire metallis
210 *Pactolon; quà culta secat non vilior Hermus.*

Ilia-

197. *Tunc linquitur.*] Deflectit è Magnesia in Thraciam. *Æmus Thracius.*] Mons Thraciæ.

198. *Pholoë mentita biformem.*] Mons Arcadiæ, Pholo aliisque Centauris, qui (cum primi ab equis dimicarent) procul visi erant biformes, habitatus.

199. *Deseritur Strymon.*] Adveniunt & auxilia à Strymone Thraciæ fluv. cujus frigus grues sub hyemem fugientes Nili teporem petunt. *Bistonis* autem stagnum est Thraciæ.

200. *Et barbara Cone.*] Et ubi ad insulam Conen (sitne illa Conopos Plinii lib. 4. cap. 12. an Apolonii κῶνον, circa Istri ostia Insula; dubium) in mare funditur Ister Sarmaticus fluv. & Peuce primum vel unum ostiorum Istri alluit Peucen Insulam ostio fluv. objectam.

202. *Multifidi Peucen.*] Sex ostiis, ut alii septem, Pontum influentis.

203. *Mysiaque.*] Asiæ minoris regio.

204. *Idalis.*] Quæ sub Ida jacet tellus: *Omnibonus.* Sed Ortelius approbat lectionem, *Æolis.* Caicus enim Straboni l. 12. est Æolidis fluv. Aliis Asiæ proprius. *Nimium glebis exilis.*] Sterilis.

205. *Pitanen.*] Oppidum Troadis. *Quæ tua munera Pallas.*] Et Celenæ urbs Phrygiæ, quæ lugent fatum Satyri sui Marsyæ, qui inventis, quas Pallas abjecerat, tibiis fretus, Apollinem in certamen Musices provocavit, & ab eo victus excoriatus est: versus autem in fluvium sui nominis, cadit in Mæandrum fluv. sinuosum & per plana sæpius flexibus in fontem recurrentem.

207. *Quà celer, & rectis.*] Sic corrigendum, ubi in vulgatis est, *quà celer erectis. rectæ ripæ* opponuntur flexuosis: conciti fluviorum & cum impetu descendentes rectas ripas agunt; ut contrà molles & placidi, curvis eunt ripis & flexuosis: talis Mæander, *qui recurrentibus ripis flexuosus.* Utriusque amnis Mæandri & Marsyæ fontes in Celænarum colle esse convenit inter omnes. Livius: *Et Marsyas amnis haud procul à Mæandri fontibus oriens in Mæandrum cadit.* Καταῤῥάκτης dictus est idem Marsyas, quod cum impetu descenderet. *Salmas.*

210. *Pactolon.*] Auriferi fluvii celebrantur Pactolus, Hermus, Ganges, Tagus, Iber, Indus, Arimaspus.

Iliacæ quoque signa manus, perituraque castra
Ominibus petiere suis: nec fabula Trojæ
Continuit, Phrygiique ferens se Cæsar Iüli.
Accedunt Syriæ populi, desertus Orontes,
215 *Et felix, sic fama, Ninos: ventosa Damascus,*
Gazaque, & arbusto palmarum dives Idume.
Et Tyros instabilis, pretiosaque murice Sidon.
Has ad bella rates non flexo limite ponti,
Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.
220 *Phœnices primi, famæ si creditur, ausi*
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos

Nove-

211. *Iliacæ quoque, &c.*] Et Troës venerunt auxilio Pompeji, sed fato suo, id est, inauspicato & vinci solito.

212. *Nec fabula Troiæ.*] Neque eos à Pompejanis partibus detinuit fama de Cæsare oriundo Julia stirpe.

213. *Phrygiique ferens.*] Jactitans se ab Iulo magno oriundum. *Hortens.*

214. *Accedunt Syriæ populi.*] In universum proponit è Syria etiam copias auxiliares ad Pompejum venisse. Dividit inde Syriam in partes; admiscetque per occasionem locorum jucunda & utilia sciru pariter de inventione litterarum. *Hortens. Desertus Orontes.*] Fl. Syriæ desertus, accolis ad Pompejum affluentibus.

215. *Felix (sic fama) Ninos.*] Ubertate, & rerum affluentia celebrata Ninos. πόλις ποτὶ μεγάλη καὶ ὀλβαίρων. Asrian. in Δεύκαλιωνι Indiæ. *Ventosa Damascus.*] Quod sita in patentibus campis, undique ventis sit exposita. *Hortens. Ventosa.*] In patenti campo sita, ventis exposita. *Damascus.*] Urbs Syriæ.

216. *Arbusto palmarum dives Idume.*] Palmis nobilis Syriæ regio Judæa.

217. *Instabilis.*] Quondam, insula. LXX. passuum mari à terra diffita, sed aggere Alexandri post juncta continenti. *Pretiosaque murice Sidon.*] Phœniciæ urbs maritima purpurarum piscatu celebris.

218. *Has ad bella, &c.*] Cynosura, haud certior dux ullis alibi carinis, duxit has rates ad Dyrrhachium, recta navigatione. Namque Helice cæteros Graios, Tyrios Cynosura per altum dirigit. Certior quam Helice, quod polo vicinior, κυνοσοῦρα φοίνικας πίστωνοι πεφύκοι ἑλίκεσσιν. Aratus.

219. *Cynosura.*] Hæ recto cursu venere Dyrrhachium, duce Cynosura stella.

220. *Phœnices primi.*] Cadmus cum Phœnicibus suis litterarum figuras vel invenisse vel in Græciam intulisse fertur. Mela lib. 1. cap. 12.

221. *Mansuram vocem.*] Vocabula & dictiones rerum perpetuo mansuras scribere figuris elementorum, quorum inventores primi ipsi exstiterunt. *Hortensius.*

222. *Nondum flumineas Memphis.*] Necdum Ægyptii noram voces figuris litterarum delineatas chartis è papyro ceu junco Nilotico dissecto signare, sed per figuras animalium ἱερόγλυφα γεγράφασι, sensus mentis, monimenta me-

Noverat: & saxis tantùm, volucresque feraque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.
225 *Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos,*
Coryciumque patens exesis rupibus antrum,
Mallos, & externa resonant navalibus Æga.
Itque Cilix justa jam non pirata carina.
Movit & Eoos bellorum fama recessus,
230 *Quà colitur Ganges, toto qui solus in orbe*
Ostia nascenti contraria solvere Phœbo
Audet, & adversum fluctus impellit in Eurum:
Hic ubi Pellæus post Tethyos æquora ductor
Constitit, & magno vinci se fassus ab orbe est.

Qua-

ta memoriæ, vaticinia, & sapientum præcepta sermonesque saxis impresserunt. *Biblos.*] Nilus biblum gignit sive papyrum, unde paginæ candidæ fiebant: hinc *fluminea*, quasi Niloticas biblos dixit: ex juncorum tenuissimis fibris, stragula vela, & vestes contexebantur; & ante charturum usum, in palmarum foliis scribere solebant. Inde in quarundam arborum libris, postea plumbeis voluminibus publica monumenta. *Memphis.*] Ægyptus, à parte totum. *Hortens.*

224. *Sculptaque animalia.*] Animalium figuræ, quæ pro litteris erant. *Magicas linguas.*] Philosophorum, sive sacerdotum, hieroglyphicas voces & dicta. *Hortens.*

225. *Taurique nemus.*] Montis Asiæ, proprie ita dicitur ea pars quæ Ciliciam & Pamphyliam ab Armenia distinguit. *Perseaque Tarsos.*] Quia nomen habet à Persei talaribus *πεδίλοις*. *Grotius.* *Perseaque.*] A Perse condita urbe Ciliciæ. Alii à Tarso, Persei talaribus. vel quod ibi ungulam seu plantam fregerit Pegasus, vel Φ ἐπὶ τὸ πεδίον ἔθεον, quod est loca primum à diluvio exaruerint, dictam volunt, legendumque *Perseaque Tarsos*, Gent. Rhodig. lib. 4. cap. 11.

226. *Coryciumque patens, &c.*] Portus & specus in Cilicia. de quo vide quæ Mela lib. 1. cap. 13.

227. *Mallos, & externa resonant navalibus Ægæ.*] Ciliciæ oppid.

228. *Justa jam non pirata carina.*] Auxiliari, non prædatoria, ut olim. supra lib. 2. vſ. 576.

229. *Eoos bellorum fama recessus.*] Extremas Orientis partes accolas Gangis, qui, cum reliqui fluvii à sole aversi, ille adversus solem orientem contendit.

231. *Ostia nascenti contraria.*] Miraculi simile dicit, quod Ganges contrà Solem orientem in Oceanum exeat; cum reliqui amnes vel à Sole aversi, vel in Septentrionem, vel in Austrum cursum teneant. Sed & Ister adversus Solem labitur. *Nascentem Phœbum*, orientem Solem vocat. *Hortens.*

233. *Ubi Pellæus post Tethyos, &c.*] Craterus ad matrem Aristopatram scripsit, Alexandrum ad Gangem usque pervenisse: alii Hyparim itineris ejus finem fuisse referunt: fluminis autem vastitate inhibitus constitit citra Oceanum Orientalem Indicum, quem itineris finem statuerat. *Pellæus.*] Alexander, sic dictus à Pella, urbe Macedoniæ. *unus Pellæo juveni non sufficit orbis*, ait Satyr.

235 *Quaque ferens rapidum diviso gurgite fontem*
Vastis Indus aquis mistum non sentit Hydaspen;
Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos,
Et qui tingentes croceo medicamine crinem
Fluxa coloratis astringunt carbasa gemmis.
240 *Quique suas struxêre pyras, vivique calentes*
Conscendêre rogos. prô quanta est gloria genti
Injecisse manum fatis, vitaque repletos,
Quod superest, donasse deis! Venêre feroces
Cappadoces, duri populas nunc cultor Amani,
245 *Armeniusque tenens volventem saxa Niphatem:*
Æthera tangentes silvas liquêre Coastræ.
Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,

Um-

235. *Ferens rapidum.*] *Μίγας τὸ ὕδωρ λαβὼν τῶν πηγῶν*, &c. Arrian. l. 5. *Diviso gurgite, &c.*] Duobus ostiis in mare influentem, & quo loco dividitur, Insulam Paralen, facit. Strab. lib. 15.

236. *Mistum non sentit Hydaspen.*] Adeo ex se vastus est.

237. *Quique bibunt tenera, &c.*] Indicam intelligit harundinem ex qua hodie fit saccharum, quod olim non fiebat, sed aqua duntaxat exprimebatur ad potum. Itaque Saccharum priscis celebratum alius generis, & ex alia harundine. Harundo ea quæ Saccharum veteribus cognitum fert, arboreæ est magnitudinis, & *Mambu* ab Indis vocatur, & Saccharum *Mambi* hac ætate quoque appellant, quod in his harundinibus gignitur & colligitur. *Salmasius.* Plin. Exercit. pag. 1298. *Quique bibunt, &c.*] Indos innuit, qui bibunt *μελὶ τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον σάκχαρα.* Arrian. in *περίπλῳ* maris Erythræi. saccharum expressum è succo arundinum *Suger canes.*

238. *Et qui tingentes, &c. Fluxa coloratis astringunt carbasa gemmis.*] Cathæi Indiæ pop. pulchritudinem omni modo adstruunt. regem ob formam eligunt, capillitia tingunt, &c. Strabo lib. 15. lineas vestes *κόρπασα* & ipsas gemmis distinctas zonis gemmatis cingunt. Strabo lib. 15.

239. *Carbasa.*] Lineas vestes indicat.

240. *Quique suas struxere pyras, &c.*] Brachmanes, Gymnosophistæ, philosophi Indiæ. Brachman. oppidum Ptol. vel ut alii insulas Gangis incolentes. se vitæ satiatos in rogum à se extructum conjectos comburunt. Strabo lib. 15. Philostrat. 3. de Calano notum.

242. *Injecisse manum fatis.*] Intulisse sibi mortem.

244. *Nunc cultor Amani.*] Emenda ex Mss. Puteanor & Thuan. *non cultor Amani.* Hoc dicit, Amanum ita durum esse, ut habitari possit, coli non possit. *Grotius. Amani.*] Montis Ciliciæ.

245. *Niphatem.*] Fl. Armeniæ.

246. *Æthera tangentes, &c.*] Pop. incolentes extremæ Indiæ lucos, *ubi aera vincere summum, &c.* Virg. Georg. 2. *Coastræ.*] Melius *Coatræ* Ms. P. & R. recentior. Populus est ad Mæotim, Plinio memoratus lib. VI. *Grotius.*

247. *Ignotum vobis Arabes, &c.*] Quid opus erat (inquit Jos. Scaliger in Prolegomenis ad Manilium) illis inter

Æqua-

Digitized by Google

Umbras mirati nemorum non ire sinistras.
Tunc furor extremos movit Romanus Olostras,
250 *Carmanosque duces, quorum devexus in Austrum,*
Æther, non totam mergi tamen aspicit Arcton.
Lucet & exigua velox ibi nocte Bootes.
Æthiopumque solum, quòd non premeretur ab ulla
Signiferi regione poli, nisi poplite lapso
255 *Ultima curvati procederet ungula Tauri.*
Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus

Euphra-

Æquatorem & Tropicum Cancri degentibus, mirari sinistras umbras, quæ & ipsis ἀμφίσκιοις aliquando sinistræ sunt. Sed respexit poëta Arabiam Felicem ceu Australem, Solem in Cancro, & umbram Meridionalem quæ Occidentem spectantibus in sinistram, id est, Austrum versus projicitur, quæ citra Cancri trop. positis in dextram semper. Exagitat & hunc locum Jul. Scal. Poët. lib. 6. cap. 6. Vide nostrum infra lib. 9. ℣. 539. & Cæl. Rhod. lib. 1. cap. 10. Rudibus simul istis in sua patria amphisciis, translatis jam cis Tropicum, mirari licuit umbras nunquam sinistras ire. vide & comment. Solini, cap. 46.

249. *Furor extremos movit Romanus.*] Belli Romani. *Olostras.*] Mss. *Orestas.* Ego verum puto *Oretas.* Sunt enim proximi Carmanis ὀρέστιν apud Strabonem xv. Sed poëta primam syllabam corripuit, ea licentia, quam in voce *Orion* usurpari cernimus. Vide insuper Plin. lib. vi. c. 20. & 2. c. 75. *Grot. Olostras.*] Indiæ pop. Plin. lib. 6. cap. 20. neque probanda lectio *Oretas* aut *Oresdas*, ut sit pop. Septentrionalis. quæ lectio tantam Jos. Scaligero in Prolegom. in Manilium præbuit ansam exagitandi Lucanum & se torquendi.

250. *Carmanosque duces, &c.*] Asiæ pop. inter Persidem & Indiam ut volunt. quibus sub tropico Cancri vel ulterius positis ursa major non tota occidit, sed prominet aliquid de capite ejus.

252. *Exigua, &c.*] Exigua noctis parte lucet, occidit sc. citius, utpote Horizonti eorum propior. *Bootes.*] Arctophylax nuncupatur. Idem & Arcturus dicitur & custos plaustri, quod plaustrum sive Septentriones sequatur ex intervallo, & quasi Septentrionibus succinctus sit. *Hortens.*

253. *Æthiopumque solum, &c.*] Locus (inquit Glareanus) vix intelligibilis & in quo multi egregii viri frustra sudarint. forte Æthiopas ultra Æquinoctialem positos voluit poëta, dicereque Æthiopia non subest ulli è signis Septentrionalibus, nisi quod Taurinus pes ultra Æquinoctialem protendatur. Sed & hoc falsum.

255. *Ultima curvati, &c.*] Hoc videtur significare Lucanus, Æthiopiam nusquam à signifero stringi, nisi ubi æquator circulus leviter Tauri ungula contingitur circa 50. longitudinis gradum. *Procederet.*] Nisi à Tauri ungulis Æquinoctialis circuli margines contingerentur, ubi Meroë est. Cæterum quantum Æthiopia ultra tropicum hyemalem est, nullum signiferi signum habet; ut neque ii, qui intra Cancrum & circulum Arcticum habitant. *Hortens.*

256. *Rapido tollit cum Tigride.*] Unde & nomen, sagittam quippe Persæ *Tigrin*, appellant.

Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis, & incertum, tellus si misceat amnes,
Quod potius sit nomen aquis. sed sparsus in agros
260 *Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ:*
At Tigrim subito tellus absorbet hiatu,
Occultosque tegit cursus, rursusque renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.
Inter Cæsareas acies, diversæque signa
265 *Pugnaces dubium Parthi tenuêre favorem,*
Contenti fecisse duos. tinxêre sagittas
Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido, vastisque Hyrcania silvis.
Hinc Lacedæmonii moto gens aspera fræno
270 *Heniochi, sævisque affinis Sarmata Moschis,*

Col-

257. *Quos non diversis fontibus, &c.*] Uterq; fluvius oritur ex Armeniæ montibus, verum non parum distantibus: vulgo tamen creditum unum habuisse fontem. Euphrates Mesopotamiam rigans, ut Ægyptum Nilus, infra Seleuciam aquas suas nomenque in Tigrim evomit. à quo per duo ostia in sinum Persicum defertur. *Non diversis.*] Boëth. Cons. philos. *Tigris & Euphrates uno se fonte resolvunt.* Grotius.

259. *Sed sparsus in agros.*] Dum per camporum planiciem funditur, eosque rigat, quotannis excursu aquarum suarum, Nilum imitatur. Inter omnes quos habet Asia, clarissimus est Euphrates, post hunc Tigris, deinde Araxes.

260. *Phariæ undæ.*] Periphrasis Nili. *Hortens.*

261. *At Tigrim, &c.*] Tigris autem ante Euphratem exceptum, Taurum montem subterlapsus, mox ad lacum Thespitim in cuniculos mersus, post XXV M. pass. redditus, in Sinum Persicum prolabitur.

263. *Pelagi non abnegat, &c.*] Post longum enim & anfractuosum cursum in sinum Persicum devolvitur; uno, vel, ut alii, duobus ostiis, per agrum Susianum lapsus. *Hortens.*

264. *Inter Cæsareas acies.*] Parthi, inquit, misêre neutri auxilia, gratulati sibi bellum hoc civile Romanis à se objectum, ut qui, Crasso sublato, Pompejum & Cæsarem inter se commiserint. ut lib. 1. v. 99. Pompejanas tamen partes secutos, refert Justin. lib. 47. *Diversaque signa.*] Pompejana.

266. *Contenti fecisse duos.*] Ut duo duces inter se committerentur: qui de principatu decertarent. *Hortens. Tinxêre sagittas.*] Veneno, toxico.

267. *Errantes Scythiæ populi, &c.*] Nomades, ἀμφιξόοι, Bactriani, populi Scythiæ, ut Bactrus, fluv. Scythiæ.

268. *Hyrcania silvis.*] Regio Asiæ, silvis nobilis.

269. *Lacedæmonii moto gens aspera fræno Heniochi.*] Equites feri ad Caucasum ab Amphyto & Telechio Lacedæmoniis Castoris & Pollucis ἡνιόχοις orti.

270. *Sarmata.*] *Russis & Tartaris*, vulgo. *Moschis, Colchorum quà rura secat* ditis-

Digitized by Google

Colchorum quà rura secat ditissima Phasis:
Quà Cræso fatalis Halys, quà vertice lapsus
Rhiphæo Tanais diversi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiæque, & terminus idem
275 *Europæ, mediæ dirimens confinia terræ,*
Nunc hunc, nunc illum, quà flectitur, ampliat orbem.
Quaque fretum torrens Mæotidos egerit undas
Pontus, & Herculeis aufertur gloria metis,
Oceanumque negat solas admittere Gades.
280 *Hinc & Sithoniæ gentes, auroque ligatas*
Substringens Arimaspe comas: hinc fortis Arius,
Longaque Sarmatici solvens jejunia belli

Mas-

ditissima Phasis.] Populi ad Hyrcanum mare, circa fontes Phasidis fluv. Colchorum ditissimi, propter vellus aureum.

272. *Halys.*] Fluvius, Lydos à Medis dirimens, Cræso fatalis ex oraculi amphibologia. Κροῖσος ἁλεῶν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. Herodot. lib. 1. *Qua vertice lapsus, &c.*] Qua Tanais è montibus Rhiphæis ortus Europam ab Asia disterminat.

273. *Diversi nomina mundi.*] Quod quidem nihil aliud est, quam quod disterminet Europam ab Asia: ut dextra orbis pars per Mæoticum lacum intranti, Asia: læva, Europa appelletur. Atque ita diversis ripis, diversa nomina indit Tanaïs: quod idem accidit Nilo, Asiæ & Africæ disterminatori. *Hortensius.*

276. *Nunc hunc, nunc illum.*] Nunc enim Asiæ, nunc Europæ largius indulget. *Grot. Qua flectitur, ampliat orbem.*] Orbis illam partem, quam flexu declinat, ampliorem reddit.

277. *Quaque fretum torrens, &c.*] Qua Bosphorus Cimmerius emittit undas Mæotidis paludis in Euxinum mare, hinc Bosphorus Thracius in Propontidem, inde Hellespontus in Ægæum. Ita non sibi solis maris Mediterranei gloriam vendicent columnæ Herculis ad fretum Gaditanum, per quas immittitur Oceanus Occidentalis. Plin. lib. 3. proëm. Solin. cap. 28. Mela lib. 1. cap. 5.

278. *Herculeis metis.*] Terminis, qui sunt circa Gades. Terratum origo est ab occasu Solis & Gaditano freto, ubi Oceanus per fretum Herculeum in interiora maria irrumpit; quæ quod duos orbes dividant, *mediterranea* appellantur: intranti ad dextram Africa est, lævam Europa. Pöëta ergo hoc loco voluit significare, maria omnia interiora à Ponto Euxino nasci, non à freto Gaditano; inde Herculi gloriam auferri, quod ipse fractione horum montium, nihil fecerit ad Oceanum introducendum. *Hortens. Beroald.*

280. *Sithoniæ gentes, &c.*] Scythiæ gentes, & in his, gens unocula Arimaspi, accolæ fluvii cognominis auriflui, & ipsi comas auro in nodum colligati: ut qui aurum ex arenis colligant.

281. *Arius, &c. Geloni.*] Asiæ Scythicæ populus.

282. *Longaque Sarmatici, &c.*] Scythiæ popul. qui sitim famemque levant epoto equorum sanguine. de iis Claudianus,

Digitized by Google

Massagetes quo fugit equo; volucresque Geloni.
Non, cùm Memnoniis deducens agmina regnis
285 *Cyrus, & effusis numerato milite telis*
Descendit Perses, fraternique ultor amoris
Æquora cùm tantis percussit classibus, unum
Tot reges habuêre ducem. coiêre nec unquam
Tam varia cultu gentes, tam dissona vulgi
290 *Ora. tot immensæ comites mistura ruinæ*
Excivit populos, & dignas funere Magni
Exequias Fortuna dedit. non corniger Ammon
Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas:
Quicquid ab occiduis Libye patet arida Mauris,
295 *Usque Paratonias Eoa ad littora Syrtes.*
Acciperet felix ne non semel omnia Cæsar,
Vincendum pariter Pharsalia præstitit orbem.
Ille ubi deseruit trepidantis mœnia Roma,

Agmi-

dianus, *Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes.* de his Virgil. *Et lac concretum cum sanguine potat equino.* Georg. 3.

284. *Non, cum Memnoniis.*] Amplificat poëta auxiliares copias Pompeji ex collatione exercituum Cyri, Xerxis, & Agamemnonis, sed hyperbolicè. *Memnoniis deducens agmina regnis Cyrus.*] Persicis & Susianis ab oriente, unde & Memnon Tithoni & Auroræ filius venit olim auxilio Priami. Alii leg. *Æaoniis.*

285. *Effusis numerato.*] Singulis singulas mittere jussis sagittas, exercitum numeravit. Herodot. 7.

286. *Descendit Perses.*] Omnino legendum *Xerxes* cum Mss. Tres enim duces nominat, Cyrum, Xerxem, Agamemnona. *Grotius. Perses.*] Xerxes rex Persiæ. *Fraternique.*] Agamemnon ulturus fratris Menelai uxorem à Paride raptam.

288. *Ducem.*] Imperatorem, regem regum Agamemnona.

290. *Tot immensæ comites.*] Ut Priamo, Trojam rogum, ita Pompejo victas ab illo gentes Fortuna dedit exequias & cædis socios. *Mistura ruinæ.*] Præferendum *missura*, consentiente manuscriptorum auctoritate. *Grot.*

292. *Non corniger Ammon.*] Neque Africa cessavit auxilia mittere in cujus regione Cyrenaica deserta & arenosa Jovi Ammoni sub specie arietis culto templum consecravit Liber pater. infra lib. 9. ℣. 511. & lib. 10. ℣. 38.

293. *Marmaricas.*] Marmarica Africæ regio est, Ægyptum versus. hoc est *Barcha.* Alii leg. *Marmaridas.*

294. *Quicquid ab occiduis Libye patet arida Mauris, &c.*] Omnes gentes à Mauritania, quæ ultima pars est Africæ ad occasum, usque ad Paratonium portum prope Syrtes, ortum versus.

296. *Acciperet felix, &c.*] Ne Cæsari opus esset singulas gentes persequi, contulit huc omnes undique Fortuna, ut una acie Pharsalica orbem totum subigeret Cæsar.

298. *Ille ubi deseruit.*] Post longam cata-

Digitized by Google

Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem:
300 *Cumque alii famæ populi terrore paverent,*
Phocais in dubiis ausa est servare juventus
Non Graja levitate fidem, signataque jura,
Et causas, non fata, sequi. tamen ante furorem
Indomitum, duramque viri deflectere mentem
305 *Pacifico sermone parant, hostemque propinquum*
Orant Cecropiæ prælata fronde Minervæ.
Semper in externis populo communia vestro
Massiliam bellis testatur fata tulisse,
Comprensa est Latiis quæcunque annalibus ætas.

Et

catalogi populorum seriem; qui tota Asia & Europa auxilia Pompejo miserunt, redit ad intermissam narrationem historiæ. *Hortens. Ille ubi deseruit, &c.*] Cæsar ab urbe profectus in ulteriorem Galliam, cognovit Domitium nuper à se captum Corfinii & dimissum advenisse Massiliam, cujus urbis cives Pompejo faventes, portas Cæsari venienti occluserunt. Cæsar XV. primos Massiliensium evocatos movet, ne, dum unius hominis voluntati obtemperare velint, illi soli ex omnibus Italiæ civitatibus bellum sibi accersant: ita monitos ad suos dimittit. hos ad Cæsarem cum responso à suis civibus reducit poëta, *Misera* (inquit Florus) *Massilia, quæ dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit.*

301. *Phocais in dubiis, &c.*] Massilienses. Phocæenses quippe Ioniæ quæ est in Asia, ab Harpago Cyri præfecto pulsi, in Galliam venere Narbonensem, ubi Massiliam condiderunt.

302. *Graia levitate fidem.*] Græca gens levis fidei olim habita. πρὸς ἴδιας οἶδεν ἀδίν. Eurip. in Iphig. *Signataque jura.*] Sancita olim cum pop. R. fœdera.

303. *Et causas, non fata, si qui.*] Æquitatem non fortunam seq.

304. *Viri deflectere, &c.*] Cæsaris.

306. *Cecropiæ prælata fronde Minervæ.*] Gestantes manu & prætendentes frondem oleaginam pacis signum, Pallas vero præses Athenarum Cecropi quondam regnatarum, oleæ perhibetur inventrix. *Centum oratores augusta ad mœnia regis Ire jubent, ramis velatos Palladis omnes.* Virg. Æneid. 7.

307. *Semper, &c.*] Oratio legatorum deliberativi generis est. In ea duo potissimum petunt: unum ut sibi liceat extrà partes esse: alterum, ut exclusis copiis & signis Romanis, ipse & Pompeius urbem ingrediantur. Nam & annales Italiæ & populi Rom. testantur, Massiliam in externis bellis communem fortunam, secundam & adversam cum Pop. Rom. semper tulisse. *Hortens. Semper.*] Legati fide sua modeste & constanter exposita, dissuadent bellum civile, sibi ut liceat extra partes esse petunt: non esse sui judicii discernere utra causa sit justior: sed quidvis potius pati se esse paratos, quam armatum Cæsarem admittere. *In externis populo, &c. ignoto si quos, &c.*] Annales vestri sunt testes satis locupletes fidei nostræ semper vobis præstitæ adversus exteros hostes, quam & nunc promptam habes si externa paras bella; si civilia, libet certe misereri eorum sortem qui arma capessunt; perfugium victis, supplicibus atque iis qui in partibus esse nolunt daturis.

313. *La-*

Digitized by Google

310 *Et nunc, ignoto si quos petis orbe triumphos,*
Accipe devotas externa in prœlia dextras.
At si funestas acies, si dira paratis
Prœlia discordes, lacrymas civilibus armis
Secretumque damus. tractentur vulnera nulla
315 *Sacra manu. si cœlicolis furor arma dedisset,*
Aut si terrigenæ tentarent astra gigantes,
Non tamen auderet pietas humana vel armis
Vel votis prodesse Jovi: sortisque deorum
Ignarum mortale genus, per fulmina tantùm
320 *Sciret adhuc cœlo solum regnare Tonantem.*
Adde quòd innumeræ concurrunt undique gentes,
Nec sic horret iners scelerum contagia mundus,
Ut gladiis egeant civilia bella coactis.
Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent
325 *Fata, nec hæc alius committat prœlia miles.*
Cui non conspecto languebit dextra parente?
Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.
Finis adest rerum, si non conimittitis illis

Arma,

313. *Lacrymas, &c.*] Per *lacrymas* commiserationem significat.

314. *Secretumq;*] Secessum quo confugiant cives qui volunt esse ab illis immunes. *Sulpit. Tractentur vulnera, &c.*] Absit, ut manus nostræ imbuantur sanguine eorum, quibus cum sacra nobis intercedunt jura.

315. *Sacra.*] Impia vulnera, nefaria & detestanda, propter bella civilia. *Si cœlicolis, &c.*] Neque nobis causas vestras expendere aut ad partes ire magis fas est, quam hominibus hoc idem facere liceret, si Dii inter se dissentirent, aut iis arma, ut olim, gigantes Terræ filii inferrent. Argument. à majori ad minus.

317. *Pietas humana.*] Homines pii.

318. *Vel votis prodisse.*] Precibus & oratione juvare.

319. *Per fulmina tantum.*] *Cœlo tonantem crederet Jovem.* Horat. Od. 5. l. 3.

322. *Nec sic horret, &c.*] Non utique opus erit populis coactis ad partes in bello hoc civili: satis passim reperietis hominum sceleratorum qui arma sumant.

323. *Sit mens ista quidem cunctis.*] Atque utinam omnibus sociis aliisque gentibus eadem mens quæ nobis, neque se bello huic fatali immiscerent alii quam cives Romani.

326. *Cui non conspecto, &c.*] Quis enim mente tam effera est, cujus dextræ non languorem, immo stuporem inciteat, compescatque à telis mittendis conspectus à diversa parte pater aut frater?

328. *Finis adest rerum, &c.*] Statim videbitis exitum belli hujus, nisi contra

vos

Arma, quibus fas est. nobis hæc summa precandi,
330 *Terribiles aquilas, infestaque signa relinquas,*
Urbe procul, nostrisque velis te credere muris,
Excludique sinas admisso Cæsare bellum.
Sit locus exceptus sceleri, Magnoque, tibique
Tutus, ut invictæ fatum si consulat Urbi,
335 *Fœdera si placeant, sit quo veniatis inermes.*
Vel, cùm tanta vocent discrimina Martis Iberi,
Quid rapidum deflectis iter? non pondera rerum,
Nec momenta sumus: nunquam felicibus armis
Usa manus patriæ primis à sedibus exul,
340 *Et post tralatas exustæ Phocidos arces,*

Mœni-

vos ipsos armaveritis externos, quibus jam olim insedit odium vestri, causa & voluntas vos ulciscendi.

329. *Quibus fas est.*] Id est, qui putant sibi licere bellum gerere civile, sine quibus necessario bellum civile interibit. *Grotius. Nobis hæc summa, &c.*] Nos summopere à te petimus, ut signis infestis animoque hostili exclusis urbem nostram amicus ingrediaris.

333. *Sit locus exceptus, &c.*] Liceat modo nostræ civitati esse à partibus liberæ, civili bello exemptæ, & loco medio, quo in colloquium & fœdera, si diis ita visum est, conveniatis inermes tu & Pompejus.

336. *Vel, cum tanta, &c.*] Aut, properanti ad Hispanum bellum in quo cardo rerum vertitur, quæ tandem causa divertendi ad nos; populum, neque ullius momenti aut ponderis ad summam victoriæ; neque felicis unquam successus in bello, utpote parvum, patria profugum, aliena in ora considentem, fidei quam belli dextra potentiorem, clariorem?

338. *Nunquam felicibus.*] Extenuant opes suas à perpetua infelicitate in bellis gerendis, in quibus majores sui ferè infelicem eritum habuissent. *Hortens.*

339. *Manus exul.*] Multitudo profuga ab antiqua è Græcia patria. *Sulpit.*

340. *Et post tralatas exustæ Phocidos arces.*] Error communis Latinorum scriptorum, *Phocenses*, qui Phocaenses erant appellantium. *Phocaenses* ab urbe Asiæ Phocæa condiderunt Massiliam; non Phocenses à Phocide, regione circà Parnassum. illi *φωκαεῖς* vel *φωκαῖς* dicti: isti *φωκεῖς*. Non ferendum ergò Lucanum *Phocidem* dixisse pro *Phocaïde*. quomodo enim ἡ *φωκὶς* possit esse *φωκαὶς*, aut *φωκαῖς*. atque idem Lucanus paulo ante *Phocaïda juventutem* de Massilitanis dixerat:

Phocaïs in dubiis ausa est servare juventus

Non Græca levitate fidem.

Idem Lucanus *Phocaïcum κληλικῶς* usurpavit pro Phocico, à regione Phocide quæ circà Parnassum:

——— crineque in terga solutos
Candida Phocaïca complectitur infula lauro.

Ubi *Phocaïca laurus* manifestè pro Parnassia & Phocica. qua ratione fieri possit, *φωκαϊκὸν ἀντὶ τοῦ φωκικὸν* non video. *Salmas.* Plin. Exerc. pag. 94. *Phocidos arces.*] Videtur poëta eos secutus

quà

Mœnibus exiguis alieno in littore tuti,
Illustrat quos sola fides. si claudere muros
Obsidione paras, & vi perfringere portas,
Excepisse faces tectis, & tela parati,
345 *Undarum raptos aversis fontibus haustus*
Quærere, & effossam sitientes lambere terram:
Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni,
Fœdaque contingi maculato carpere morsu.
Nec pavet hic populus pro libertate subire,
350 *Obsessum Pœno gessit quod Marte Saguntum.*
Pectoribus rapti matrum, frustraque trahentes
Ubera sicca fame medios mittentur in ignes:
Uxor & à caro poscet sibi fata marito.
Vulnera miscebunt fratres, bellumque coacti
355 *Hoc potius civile gerent. Sic Graja juventus*
Finierat: cùm turbato jam prodita vultu
Ira ducis, tandem testata est voce dolorem.
Vana movet Grajos nostri fiducia cursus.

Quam-

qui Massiliam conditam volunt à Phocensibus Græciæ: cum tamen Massiliæ conditores è Phocæa urbe Ioniæ in Asia expulsi ab Harpago Cyri præfecto in Galliam concesserint. Just. lib. 43. Strabo lib. 4.

342. *Illustrat quos, &c.*] Laus gentis à fide. *Si claudere muros.*] Argumentatur à difficili ad terrendum Cæsarem ab obsidione. Docent difficulter se superari posse à signis tolerantiæ in rebus angustis. Terrent ab exemplo Saguntinorum, quos decretum est imitari. *Hortens.*

344. *Excepisse faces tectis, &c.*] Tum ad urbis defensionem, tum ad extrema omnia perferenda sumus parati, si avertatis flumina, aquam è puteis bibere; si deficiat frumentum, illa, quæ visu horrida, contactu fœda sunt, edere parati.

345. *Raptos haustus.*] Potum subtractum.

348. *Carpere.*] Ita substituimus pro *corpora.* Verbum enim desideratur. Ad hanc emendationem nostram satis propè accedit Ms. R. recentior, qui habet *corpore.* Ms. M. *attingere*, quod glossema putem. *Grotius.*

349. *Nec pavet, &c.*] Nec dubitamus tolerare quæcunque Saguntini pop. Hispaniæ tulere ab Hannibale obsessi. Liv. l. 1. Juven. sat. 15. Val. Max. lib. 6. cap. 6. Qui cum vim Punicam ulterius nequirent arcere, aurum, argentum, preciosa quæque, liberos conjugesque à se cæsos, se denique in ignem in foro extructum præcipitavere.

354. *Miscebunt fratres, &c.*] Mutua sui cæde, potius quam se immisceant Rom. bello civili.

355. *Graia juventus Finierat.*] Massiliensium legati. supra ℣. 340.

357. *Ducis.*] Cæsaris.

358. *Grajos.*] Massilienses. *Cursus.*] Expe-

Quamvis Hesperium mundi properemus ad axem,
360 *Massiliam delere vacat. gaudete cohortes:*
Obvia præbentur fatorum munere bella.
Ventus ut amittit vires, nisi robora densæ
Occurrant silvæ, spatio diffusus inani:
Utque perit magnus nullis obstantibus ignis,
365 *Sic hostes mihi deesse nocet: damnumque putamus*
Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.
Sed si solus eam dimissis degener armis,
Tunc mihi tecta patent. jam non excludere tantum,
Inclusisse volunt. at enim contagia belli
370 *Dira fugant. dabitis pœnas pro pace petita:*
Et nihil esse meo discetis tutius ævo,
Quam duce me bellum. Sic postquam fatus, ad urbem
Haud trepidam convertit iter: tum mœnia clausa
Conspicit; & densa juvenum vallata corona.
375 *Haud procul à muris tumulus surgentis in altum*
Tellaris, parvum diffuso vertice campum

Expli-

Expeditionis in Hispaniam supra versu 366.

359. *Hesperium, &c.*] Occiduum mundi plagam, in qua Hispania, *improprie*, cum axes duo sint tantum, Arcticus & Antarcticus.

360. *Gaudete cohortes: Obvia, &c.*] Expetiistis prælia vobis dari & urbes rapiendas; ecce vobis fato oblata quæ poscitis.

362. *Ventus ut, &c.*] Duobus similibus ostendit, bellis suas vires crescere: unum ductum à natura ventorum; alterum ab ingenio ignis: quorum utrique deficiente materia, vires suas amittit. *Hortens.*

364. *Nullis obstantibus.*] Nulla materia obstante.

365. *Damnumque, &c.*] Supra lib. 2. ℣. 440.

366. *Rebellent.*] Nobis bello resistant.

367. *Sed si solus, &c.*] Cum indignatione stomachatur id, quod legati obtulerant, modo ℣. 329. atque invertit, velle Massilienses ipsum ab exercitu semotum exceptum prodere.

369. *At enim, &c.*] At vero nolunt bello civili pollui; pacem scil. exoptantes. *Ironice & indignanter.*

372. *Quam duce me bellum.*] Quam meas partes & signa sequi. *Sic postquam fatus, &c.*] Quibus injuriis permotus Cæsar, legiones tres Massiliam adducit: turres vineasque ad oppugnationem urbis agere, naves longas 18. facere Arelate instituit. his D. Brutum præfecit, &c. 1. com. civ. bell.

374. *Vallata corona.*] Circumdata ad defensionem urbis.

375. *Tumulus surgentis, &c.*] Montis cacumen in planitiem modicam extendit.

Digitized by Google

Explicat: hæc patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes, tutisque aptissima castris.
Proxima pars urbis celsam consurgit in arcem
380 *Par tumulo, mediisque sedent convallibus arva.*
Tunc res immenso placuit statura labore,
Aggere diversos vasto committere colles.
Sed prius ut totam, quà terra cingitur, urbem
Clauderet, à summis perduxit ad æquora castris
385 *Longum Cæsar opus, fontesque & pabula campi*
Amplexus fossa, densas tollentia pinnas
Cespitibus, crudaque extruxit brachia terra.
Jam satis hoc Grajæ memorandum contigit urbi,
Æternumque decus, quòd non impulsa, nec ipso
390 *Strata meta, tenuit flagrantis in omnia belli*
Præcipitem cursum: raptisque à Cæsare cunctis,
Vincitur una mora. quantum est quod fata tenentur!
Quodque virum toti properans imponere mundo

Hos

377. *Hæc patiens, &c.*] Hic tumulus, cum posset vallo circundari, visus est locus castris aptissimus.

379. *Proxima pars, &c.*] Tumuli editioris altitudinem æquabat arx urbis, colli huic opposita, quibus intermedia jacebat vallis.

381. *Statura labore.*] Constatura.

382. *Aggere diversos, &c.*] Aggere conjungere urbis & castrorum colles.

383. *Sed prius ut totam, &c.*] Massilia tribus partibus mari alluitur, quartam partem, qua oppugnatu difficilior visa est propter loci naturam & arcem, Cæsar interclusit, ducto, à suis castris in edito colle positis, ad mare utrinque aggere è cespitibus instar muri pinnato & turribus distincto atque fossa: hac ratione oppidanos frumentatione & pabulatione prohibuit.

386. *Tollentia pinnas.*] Erigentia turriculas & propugnacula in similitudinem pinnarum muri. *Sulpit.*

387. *Crudaque extruxit brachia.*] Incurvos aggerum flexus, brachiorum in modum curvatos, idque cruda ac recenti terra & cespitibus herbulis, ductos ad mare usque. *Hortens.*

388. *Jam satis, &c.*] Gratulatur urbi, poëta ubique Pompejanus, fidei, constantiæ, fortitudinis gloriam.

391. *Præcipitem cursum.*] Impetum Cæsaris. *Sulpit. Raptisque à Cæsare cunctis.*] Statim vel se dedentibus vel occupatis & impulsis à Cæsare cæteris urbibus.

392. *Mora.*] Diuturna obsidione. *Quantum est quod fata tenentur.*] Non utique parum erat, quod una hæc civitas retardarit præcipitem impetum & successus fatales Cæsaris, in cujus tamen potestatem & ipsa postmodo cum totius mundi imperio necessario sit cessura. *Tenentur.*] Retinentur.

393. *Properans imponere mundo.*] Festinans præficere Cæsarem.

394. *Per-*

Digitized by Google

Hos perdit Fortuna dies! tunc omnia latè
395 *Procumbunt nemora, & spoliantur robore silvæ:*
Ut, cùm terra levis mediam vingultaque molem
Suspendant, structa laterum compago ligatam
Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.
Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
400 *Obscurum cingens connexis aëra ramis,*
Et gelidas alte summotis solibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Sylvani Nymphæque tenent, sed barbara ritu
Sacra deûm, structæ sacris feralibus aræ;
405 *Omnis & humanis lustrata cruoribus arbos.*
Siqua fidem meruit Superos mirata vetustas,
Illis & volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit silvas, excussaque nubibus atris,
410 *Fulgura: non ullis frondem præbentibus auris,*
Arboribus suus horror inest. tum plurima nigris

Vid. Sieber Hor. lat. p. 116 Ne.

Fon-

394. *Perdit.*] In cassum conterit. *Sulpitius.* *Tunc omnia late, &c.*] Cæduntur passim sylvæ, ad turres extruendas, vineis, aliasque machinas: nec non ad firmandos continendosque, lignorum strue & interjectis trabibus aggeres, ne subsideret ac diffluereret levis per se terra, turrium superstructarum mole gravata.

398. *Arctet humum.*] Cohibeat terram, ne fidat ac defluat. *Hortens.*

399. *Lucus erat, &c.*] Amplificatio narrationis à descriptione luci, quem Cæsar, opera excitaturus ante urbem, excindi jussit. Hunc describit à qualitate, religione ignoti Dei, à diro sacrorum ritu, horrore arborum. *Hortensius.* *Nunquam violatus ab ævo.*] Inciduus.

401. *Solibus umbras.*] Radiis solaribus.

402. *Hunc non ruricolæ Panes.*] Non Dii agrestes noti, & numina rustica quæ alias colunt sylvas, Panes, Tauni, Satyri, Sylvani, Nymphæ, Dryades, &c.

403. *Barbara ritu, &c.*] Effera. Scythicæ Dianæ æmula, immolatis hostiis humanis, ut lib. 1. vs. 445.

406. *Si qua fidem, &c.*] Et si qua fide digna sit religiosa antiquitas, declinant aves illum lucum, feræ, venti, fulgura.

410. *Non ullis frondem, &c.*] Fronde (inquiunt interpretes) caret lucus propter opacitatem ramorum solis radios non admittentium. Micyllus πρὸς τὰ ἀνάπαυλα exponit, frondibus nullas auras præbentibus. Bersmanus vice τοῖς *præbentibus*, legendum *prædantibus* conjicit ex glossemate adjecto, *rapientibus*. H. Grotius agnoscit lectionem *ferientibus*, quam ego probaverim, hac mente & dispositione. Nullis auris frondem moventibus ex se horrent arbores.

411. *Arboribus suus horror.*] Sua religio. *Hortens.*

Digitized by Google

Fontibus unda cadit, ſimulacraque mœſta deorum
Arte carent, cæſiſque extant informia truncis.
Ipſe ſitus, putrique facit jam robore pallor
415 *Attonitos: non vulgatis ſacrata figuris*
Numina ſic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant non noſſe deos. jam fama ferebat
Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,
Et procumbentes iterum conſurgere taxos,
420 *Et non ardentis fulgere incendia ſilvæ,*
Roboraque amplexos circumfluxiſſe dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed ceſſere deis. medio cum Phœbus in axe eſt,
Aut cœlum nox atra tenet, pavet ipſe ſacerdos
425 *Acceſſus, dominumque timet deprendere luci.*
Hanc jubet immiſſo ſilvam procumbere ferro:
Nam vicina operi, belloque intacta priori
Inter nudatos ſtabat denſiſſima montes.
Sed fortes tremuere manus, motique verenda
430 *Majeſtate luci, ſi robora ſacra ferirent,*
In ſua credebant redituras membra ſecures.
Implicitas magno Cæſar terrore cohortes

Ut

413. *Informia truncis.*] Squalida, inculta, rudia, hinc mœrorem inducentia, cum veneratione quadam.

415. *Non vulgatis, &c.*] Lanugo qua obducuntur ſimulachra, eaque inſolitis formis expreſſa.

417. *Quos timeant, &c.*] Teutatem, Heſum, Taranim; lib. 1. ℣. 445. deos ignotos & ſuperſtitioſe cultos. *Primus in orbe Deos fecit timor.*

419. *Conſurgere taxos.*] Erigi, vel, renaſci. funeſta enim arbor, ut & cupreſſus, quæ ſuccisa non regerminat.

420. *Non ardentis, &c.*] Flammis, velut fatuis & lambentibus corripi arbores, neque tamen abſumi, draconibus implicari.

422. *Non illum cultu, &c.*] Tanquam ſacroſanctum, diis ſolis incolendum permittunt.

423. *Medio cum Phœbus, &c.*] Ne in Deum luci præſidem & tutelarem incidat, tanquam δειμόνιον μεσημβρινόν, aut Empuſam meridianam, media die aut noctu nemora luſtrantem, horret adire ipſe ſacerdos.

428. *Nudatos ſtabat, &c.*] Sylvis ſpoliatos ſuperiori bello Gallico.

429. *Manus.*] Militum. *Verenda.*] Veneranda luci religione.

431. *In ſua credebant, &c.*] Quod Lycurgo Threicio regi quondam, vites, in odium Bacchi & ſuorum temulentiæ tædium, incidenti.

432. *Magno terrore cohortes.*] Non *torpore*, ſed pavore Deûm ac religione.

Virgi-

Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Ausus, & aëriam ferro proscindere quercum,
435 *Effatur merso violata in robora ferro:*
Jam ne quis vestrum dubitet subvertere silvam,
Credite me fecisse nefas. Tunc paruit omnis
Imperiis non sublato secura pavore
Turba, sed expensa Superorum, & Cæsaris ira.
440 *Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,*
Silvaque Dodones, & fluctibus aptior alnus,
Et non plebeios luctus testata cupressus,
Tunc primum posuere comas, & fronde carentes
Admisêre diem: propulsaque robore denso
445 *Sustinuit se sylva cadens. gemuêre videntes*
Gallorum populi: muris sed clausa juventus
Exultat. quis enim læsos impune putaret
Esse deos? servat multos Fortuna nocentes:
Et tantum miseris irasci numina possunt.
450 *Utque satis cæsum nemoris, quæsita per agros*
Plaustra ferunt: curvoque soli cessantis aratro
Agricolæ raptis annum flevêre juvencis.

Dux

Virgilius: *Jam tum religio pavidos terrebat agrestes.* Grot.

435. *Merso, &c.*] Immisso, impacto.

436. *Quis vestrum, &c.*] Ne qua vos loci religio moretur, mihi vani numinis profanatio imputetur, cujus violati iras subeat caput hoc meum.

439. *Expensa Superorum.*] Cæsaris plus quam deorum iram verita.

441. *Silvaque Dodones.*] Quercus Dodonæo Jovi sacræ, lib. 6. ℣. 427. Dodona autem sylva in Epiro est, quercu, vel, ut Herodotus vult, fago fatidica celebris. *Fluctibus aptior alnus.*] Navigiis apta.

442. *Non plebeios, &c.*] Divitum & nobilium funeribus, propter raritatem arboris. Jos. Scal. rogis & luctibus dicata. ut quæ excisa non repullulet. *Neque harum quas colis arborum Te, præter invisas cupressos Ulla brevem dominum sequetur.* Horat. od. 14. lib. 2. Plin. lib. 16. cap. 33. Diti sacra.

443. *Posuere comas.*] Excisæ sunt.

444. *Diem.*] Lucem, solem. *Propulsaque robore, &c.*] Arboribus inter se stipatis & spissis non erat spacium excisis decidendi.

447. *Exultat.*] Deos sperans violati luci ultores.

448. *Servat multos Fortuna nocentes.*] *Multi committunt eadem diverso crimina fato, Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.* Juven. sat. 13. ℣. 104.

450. *Utq; satis cæsum nemoris.*] Plaustra cum jumentis exiguntur ad sylvas succisas in castra & ad opera convehendas.

Digitized by Google

Dux tamen impatiens hæsuri ad mœnia Martis
Versus ad Hispanas acies, extremaque mundi,
455 *Jussit bella geri. stellatis axibus agger*
Erigitur, geminasque æquantes mœnia turres
Accipit: hæ nullo fixerunt robore terram,
Sed per iter longum causa repsere latenti.
Cùm tantum nutaret onus, telluris inanes
460 *Concussisse sinus quærentem erumpere ventum*
Credidit, & muros mirata est stare juventus.
Illinc tela cadunt excelsas urbis in arces.
Sed major Græjo Romana in corpora ferro
Vis inerat. neque enim solis excussa lacertis
465 *Lancea, sed tenso ballistæ turbine rapta,*

Haud

das. quorum desiderio interit labor anni tempestivus agricolis.

453. *Dux tamen impatiens, &c.*] Præmiserat Cæsar C. Fabium legatum cum legionibus tribus in Hispaniam, ejecturum præsidium Afranii legati Pompeji, qui Pyrenæos saltus occupaverat; reliquis legionibus, quæ longius hyemabant, subsequi jussis, ipse navibus effectis & intra dies 30. armatis D. Brutum præfecit, C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliæ reliquit, deinde cum equitibus 900. quos sibi præsidio reliquerat, in Fabii castra pervenit.

455. *Stellatis axibus.*] Turres ambulatoriæ erant, quas hoc loco describit poëta, quarum fundamenta erant non in solida terra; sed in rotis, quas *axes stellatos* hoc loco vocat Lucanus. *Hort. Stellatis axibus, &c.*] Lignisne transversariis insectis compactisque ad continendum aggerem, atque adeo ab utraque parte distinctis & stellarum more apparentibus? an rotis, quarum radii modiolo ducti stellas scintillantes imitantur? an asseribus, quibus præfixæ erant cuspides?

456. *Geminasque æquantes, &c.*] Aggerque accepit, &c. id est, super aggerem constituuntur turres duæ ambulatoriæ ceu reptiles, quæ trochleis, rotis, funibus ac nervis intus actæ procederent. Comment. 2. bel. civ. vide & Vegetium lib. 3. cap. 2.

458. *Sed per iter longum, &c.*] Hæ turres duæ ad altitudinem murorum erectæ, ita paulatim procedebant, ut nemo causam motus videre potuerit: ita enim promovebantur, ut sua sponte procedere viderentur, αὐτόματοι à Græcis dicuntur, quæ se funibus ac nervis latente causa, agunt. *Hortens.*

459. *Cum tantum nutaret, &c.*] Quas moles cum viderent Massilienses nutando procedere, credebant id terræ motu, (cujus causa est ventus in cavernis terræ luctans & exitum quærens) factum, muris proinde suis timebant.

462. *Illinc tela cadunt.*] Ex iis turribus.

463. *Major Græio Romana, &c.*] Tantus in oppido omnium rerum ad bellum apparatus, tantaque multitudo tormentorum, ut eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere potuerint. Comment. bell. civil. 2.

465. *Tenso ballistæ turbine rapta.*] Sagittas

Digitized by Google

Haud unum contenta latus transire, quiescit:
Sed pandens perque arma viam, perque ossa, relicta
Morte fugit: superest telo post vulnera cursus.
At saxum quoties ingenti ponderis ictu
470 *Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis*
Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas,
Frangit cuncta ruens: nec tantum corpora pressa
Exanimat: totos cum sanguine dissipat artus.
Ut tamen hostiles densa testudine muros
475 *Tecta subit virtus, armisque innexa priores*
Arma ferunt, galeamque extensus protegit umbo,
Quæ prius ex longo nocuerunt missa recussu,
Jam post terga cadunt: nec Grajis flectere jactum,
Aut facilis labor est longinqua ad tela parati
480 *Tormenti mutare modum: sed pondere solo*

Con-

gittas balistis emissas, neque ossium, neque armorum vis moratur, quo minus transfixo quem destinarant, etiam ulterius evolent. Balistæ, ut & aliarum machinarum formam, vide apud Am. Marcellinum lib. 23.

467. *Relicta morte fugit.*] Egreditur relicto mortifero vulnere.

468. *Superest telo, &c.*] Post vulneratum trajectumque hominem, telum egressum ulterius evolat. *Sulpitius.*

469. *At saxum quoties, &c.*] Saxa vero balistis emissa, non minori vi quam rupes vetustate exesa & venti procella abrupta, corpora comminuit. *Obtritum perit omne cadaver More animæ.* Juven. sat. 3.

474. *Testudine muros, &c.*] Testudo proprie erat tabulatum ex trabibus factum, coriis ac ciliciis contextum adversus tela & incendium, sub qua milites latentes, viam turribus muniebant aut vineis, solum æquabant, ac muros ventabant. Comm. 2. civ. bel. & Vitruvius lib. 10. Subita autem testudo, quæ & hic innuitur, erat series scutorum supra capita sublatorum continuata in morem squammarum, qua protecti milites sagittas, saxa telaque alia declinabant.

475. *Subit virtus.*] Milites fortes subeunt tecti testudine. *Innexa priores.*] Ms. P. *prioris* rectè: sed & pro *innexa* scribendum *inmixa.* Is mos est testudinis, ut posterior quisque antegressi scuto innitatur. *Grotius.*

476. *Galeamque extensus, &c.*] Scutum supra caput elevatum, eos à saxorum cadentium injuria defendit. *Hortensius.*

477. *Quæ prius, &c.*] Cum jam intra balistarum destinatum jactum se recepissent Romani testudine tecti, neque expeditum esset Massiliensibus torquere balistas, ut cominus ferirent, saxa ingentis ponderis evolvebant è muris in Romanos. *Missa recussu.*] Ms. P. & T. *recessu*, quod recipiendum. Subierant mænia, ita ut jam telis impeti non possent, sicut ante eminus impetebantur. *Grotius.*

Contenti, nudis evolvunt saxa lacertis.
Dum fuit armorum series, ut grandine tecta
Innocua percussa sonant, sic omnia tela
Respuit: at postquam virtus incensa virorum
485 *Perpetuam rupit defesso milite cratem,*
Singula continuis cesserunt ictibus arma.
Tunc adoperta levi procedit vinea terra,
Sub cujus pluteis, & tecta fronte latentes
Moliri nunc ima parant, & vertere ferro
490 *Mœnia: nunc aries suspenso fortior ictu*
Incussus densi compagem solvere muri
Tentat, & impositis unum subducere saxis.
Sed super & flammis, & magnæ fragmine molis,
Et sudibus crebris, & adusti roboris ictu

Per-

481. *Nudis evolvunt, &c.*] Nulla machina usis.

482. *Dum fuit, &c.*] Quandiu testudo illa sibi constitit, conjuncta invicem scutorum serie, non plus Romanis nocuere dejecta à Massiliensibus saxa, quam tectis grando.

484. *Virorum.*] Massiliensium.

485. *Perpetuam rupit, &c.*] Fregit testudinem, defessis militibus Romanis.

486. *Singula continuis, &c.*] Divisa singulorum scuta cesserunt ictibus.

487. *Vinea terra.*] Vinea est machina tabulatis cratibusque constrata, crudis deinde coriis & centonibus udis tecta, sub qua obsidentes tuti murorum fundamenta subruebant.

488. *Pluteis, &c.*] Plutei hic significant tabulas & asseres, quibus armata est vineæ frons. Alias pluteus & ipse est machina, vineæ haud dissimilis. de quo vide Vegetium lib. 4.

489. *Moliri.*] Pro demoliri.

490. *Aries suspenso, &c.*] Aries erat trabs ingens, adunco præmunita ferro, transversis asseribus intra testudinem pleranque suspensa & librata, quæ à multitudine retroacta ad majorem impetum, emissa deinde propellebatur ad extrahendos lapides, quassandos labefactandosque muros. vide Marcellin. lib. 23. & Joseph. in bello Jud.

493. *Sed.*] Romanos saxis, sudibus, facibusque submotos ab operibus & in castra compulsos, mox ipsa opera noctu incensa refert noster, sed poëta, sed Pompejanus. vide autem comment. 2. belli civ. Musculo jam labefactatæ turris pars concidit. inermes cum infulis sese porta proripiunt Massilienses, &c. supplices orant ut Cæsaris adventus expectetur. Trebonius, quia Cæsar magnopere mandaverat ne per vim oppidum expugnari pateretur, induciarum quoddam genus misericordia motus fecit. Massilienses vero sine fide occasionem fraudis nacti, languentibus Romanis atque ocio deditis, meridiano tempore ignem operibus inferunt, qui secundo magnoque vento illatus aggerem, pluteos, testudinem, turres, tormentaque prius absumebat, quam quemadmodum accidisset animadverti posset. *Super & flammis.*] Desuper, è muris.

495. *Cra-*

Digitized by Google

495 *Percussæ cedunt crates, frustraque labore*
Exhausto fessus repetit tentoria miles.
Summa fuit Grajis starent ut mœnia voti.
Ultro acies inferre parant: armisque coruscas
Nocturni texêre faces: audaxque juventus
500 *Erupit: non hasta viris, non letifer arcus,*
Telum flamma fuit, rapiensque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina cursu.
Nec, quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires: teda sed raptus ab omni
505 *Consequitur nigri spatiosa volumina fumi:*
Nec solùm silvas: sed saxa ingentia solvit,
Et crudæ putri fluxerunt pulvere cautes.
Procubuit, majorque jacens apparuit agger.
Spes victis telluris abit, placuitque profundo
510 *Fortunam tentare mari. non robore picto*
Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis, & qualis procumbit montibus arbor,
Conseritur stabilis navalibus area bellis.

Et

495. *Crates.*] Vinea & testudo cratibus tectæ.

497. *Summa fuit voti.*] Unicum Massiliensium votum fuit, ne mœnia subruta dejicerentur: alioqui stratis muris capta fuerat civitas. *Hortens.*

498. *Ultro acies inferre parant.*] Eruptiones crebræ, maxime Albicorum, factæ. *Armisque coruscas.*] Operiebant ignes scutis, ne adverterent Romani.

501. *Telum flamma fuit.*] Pro telis faces gerebant.

502. *Munimina cursu.*] Opera Rom. turrim, plureos, &c.

503. *Luctetur.*] Difficulter corripiat & urat. *Sulpit.*

504. *Teda sed raptus, &c.*] Omnia in fumum & flammam abeunt, neque ligna tantum aggeris & operum, sed & ipsa saxa in pulverem soluta defluunt.

507. *Et crudæ cautes.*] Dura saxa. *Fluxerunt.*] In tenuem pulverem sunt dissolutæ. *Sulpit.*

508. *Procubuit.*] Agger combustis, quæ continebant eum trabibus, diffluebat.

509. *Victis.*] Romanis, ut vult poëta. *Placuitque profundo, &c.*] Bis quidem pugna certatum est navali. in superiore Brutus fuit superior.

510. *Non robore picto, &c.*] Non ornabantur, non fulgebant naves tutelare numen in puppi pictum gerentes: compingebantur tantum rudi & subitaneo modo, ut esset unde milites pugnarent; infra ✠ 556.

513. *Stabilis area.*] Compingitur in modum areæ ac stabilis basis, ut in ea naumachia edi posset & pugna stataria. *Hortens.*

Digitized by Google

Et jam turrigeram Bruti comitata carinam
515 *Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis,*
Stœchados arva tenens. nec non & Graja juventus
Omne suum fatis voluit committere robur:
Grandævosque senes mistis armavit ephebis.
Accepit non sola viros, quæ stabat in undis
520 *Classis; & emeritas repetunt navalibus alnos.*
Ut matutinos spargens super æquora Phœbus
Fregit aquis radios, & liber nubibus æther,
Et posito Borea, pacemque tenentibus Austris,
Servatum bello jacuit mare, movit ab omni
525 *Quisque suam statione ratem, paribusque lacertis*
Cæsaris hinc pubes, hinc Grajo remige classis
Tollitur: impulsæ tonsis tremuêre carinæ,
Crebraque sublimes convellunt verbera puppes.
Cornua Romanæ classis, validæque triremes,

Quas-

514. *Turrigeram Bruti comitata carinam.*] Navem Bruti prætoriam. infra ✠ſ. 553.

515. *Venerat in fluctus, &c.*] Naves longæ 12. quas Arelate fieri jusserat Cæsar, flumine Rhodani secundo deductæ in mare, stationes ad insulam Stœchada habebant. Stœchades autem tres sunt insulæ, ab ora Ligurum ad Massiliam usque dispersæ, ab ordine dictæ. στῖχος.

516. *Nec non & Graia, &c.*] Massilienses voluerunt omnes vires navalis pugnæ eventui committere. antea quidem pugna navali certatum fuerat, sed leviter, jam L. Nasidius à Pompejo cum 16. navibus missus Domitium Massiliensesque hortatus est, ut rursus cum Bruti classe, additis suis auxiliis, confligerent.

519. *Accepit non sola viros, &c.*] Neque armant instruuntque classem tantum quam in mare deductam habuerant, sed & veteres ex navalibus productas refecerunt, &c. Com. 2. de bel. civ.

520. *Et emeritas, &c.*] Sic naves vocat per vetustatem inutiles, quas reficiunt ac conscendunt. *Alnos.*] Pro navibus.

522. *Fregit aquis radios, &c.*] Reflexu. *Jamque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto Aurora in roscis fulgebat lutea bigis.*

523. *Posito Borea.*] Quieto. *Quum venti posuere, &c.* Virg. 7. Æneid. quem locum sibi imitandum proposuit hic noster.

524. *Servatum bello, &c.*] Compositum, pacatum, quasi prælio accommodatum.

526. *Graio remige, &c.*] Massilienſi. ut ad ✠ſ. 301. supra.

527. *Impulsæ tonsis tremuere carinæ.*] *Et in lento luctantur marmore tonsæ*, id est, remi. Virg. 7. Æneid.

528. *Convellunt.*] Movent & vi educunt ex undis. *Sulpit.*

529. *Cornua Romanæ classis.*] Romana classis promovebatur in formam semilunæ, diductis in cornua utrinque navi-

530 *Quasque quater surgens extructi remigis ordo*
Commovet, & plures quæ mergunt æquore pinus,
Multiplices cinxêre rates. hoc robur aperto
Oppositum pelago. lunata fronte recedunt,
Ordine contentæ gemino crevisse liburnæ.
535 *Celsior at cunctis Bruti Prætoria puppis*
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit, & summis longè petit æquora remis.
Ut tantum medii fuerat maris, utraque classis
Quod semel excussis posset transcurrere tonsis,
540 *Innumeræ vasto miscentur in æthere voces:*
Remorumque sonus premitur clamore: nec ullæ
Audiri potuere tubæ. tum cærula verrunt,
Atque in transtra cadunt, & remis pectora pulsant.
Ut primùm rostris crepuerunt obvia rostra:
545 *In puppim redière rates, emissaque tela*
Aëra texerunt, vacuumque cadentia pontum.
Et jam diductis extendunt cornua proris,
Diversæque rates laxata classe receptæ.
Ut, quoties æstus Zephyris, Eurisque repugnat,

Huc

navibus validioribus, rejectis in medium agmen liburnis & ratibus levioribus.

530. *Quasque quater.*] Et quadriremes.

531. *Et plures, &c.*] Et naves quæ pluribus remis aguntur, quinqueremes.

532. *Multiplices cinxere rates.*] Varii generis rates, biremes, uniremes.

534. *Ordine contentæ, &c.*] Biremes Liburnæ celeres, à Liburniis pop. Dalmatiæ, quibus in usu erant dictæ. *Gemino ordine.*] Sunt enim biremes. *Crevisse.*] Attollere sese.

536. *Verberibus senis agitur.*] Sex remigum ordinibus. hexeris. *Molemque profundo, &c.*] Se, ingentis magnitudinis navem & longius in mare remos utrinque protendentem.

538. *Utraque classis, &c.*] Quantum uno utrinque remorum ictu possent committi.

541. *Premitur clamore.*] Non auditur præ clamore sese hortantium & concurrentium.

543. *In transtra cadunt.*] Remis insurgunt, deinde in transtra cadunt diductis ad pectora remis. ἐνλίπεις.

545. *In puppim, &c.*] Naves rostris arietantes, congressus impetu repulsæ, diffluere in puppim *ran asterne.*

546. *Aëra texerunt.*] Hyperbolice.

547. *Et jam diductis, &c.*] Et jam utraque ex parte divertuntur proræ, extenduntur cornua, classis ordines laxantur, ut naves hostiles suscipiant.

549. *Ut quoties æstus Zephyris.*] Remis hinc inde impelluntur maris fluctus

Digitized by Google

550 *Huc abeunt fluctus, illuc mare: sic ubi puppes*
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, hac reppulit æquor.
Sed Grajis habiles, pugnamque lacessere pinus
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
555 *Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo.*
At Romana ratis stabilem præbere carinam
Certior, & terræ similem bellantibus usum.
Tunc in signifera residenti puppe magistro
Brutus ait, paterisne acies errare profundo?
560 *Artibus & certas pelagi? jam confere bellum:*
Phocaicis medias rostris oppone carinas.
Paruit, obliquas & præbuit hostibus alnos.
Tunc quæcunque ratis tentavit robora Bruti,
Ictu victa suo, percussa capta cohæsit.
565 *Ast alias manicæque ligant, teretesque catenæ,*

Seque

ctus in diversas partes, non secus atque ubi venti, in contrarium quum ab æstu maris aguntur, undas rapiunt; ut lib. 2. ✠ſ. 455.

551. *Varios tractus.*] Iverunt diverso tramite & sulco. *Hæc* quæ venit.

552. *Illa.*] Quæ discessit. *Sulpit.*

553. *Sed Graiis habiles.*] Massilienses & celeritate navium & scientia gubernatorum confisi nostros eludebant, producta longius acie circumvenire nostros, aut pluribus navibus adoriri singulas, &c. Nostri minus exercitatis remigibus minusque peritis gubernatoribus utebantur, tum etiam gravitate & tarditate navium, ut quæ subito ex humida materia factæ fuerint impediebantur, &c. com. 1. civ. bell. *Pugnamque lacessire.*] Ita rectius quam *capessere*, ob id quod sequitur.

556. *Stabilem præbere, &c.*] Ut supra ✠ſ. 513. stabilem aream navalibus bellis stationem firmam, & pugnæ statariæ pedestri pene similem.

558. *Signifera, &c.*] Prætoria, quæ signum præfert.

559. *Paterisne acies errare profundo?*] Certasne arte & navium agilitate, quibus inferiores sumus? quin age conferto bello comminus decernamus rem. oppone itaque latera navium rostris Massilienſium.

562. *Obliquas & præbuit hostibus alnos.*] Transversas naves.

564. *Percussa capta cohæsit.*] Ita emendavit Jo. Rutgersius lib. 1. Variar. lect. cap. 12. ex *percussa & captæ.* Naves in robustam & firmam Bruti Prætoriam actæ, rostris infixis illi adhæsere velut captæ. Ita Curtius lib. IV. *In quarum alteram quinquerremis eadem concitata & ipsa rostro icta est & illam invicem tenuit.* Antea enim legebatur *percussa & capta.* ℓ. 4

565. *Alias manicaque ligant.*] Alias Massilienſ. naves uncis & manibus ferreis, harpagonibus & catenis injectis retinuerunt.

566. *Re-*

Seque tenent remis: tecto stetit æquore bellum.
Jam non excußis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro:
Miscenturque manus. navali plurima bello
570 *Ensis agit. stat quisque suæ de robore puppis*
Pronus in adversos ictus: multique peremti
In ratibus cecidêre suis. cruor altus in undis
Spumat, & obducto concrescunt sanguine fluctus.
Et quas immißi traxerunt vincula ferri,
575 *Has prohibent jungi conserta cadavera puppes:*
Semianimes alii vastum subiêre profundum,
Hauseruntque suo permistum sanguine pontum.
Hi luctantem animam lenta cum morte trahentes,
Fractarum subita ratium periêre ruina.
580 *Irrita tela suas peragunt in gurgite cædes:*
Et quodcumque cadit frustrato pondere ferrum,
Exceptum mediis invenit vulnus in undis.
Phocaicis Romana ratis vallata carinis,

Robo-

566. *Remis.*] Pectinatim connexis, vel transversis. *Tecto stetit, &c.*] Conjunctis navibus stratum non apparuit mare.

567. *Jam non excußis.*] Jam non amplius pugnatur eminus, neque ictus ex intervallo telorum conjectu infligunturj sed cominus, consertis manibus res agitur. *Hortens. Torquentur.*] Emittuntur.

568. *Nec longinqua, &c.*] Non vulnera inflicta eminus. *vel*, non tela infligentia vulnera.

569. *Navali plurima, &c.*] Res agitur conserta manu.

571. *Multique peremti.*] Imo lege cum Ms. P. *nullique peremti In ratibus cecidere suis.* Quomodo & à priore manu habuisse videtur Ms. T. Sensus est: De puppe ita prominentes pugnabant, ut qui caderent, non in navem suam caderent, sed in hostilem, vel in mare. *Grotius.*

573. *Obducto concrescunt.*] Antea erat *obducti concreto.* Sed ita, ut nos, Ms.

574. *Et quas immißi, &c.*] Neque per cadavera fluitantia conjungi possunt naves uncis & harpagonibus tractæ, *Cruentis Fluctibus, ac tardæ per densa cadavera prora.* Juven. Sat. 10.

580. *Irrita tela suas, &c.*] Tela aberrantia ab iis in navibus in quos destinata fuerant, conficiunt alios natantes in mari.

581. *Frustrato, &c.*] Nisi irrito.

582. *Vulnus in undis.*] Quem vulneret.

583. *Phocaicis Romana, &c.*] Romana quædam navis obsessa à duabus navibus Massiliensium, militibus validis ab utraque parte navim defendentibus, diu propugnata est, ita ut neutro se inclinaret victoria.

584. *Ro-*

Digitized by Google

Robore diducto dextrum, lævumque tuetur
585 *Æquo Marte latus: cujus dum pugnat ab alta*
Puppe Tagus, Grajumque audax aplustre retentat,
Terga simul pariter missis & pectora telis
Transfigitur. medio concurrit pectore ferrum,
Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis,
590 *Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,*
Divisitque animam, sparsitque in vulnera letum.
Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,
Qua nullam melius, pelago turbante, carinæ
Audivêre manum: nec lux est notior ulli
595 *Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua lunæ,*
Semper venturis componere carbasa ventis.
Hic Latia rostro compagem ruperat alni:
Pila sed in medium venêre trementia pectus,
Avertitque ratem morientis dextra magistri.
600 *Dum cupit in sociam Gyareus erumpere puppim,*
Excipit immissum suspensa per ilia ferrum,
Affixusque rati, telo retinente, pependit.
Stant gemini fratres, fecundæ gloria matris,
Quos eadem variis genuerunt viscera fatis:

(*Discre-*

584. *Robore diducto.*] Fortibus militibus divisis. *Sulpit.*

586. *Tagus.*] Rom. miles conatus revellere & retinere ornamentum navis Massiliensis. *Aplustre.*] Vel amplustre, ornamentum navis, quod summo malo imponitur.

588. *Transfigitur.*] Non *transfigitur*, ut nonnulla exemplaria: repugnat enim quantitas antepenultimæ syllabæ. *Medio concurrit, &c.*] Utriusque hastæ cuspis sibi obvia facta est in medio corpore.

589. *Quo vulnere sanguis.*] Anticone è pectore, an postico è tergo.

591. *Divisitque animam, &c.*] Ex utroque vulnere emisit.

592. *Telonis.*] Massiliensis navis gubernatoris.

593. *Qua nullam melius.*] Qua, non alteri melius paruerunt naves, mari turbato & cursum impediente.

594. *Nec lux est, &c.*] Neque alius quisquam melius explorabat præsentiebatque venturæ diei ventos tempestatemque ex aspectu Solis aut Lunæ.

597. *Latia rostro compagem ruperat alni.*] Romanæ navis.

598. *Pectus, &c. magistri.*] Telonis.

600. *Dum cupit.*] Massiliensis quidam, occupaturus munus Telonis cæsi.

602. *Affixusque rati, &c.*] Telo, quo vulneratus est, affigebatur navi.

604. *Viscera.*] Uterus.

605. *Discre-*

Digitized by Google

605 (*Discrevit mors sæva viros: unumque relictum*
Agnorunt miseri, sublato errore, parentes,
Æternis causam lacrymis: tenet ille dolorem
Semper, & amissum fratrem lugentibus offert.)
Quorum alter, mistis obliquo pectine remis
610 *Ausus Romanæ Graja de puppe carinæ*
Injectare manum: sed eam gravis insuper ictus
Amputat: illa tamen nixu quo prenderat, hæsit,
Diriguitque tenens strictis immortua nervis.
Crevit in adversis virtus: plus nobilis iræ
615 *Truncus habet: fortique instaurat prælia læva,*
Rapturusque suam procurrit in æquora dextram.
Hæc quoque cum toto manus est abscissa lacerto.
Jam clypeo, telisque carens, non conditur ima
Puppe: sed expositus, fraternaque pectore nudo

Arma

605. *Discrevit.*] Omnino parenthesi hic opus, quam visum est addere. *Discrevit mors sæva viros.*] Imitatio Virgiliana. *Dancia Laridæ, Tymberque similima proles, Indiscreta suis gratusque parentibus error, At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas, &c.* lib. 10. Æneid. *Unumque relictum.*] Alterum superstitem parentes internoscendi sublata difficultate, facile noverunt, cum vehementer similes essent, ut inter vivos non dignoscerent. Allusum videtur ad illud Virgilii: *proles Indiscreta suis, gratusque parentibus error.* Hortens.

606. *Sublato errore.*] Interfecto altero.

607. *Æternis causam lacrymis.*] Qui cum fratrem cæsum repræsentet, memoriam usque illius apud parentes lugentes non sinit interire.

609. *Mistis obliquo, &c.*] Implicitis pectinatim remis duarum navium, Romanæ & Massiliensis. supra ℳ. 566.

610. *Ausus Romanæ Graia, &c.*] Vel ex hoc loco vide quam Cæsarianis iniquus sit poëta, qui Massiliensi id tribuit quod erat Acilii militis Cæsaris. idque fide trium testium locupletiss. Sueton. Cæs. cap. 68. *Acilius miles Cæsaris navali ad Massiliam prælio, injecta in puppem hostium dextra & abscissa, memorabile illud apud Græcos Cynægiri exemplum* (Herod. 6. Just. 2.) *imitatus transiliit in navem, umbone obvios agens.* Idem Plutarchus in Cæs. & Val. Max. lib. 3. cap. 2.

612. *Nixu.*] Eodem conatu & gestu.

613. *Diriguit.*] Rigida facta est, & inhorruit, navi non demissa. *Sulpit.*

615. *Truncus habet.*] Mutilatus ipse & mancus, dextra manu amputata.

616. *Rapturusque suam, &c.*] Inclinat, projecta sinistra ad intercipiendam dextram.

617. *Hæc quoque, &c.*] Læva, cum magna parte brachii.

618. *Jam clypeo, &c.*] Destitutus jam sinistra quæ clypeum, dextra quæ tela gestaret.

619. *Sed expositus.*] Ictibus Romanorum periculisque objectus. *Sulpitius. Fraternaque, &c.*] *Emphatice.* Nudi corporis objectu tegens fratrem armatum.

621. *Tela-*

Digitized by Google

620 *Arma tegens, crebra confixus cuspide perstat:*
Telaque multorum leto casura suorum
Emerita jam morte tenet. tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus:
Membraque contendit toto quicunque manebat
625 *Sanguine, & hostilem, defectis robore membris,*
Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.
Strage virûm cumulata ratis, multoque cruore
Plena, per obliquum crebros latus accipit ictus.
At postquàm ruptis pelagus compagibus hausit,
630 *Ad summos repleta foros, desedit in undas,*
Vicinum involvens contortæ vertice pontum.
Æquora discedunt mersa diducta carina,
Inque locum puppis cecidit mare. multaque ponto
Præbuit illa dies varii miracula fati.
635 *Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos,*
Affixit Lycidam. mersus foret ille profundo,
Sed prohibent socii, suspensaque crura retentant.
Scinditur avulsus: nec, sicut, vulnere, sanguis

Emi-

621. *Telaque multorum, &c.*] Excipit tela casura in mortem suorum ipse jam omni mortis certæ munere defunctus. *Sumpta metaphora à militibus qui stipendiis defuncti à militia eximuntur vocantuque Emeriti.*

622. *Tum vulnere, &c.*] Jamque deficientem per vulnera animam emissurus, vires, quæ reliquæ erant collegit intenditque, ut hostilem navem insiliens, pondere suo, obrueret, quæ cadaveribus pressa, ictibus quassa & soluta, tandem desedit mersa.

625. *Defectis robore membris.*] Hoc est, omnibus suis viribus destitutus, in navem hostilem insiluit, vel solo pondere ei vim illaturus, cum alia ratione nequiret. *Hortens.*

627. *Strage virum, &c.*] Dicit navem cadaveribus cumulatam, & transversis ictibus quassatam, solutis compagibus, tandem desedisse. *Hortensius.*

630. *Foros.*] Fori in navibus sunt tabulata, per quæ nautæ discurrunt.

635. *Ferrea dum puppi, &c.*] Immissa à Romanis harpago navi Mass. corripuit Lycidam quendam, quem dum socii retinere conantur, discerptus est divisusque, diffusus à superiore corporis parte vitalium capaci sanguinis, intercidit in mare. ita inferior pars ab imo ventre ad talos statim defecit; superior vero pars in qua pulmo, epar, cor, cerebrum, membra vitalia, diu luctata restitit; lentiusque interiit.

638. *Scinditur avulsus.*] Sunt qui referunt hos versus à Lucano recitatos, Neronis jussu incisis sibi venis & profluente sanguine. Alii eos illum protulisse

Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis,
640 *Discursusque animæ diversa in membra meantis.*
Interceptus aquis, nullius vita peremti
Est tanta dimissa via. pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus,
At tumidus qua pulmo jacet, qua viscera fervent,
645 *Hæserunt ibi fata diu: luctataque multum*
Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.
Dum nimium pugnax unius turba carinæ
Incumbit prono lateri, vacuamque relinquit,
Qua caret hoste, ratem: congesto pondere puppis
650 *Versa, cava texit pelagus, nautasque carina:*
Brachia nec licuit vasto jactare profundo,
Sed clauso periere mari. Tunc unica diri
Conspecta est leti facies, cum forte natantem
Diversæ rostris juvenem fixere carinæ.
655 *Discessit medium tam vastos pectus ad ictus:*
Nec prohibere valent obtritis ossibus artus,
Quo minus æra sonent, eliso ventre, per ora
Ejectat saniem permistus viscera sanguis.
Postquam inhibent remis puppes, ac rostra recedunt,

Dis-

lisse autumant, quos habes l. 9. ✗ f. 811. Tacitus Annal. 15.

640. *Animæ diversa, &c. Vita peremti.*] Sanguinis, in quo vita.

641. *Interceptus.*] Confusus & mistus.

642. *Tanta dimissa via.*] Tam spaciosa mortis porta, vulnere tam amplo.

643. *Fata.*] Mors.

646. *Vix omnia membra tulerunt.*] Vix abstulerunt, tradideruntque morti.

647. *Dum nimium, &c.*] Milites unius navis pugnæ nimis intenti, omnes se conferunt ad alterum latus, ab hostibus oppugnatum defensuri; atque ita navem pondere inclinatam invertunt.

649. *Congesto pondere, &c.*] Inversa navis, milites conclusos demersit.

651. *Brachia, &c.*] Natare non licuit.

652. *Unica diri, &c.*] Miserrima apparuit una leti facies cum interciperetur à duabus navibus concurrentibus, juvenis quidam natans, rostris navium in medio juvenis pectore collisis.

657. *Æra sonent.*] Ærata rostra. *Eliso ventre.*] Compresso & contuso. *Per ora, &c.*] Sanguis intestinis mistus ejicitur ore, velut sanies.

659. *Postquam inhibent remis puppes, ac rostra recedunt, &c.*] Gronovio placet ut reponatur *remi*: sic enim mollius remis rostrisque actio & motus adscri-

Digitized by Google

660 *Disjectum in pelagus perfosso pectore corpus*
Vulneribus transmisit aquas. pars maxima turbæ
Naufraga, jactatis morti obluctata lacertis,
Puppis ad auxilium sociæ concurrit: at illi
Robora cum vestitis prensarent altius ulnis,
665 *Nutaretque ratis populo peritura recepto:*
Impia turba super medios ferit ense lacertos:
Brachia linquentes Graja pendentia puppe,
A manibus cecidere suis: non amplius undæ
Sustinuere graves in summo gurgite truncos.
670 *Jamque omni fusis nudato milite telis,*
Invenit arma furor: remum contorsit in hostem
Alter: at hi tortum validis aplustre lacertis,
Avulsasque rotant excusso remige sedes.
In pugnam fregere rates. sidentia pessum
675 *Corpora cæsa tenent, spoliantque cadavera ferro.*
Multi inopes teli, jaculum letale revulsum
Visceribus traxere suis, & vulnera læva

Oppres-

buntur. Ergo *inhibent remis, & remiges inhibent & navem inhibent, & navem inhibent remis*, quod integrum, & denique inhibent remi; ut apud Ovid. *duo defendunt retinacula navem: ἀντὶ* ⁓ duobus defenditur retinaculis navis. Attribuitur instrumento, quod est tractantis instrumentum. *Postquam inhibent, &c.*] A recedentibus rostris dejecto corpore, per vulnus pervium transmisse sunt aquæ.

661. *Pars maxima, &c.*] Navis cujusdam Massiliensis fractæ milites ac nautæ conati vitæ suæ consulere sociam navem natando petunt prensantque, licet interdicti ab iis, qui in navi erant, subversionem timentibus, si illi admitterentur.

664. *Robora, &c.*] Naves sociorum.

665. *Nutaret.*] Inclinaret se & periclitaretur. *Peritura.*] Erat enim tantus numerus, ut si susceptus fuisset, navis procul dubio mergeretur. *Sulpitius.*

666. *Impia turba.*] Quia socios lædebat. *Super medios ferit ense.*] Desuper, in navi. *Lacertos.*] Navim prensantium.

667. *Graiæ.*] Massiliensi. *Pendentia puppe.*] Amputata scil.

668. *A manibus.*] Quibus inhærebant.

669. *Graves in summo, &c.*] Non natantes, brachiis jam destitutos.

670. *Jamque omni fusis, &c.*] Jamque deficientibus utrinque telis, *furor arma ministrat*, & *quod cuique reperitur Rimanti, telum ira facit.* Virg. Æneid. 1. & 7.

672. *Aplustre.*] Navis ornamentum.

673. *Rotant.*] Rotando immittunt. *Sedes.*] Transtra.

674. *Sidentia pessum.*] Subsidentia; *vel* sub pedibus jacentia. sic l. 5. ✠ f. 616.

677. *Vulnera læva, &c.*] Ut sanguinem

Oppressere manu, validos dum præbeat ictus
Sanguis & hostilem cum torserit, exeat hastam.
680 *Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades,*
Quam pelago diversa lues. nam pinguibus ignis
Affixus tedis, & tecto sulfure vivax
Spargitur: at faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.
685 *Nec flammas superant undæ: sparsisque per æquor*
Jam ratibus fragmenta ferus sibi vendicat ignis.
Hic recipit fluctus, extinguat ut æquore flammas:
Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.
Mille modos inter leti, mors una timori est,
690 *Qua cœpere mori. Nec cessat naufraga virtus.*
Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant:
Incertasque manus ictu languente per undas
Exercent. nunc, rara datur si copia ferri,
Utuntur pelago. sævus complectitur hostem
695 *Hostis, & implicitis gaudent subsidere membris,*

Mer-

nem sisterent, viresque sibi suppeterent, quoad hastam illam suis visceribus extractam in hostem misissent: tum libenti animo spiritum emissuri.

681. *Quam pelago diversa lues.*] Quam ignis qui aquæ contrarius. *Pinguibus ignis, &c.*] Phalaricæ sagittæ è tedis oleo incendiario, pice, bitumine, nitro, sulphure & resina involutæ è balistis in naves emittuntur, qui *ignis Græcus* dictus est *Wildfier*.

684. *Pice, &c. cera.*] Qua naves ungebantur ad injuncturas committendas. *Rapuere incendia.*] Concepere ignem, igne correptæ sunt.

685. *Nec flammas superant undæ.*] Non extinguere valent ignes aquæ. *Sparsisque, &c.*] Et ipsa fragmenta tabulæque lacerarum ratium sparsæ corripiunt ignem.

689. *Mille modos inter leti.*] Inter tot mortium genera, eam solam mortem timent, quæ prima ipsis occurrit; puta mergi aut uri. *Grotius. Mille modos inter leti, &c.*] Et cum innumera circumstarent mortis genera, illud tamen solum timebant, quod instaret, incendium, puta, naufragium, &c. *nec ultra Cæca timent alimnde fata.* Horat. od. 13. lib. 1.

690. *Nec cessat naufraga virtus.*] Illi qui fractis navibus nabant, se exercebant in legendis subministrandisque telis pugnantibus, & in feriendo ut poterant hoste. *Sulpit.*

691. *Tela legunt dejecta mari.*] Qui navibus fractis natant, colligunt tela fluitantia, ministrantque sociis qui sunt in ratibus, quin & debili & incerto propter fluctus ictu petunt hostes, eosque, si deficiant tela, mari submergunt, etiam cum suo periculo.

694. *Utuntur pelago.*] Mergunt hostem in mari. *Sulpit.*

Mergentesque mori. Pugna fuit unus in illa
Eximius Phoceus animam servare sub undis,
Scrutarique fretum si quid mersisset arenis,
Et nimis affixos unci convellere morsus,
700 *Adductum quoties non senserat ancora funem.*
Hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,
Victor & incolumis summas remeabat in undas,
Sed se per vacuos credit dum surgere fluctus,
Puppibus occurrit, tandemque sub æquore mansit.
705 *Hi super hostiles jecerunt brachia remos,*
Et ratium tenuere fugam. Non perdere letum
Maxima cura fuit, multus sua vulnera puppi
Affixit moriens, & rostris abstulit ictus.
Stantem sublimi Tyrrhenum culmine [illegible]
710 *Lygdamus excussa Balearis tortor habena*
Glande petens, solido fregit cava tempora plumbo.
Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit
Vincula, procumbunt oculi: stat lumine rapto
Attonitus, mortisque illas putat esse tenebras.
715 *At postquam membris sensit constare vigorem,*
Vos, ait, ô socii, sicut tormenta soletis,

Me

696. *Mergentesque mori.*] Dum merguntur, mergere alios.

697. *Phoceus.*] Massiliensis, supra ℣. 340. urinator egregius. *Animam servare.*] Spiritum retinere.

698. *Scrutarique fretum.*] E fundo aliquid repetere, & anchoram sub aquis solvere, si fune refigi non posset.

701. *Penitus deduxerat.*] Funditus demerserat, ipse emersurus, uti assuerat.

703. *Vacuos credit.*] Non occupatos navibus.

704. *Puppibus occurrit.*] Ratibus illisus, depressus est.

705. *Hi super hostiles jecerunt.*] Alii remos impedierunt, fugientes hostes moraturi.

706. *Non perdere letum.*] Ne morerentur inulti.

707. *Multus sua vulnera puppi.*] Multi ut socias tutarentur naves, interposuerunt corpora sua vulnerata hostium rostris objecta.

709. *Tyrrhenum.*] Militem Rom.

710. *Lygdamus.*] Miles Massil. *Balearis.*] Vide lib. 1. ℣. 229.

711. *Glande petens.*] Pila plumbea.

712. *Sedibus expulsi.*] Sedes has intellige sinus oculorum.

713. *Vincula.*] Nervos.

714. *Mortisque illas putat.*] Ictum lethalem esse putat.

716. *Sicut tormenta soletis.*] Collocate me, ut balistas soletis, rectum ad projicienda tela in hostes.

718. *Ege-*

Me quoque mittendis rectum componite telis.
Egere quod superest animæ Tyrrhene per omnes
Bellorum casus. ingentem militis usum
720 *Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver:*
Viventis feriere loco. sic fatus in hostem
Cæca tela manu, sed non tamen irrita mittit.
Excipit hæc juvenis generosi sanguinis Argus,
Qua jam non medius descendit in ilia venter,
725 *Adjuvitque suo procumbens pondere ferrum.*
Stabat diversa victæ jam parte carinæ
Infelix Argi genitor, (non ille juventæ
Tempore Phocaicis ulli cessurus in armis:
Victum ævo robur cecidit, fessusque senecta
730 *Exemplum, non miles erat) qui funere viso,*
Sæpe cadens longæ senior per transtra carinæ
Pervenit ad puppim spirantesque invenit artus.
Non lacrymæ cecidere genis, non pectora tundit,
Distentis toto riguit sed corpore palmis.
735 *Nox subit, atque oculos vastæ obduxere tenebræ,*
Et miserum cernens agnoscere desinit Argum.
Ille caput labens, & jam languentia colla
Viso patre levat: vox fauces nulla solutas
Prosequitur: tacito tantum petit oscula vultu,

Invi-

718. *Egere.*] Se hortatur.

719. *Ingentem militis usum, &c.*] Intermortuusque habet quod feriatur loco viventis. *Ingentem militis usum.*] Faciet officium magni militis.

722. *Cæca tela manu.*] Sui ipsius cæci.

723. *Argus.*] Massiliensis.

724. *Qua jam non medius.*] Supra umbilicum.

725. *Adjuvitque, &c.*] Et ipse in telum procumbens addidit telo vim.

726. *Diversa.*] In prora, nam filius in puppi. mox ℣ſ. 731.

728. *Phocaicis.*] Massiliensibus. supra ℣ſ. 340.

730. *Exemplum, &c.*] Excitator virtutis alienæ, licet viribus per annos exhaustus ipse non pugnaret. *Funere, &c. artus.*] Filii.

734. *Distentis toto, &c.*] Extentis manibus pedibusque extremis partibus calore destitutis & rigentibus.

735. *Nox subit, &c.*] Mortis caligo ceu animi deliquium obrepit patri exanimato è filii cæde.

737. *Ille caput.*] Argus. *Labens.*] Inclinatum.

738. *Solutas.*] In morte resolutas.

739. *Tacito tantum petit oscula vultu.*] Vultu gestuque petit extrema illa munera,

740 *Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.*
Ut torpore senex caruit, viresque cruentus
Cœpit habere dolor, Non perdam tempora dixit,
A sævis permissa Deis, jugulumque senilem
Confodiam. veniam misero concede parenti,
745 *Arge, quod amplexus, extrema quod oscula fugi.*
Nondum destituit calidus tua vulnera sanguis,
Semianimisque jaces, & adhuc potes esse superstes.
Sic fatus, quamvis capulum per viscera missi
Polluerat gladii, tamen alta sub æquora tendit
750 *Præcipiti saltu. letum præcedere nati*
Festinantem animam morti non credidit uni.
Inclinant jam fata ducum: nec jam amplius anceps
Belli casus erat: Grajæ pars maxima classis
Mergitur: ast aliæ mutato remige puppes
755 *Victores vexere suos: navalia paucæ*
Præcipiti tenuere fuga. Quis in urbe parentum
Fletus erat! quantus matrum per litora planctus!

Con-

ra, osculi spiritum supremum excipientis, & dextra oculos comprimentis. Necessitudine enim proxime conjunctus morientibus oculos clausit apud veteres, & expirantem deosculatus, fugientem ore animam excepit. *Extremo siquis super halitus errat Ore legam.* Virgil. lib. 4. Æneid.

741. *Ut torpore senex caruit.*] Ubi exanimi torpore ejecto respiravit senex, ad se rediit, recepitque à dolore vires.

742. *Non perdam tempora.*] Non differam mortem. *Sulpit Non perdam tempora dixit.*] Non fruar miseræ vitæ usura mihi à diis haud æquis concessa, sed confodiam jug.

746. *Nondum destituit, &c.*] Expecta, habebis me supremi itineris comitem, nolo tibi superesse, antevertam certe.

748. *Quamvis capulum, &c.*] Præoccupare filii mortem festinans duplici voluit mortis anchora niti. gladium capulo tenus in viscera adegerat, inde se in mare præcipitavit.

752. *Inclinant jam, &c.*] Epilogus pugnæ navalis. Victoria inclinabat, & victi meditabantur fugam. Constat epilogus affectibus variis, à miserabili facie urbis Massiliæ, in quo ingens luctus virorum ac mulierum ortus, omnia miscebat. *Hort. Ducum.*] Massiliensium, L. Domitii & L. Nasidieni. vide adnotata ad ℣ſ. 29. & 916. supra, sed vide an dicat, inclinare fata ducum Rom. & Massil. Bruti jam victoris, Domitii victi.

753. *Grajæ pars.*] Massiliensis. supra ℣ſ. 340. Ex Massiliensium classe quinque sunt depressæ, quatuor captæ. com. civil. bell. 2.

754. *Aliæ mutato.*] Captæ.

755. *Victores.*] Romanos.

758. Con-

Conjux sæpe sui, confusis vultibus unda,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadaver:
760 *Accensisque rogis miseri de corpore trunco*
Certavere patres. at Brutus in æquora victor,
Primus Cæsareis pelagi decus addidit armis.

M. AN-

758. *Conjux sæpe sui, &c.*] Litori appulsa cadavera lacera jam atque exesa non agnoscebantur. uxores itaque cadavera Romanorum pro suis amplexæ sunt. Patres contendebant de cadaveribus, quæ suorum filiorum esse volebant, ut ea cremarent.

762. *Primus Cæsareis.*] Primus è Cæsarianis ducibus navalis pugnæ gloriam addit terrestribus Cæsaris victoriis.

Digitized by Google

M. ANNÆI LUCANI CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ, LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

CAstra Ducis castris ad Celsa quartus Ilerdam
Confert in tumulo, qui pene est obrutus imbri,
Enatat hinc Cæsar. Sicoris diducit & undas:
Petreique fugam sequitur vicinia, pacem
Incipit; at subita Petrei cæde repellit:
Qui mox esuriens veniam vitamque precatur.
Pugnat in Adriaca posthæc Antonius unda:
Vultejusque cadit, Libyæ te Curio mactat.

AT procul extremis terrarum Cæsar in oris
Martem sævus agit non multa cæde nocentem,
Maxima sed fati ducibus momenta daturum.

Jure

1. *AT procul, &c.*] Ad Massiliam ita pugnatum fuit. Hic relicto in obsidione Bruto, ad bellum Hispanicum transit Poëta. Cæsar tribus legionibus ad Massiliam relictis, cum pari numero in Hispaniam ire pertexerat: jussis legionibus, quæ non longo intervallo sequebantur, suis vestigiis instare. *At procul.*] *At* transitionis particula quartum librum orditur, & quidem imitatione Virgiliana: *At regina gravi jam dudum saucia cura, &c.* Hortens. *Extremis terrarum Cæsar.*] In Hispania, Hesperia in ultima bellum gerit Cæsar.

2. *Non multa cæde nocentem.*] Duces enim Pompejani omnium rerum inopia pressi se Cæsari dediderunt. infra vs. 354.

3. *Maxima, &c.*] Multum adjumenti & momenti allaturum Cæsari melius persequuturo summam & caput belli; postquam desiisset ipse timere, Pompejus

Digitized by Google

Jure pari rector castris Afranius illis,
Ac Petrejus erat: concordia duxit in æquas
Imperium commune vices, tutelaque valli
Pervigil alterno paret custodia signo.
His præter Latias acies erat impiger Astur,
Vectonesque leves, profugique à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.
Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetustæ
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes,
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hybernas passurus aquas. at proxima rupes
Signa tenet Magni: nec Cæsar colle minore

Ca-

pejus sperare auxilium à legatis suis legionibusque in Hispania. *Fati momenta.*] Belli Imperatoribus res magni ponderis daturum. Innuit reliquum belli civilis è victoria belli Hispanici, suum exitum habiturum. *Ducibus.*] Cæsari ac Pompejo. *Hortens.*

4. *Jure pari rector castris Afranius.*] Potestate æquali, fide & amore mutuo, cura pari, & alterna imperii vice in tutandis castris. Adventu enim Vibullii Rufi à Pompejo missi, Afranius, Petrejus, Varro, legati Pompeji officia inter se partiuntur. ut Varro cum duabus legionibus ulteriorem Hispaniam tueatur: Petrejus cum duabus legionibus & auxiliis Lusitaniæ, Celtiberiæ, Cantabriæ, &c. ad Afranium proficiscatur, qui ipse Hispaniæ citerioris partem max. cum tribus legionibus obtineat; constituantque bellum ad Ilerdam propter loci opportunitatem gerere.

7. *Pervigil custodia.*] Custodes. *Alterno signo.*] Nunc enim Petrejani, nunc Afranianì vallum custodiebant. *Sulpit.*

8. *His præter Latias, &c.*] Præter Rom. legiones quinque, erant in Petreji & Afranii castris, Asturum, Vectonum, Celtiberorum (qui ex Celtis, Gallia sua relicta, & Pyrenæos saltus transgressis ad Iberum fluv. consederant oriundi, erant) & aliarum Hispaniæ utriusque gentium cohortes 80. equitum 3000. *Astur, Vectonesque.*] Gentes Hispaniæ.

10. *Gallorum Celtæ.*] Celtæ qui in Iberiam migrarunt Celtiberi sunt appellati. Celtæ enim nostra lingua Galli dicuntur, ut Cæsar inquit. *Sulpit.*

11. *Colle tumet modico, &c.*] In colle leviter ascendenti sita est Ilerda, in solo fertili, XX. M. passus ab Ibero, citra Sicorim flu.

14. *Hesperios inter Sicoris.*] Sicoris in Pyrenæis jugis ortus labitur præter Ilerdam, & longius devectus in meridiem, tandem Ibero miscetur. *Hortens.*

15. *Pons amplectitur arcu.*] Pons iste erat ab occidua parte Ilerdæ, & in potestate Afranianorum.

16. *At proxima rupes, &c.*] In colle Ilerdæ vicino Pompejani castra habebant.

17. *Nec Cæsar colle minore Castra levat.*] In alio sub castris Afranii Cæsar attollit castra.

Digitized by Google

Castra levat: medius dirimit tentoria gurges.
Explicat hinc tellus campos effusa patentes,
20 *Vix oculo prendente modum, camposque coërcet*
Cinga rapax, vetitus fluctus, & littora cursu
Oceani pepulisse suo: nam gurgite misto,
Qui præstat terris, aufert tibi nomen Iberus.
Prima dies belli cessavit Marte cruento,
25 *Spectandasque ducum vires, numerosaque signa*
Exposuit: piguit sceleris: pudor arma furentum
Continuit: patriæque, & ruptis legibus unum
Donavere diem. prono cum Cæsar Olympo
In noctem subita circundedit agmina fossa,
30 *Dum prima præstant acies, hostemque fefellit,*
Et prope consertis obduxit castra maniplis.

Luce

18. *Medius dirimit tentoria gurges.*] Sicoris (inquit Sulpitius) interfluit utraque castra, verum cum Ilerda, & utraque castra fuisse citra Sicorim videantur ex iis quæ acta utrinque fuerint: locum hunc vix explicabilem fatetur Glareanus, nisi intelligatur aliquam Afranianam partem ultra flumen fuisse. vide notam ad 147. *ꝓ.* infra.

19. *Explicat hinc tellus.*] Hinc se per planum extendit campus ultra quam oculis possit prospici.

20. *Coërcet.*] Terminat.

21. *Cinga rapax.*] Fluv. ab orientali castrorum parte, uti Sicoris ab occidua. *Vetitus fluctus.*] Nam in ipso cursu, Ibero celeberrimo omnium totius Hispaniæ amnium miscetur, vetusque nomen amittit; perinde ut Mosella, ubi Rheno fuerit confusus. *Hortens.*

22. *Gurgite misto, &c.*] Sub Ilerda influit Iberum, qui fluv. adimit nomen Cingæ, nomen dat Iberiæ.

23. *Qui præstat terris.*] Qui infinitis partibus præstantior est in Hispaniis, aversio. *Hortens.*

24. *Prima dies, &c.*] Primo die post castra collata, nihil gestum est, copias tantum utrinque eduxerunt atq; ostentarunt.

26. *Sceleris.*] Belli civilis.

28. *Prono cum Cæsar Olympo.*] Vespero Olympum claudente, id est, Sole occidente.

29. *In noctem subita, &c.*] Cæsar ubi cognovit per Afranium stare, quo minus prælio dimicaretur; ab infimis radicibus montis, intermissis passibus 400. castra facere constituit. à fronte contra hostem pedum 13. fossam fieri jussit. prima & secunda acies in armis permanebat. post hos opus in occulto acies tertia faciebat. sic omne prius est perfectum, quam ab Afranio intelligeretur castra muniri. Comm. 2. civ. bell.

30. *Dum prima præstant.*] Hoc est, ante stant ne ab Afranianis Cæsarianorum studium & labores observarentur. *Hortens. Hostemque fefellit, Et prope, &c.*] Afranius Petreiusque operis impediendi causa, copias suas ad infimas montis radices producunt, & prælio lacessunt; neque idcirco Cæsar opus intermittit, &c.

32. *Luce*

Luce nova collem subito conscendere cursu,
Qui medius tutam castris dirimebat Ilerdam,
Imperat, huc hostem pariter terrorque, pudorque
35 *Impulit: & rapto tumulum prior agmine cepit.*
His virtus, ferrumque locum promittit: at illis
Ipse locus. miles rupes oneratus in altas
Nititur: adversoque acies in monte supina
Hæret, & in tergum casura, umbone sequentis
40 *Erigitur. nulli telum vibrare vacabat,*
Dum labat, & fixo firmat vestigia pilo,
Dum scopulos, stirpesque tenent, atque hoste relicto
Cædunt ense viam. vidit lapsura ruina
Agmina dux, equitemque jubet succedere bello,
45 *Munitumque latus lævo præducere gyro.*
Sic pedes ex facili, nulloque urgente receptus,
Irritus, & victor subducto Marte pependit.
Hactenus armorum discrimina. cetera bello

Fata

32. *Luce nova collem, &c.*] In planitie inter opp. Ilerdam & Afranii castra tumulus erat, quem si occupasset Cæsar, omni commeatu ab oppido & ponte se intercluſurum hostes sperabat. eductis itaque legionibus 3. aciem instruit, unius legionis antesignanos præcurrere atque occupare eum tumulum jubet. qua re cognita, cohortes Afranii quædam breviore itinere eundem occupant, repelluntque Cæsarianos: hic autem & sub ipso oppido horis quinque pugnatum est.

Hostem, &c. at illis.] Afranian.

36. *His virtus, &c. miles rupes.*] Cæsarian.

37. *Oneratus, &c.*] Armis.

38. *Adversoque acies, &c.*] Supino pectore arduum collem ascendentes milites Cæs. & retro casuri, nisi sequentium à tergo clypeis sustentati fuissent.

42. *Hoste relicto.*] Non directo in hostem telo, non habito hostis respectu.

43. *Cædunt ense viam.*] Cædendo perviam faciunt. *Grotius. Cædunt ense viam.*] Virgulta amputantes & vepres, viam sibi aperiunt.

44. *Equitemque jubet, &c.*] Submissius à Cæsare equitatus, latera perequitans, commodiorem ac tutiorem suis receptum dat.

47. *Irritus.*] Re infecta. *Victor subducto, &c.*] Dirempto prælio, utrique se superiores discessisse existimaverunt.

48. *Hactenus armorum.*] Huc usque pugnam ad Ilerdam commemoravit: Jam describit inundationem, qua fluminibus vastè restagnantibus, in subitum discrimen adductus sit Cæsar; quòd omnis evagandi facultas pabulatoribus esset adempta, itineribus diluvio aquarum infessis, & pontibus vi & impetu fluminis abruptis. Simul Poëta varias inundationis causas adfert. *Hortensius.*

49. *Va-*

Digitized by Google

Fata dedit variis incertus motibus aër.
50 *Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus hærens,*
Æthere constricto pluvias in nube tenebat.
Urebant montana nives, camposque jacentes
Non duraturæ conspecto sole pruinæ:
Atque omnis propior mergenti sidera cœlo
55 *Aruerat tellus hyberno dura sereno.*
Sed postquam vernus calidum Titana recepit
Sidera respiciens delapsæ portitor Helles,
Atque iterum æquatis ad justa pondera Libræ
Temporibus vicere dies: tunc, sole relicto,
60 *Cynthia quo primum cornu dubitanda refulsit,*
Exclusit Boream, flammasque accepit ab Euro.

Ille

49. *Variis incertus motibus aër.*] Biduo quo hæc gesta sunt, tanta tempestas coorta est, ut nunquam illis locis majores aquas fuisse constaret, &c. Comment. 2.

50. *Pigro bruma gelu, &c.*] Propter Aquilonem continuum gelida & sicca præcesserat hyems, neque nubibus gravidis dissolvi licitum congelato aëre.

52. *Urebant montana nives, &c.*] Ita Virgilius; *penetralis frigus adurat. Pervisti artus membra torrida gelu*, dixit Liv. lib. 21. & Tacit. lib. 13. *Ambusti multorum artus vi frigoris.* quod prius dixerat Xenophon. διὰ τὴν πολλὴν ψύχος ἔτους, ὥστε τὸ ὕδωρ, &c. καὶ τὰ πολλῶν καὶ ἵππος ἀπεκαίοντο καὶ ἄτα. Neque tamen Aristoteli assentior, qui 4. Meteor. fieri hoc vult διὰ τὸ συναγαγὼν ἡ αὐτὸ ἐξαιρούμενον τὸ θερμόν. Sed propter calorem innatum restinctum in herbis plantisque, humoremque vividum à frigore depulsum, ita ut tanquam ignis calore adustæ inarescant. ψυχρὸς αὔρεμος βορέας πλέος. & mox, καὶ ἀφαίρει ὄρη, καὶ ἔρημον ἀπεκαίος, καὶ δένδρεα χλόην ὡς πῦρ. tanquam ignis. Ecclesiast. cap. 33.

53. *Non duraturæ, &c.*] Primo sole solvendæ.

54. *Atque omnis, &c.*] Atque omnis tellus Hesperiæ, Occidenti, quo mergi videntur stellæ, subjecta, aruerat, constricta hyberno gelu & frigore.

56. *Sed postquam vernus, &c.*] Postquam vero Sol ingressus est signum Arietis quo vectus Phryxus pontum transfretasse fingitur, delapsa sorore Helle, quæ ponto nomen reliquit.

57. *Respiciens, &c.*] Effingitur aversо capite respiciens Aries.

58. *Æquatis ad justa, &c.*] Æquata jam nocti die. Æquinoctio vasno; perinde ac Autumnali, ubi sol Libram ingreditur.

59. *Vicere dies.*] Dies longiores fuere noctibus. *Tunc, sole relicto.*] Tunc Lunæ à coitu novæ, recedentis à sole cornua nondum apparebant. *Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu, Maximus agricolis pelagoque parabitur imber.* Virg. 1. Georg.

60. *Dubitanda.*] Cum suo exortu dubia est & incerta, neque cornua apparent.

61. *Boream.*] Αἰθρηγενέτην, serenitatis jam per totam hyemem autorem,

Digitized by Google

Ille suo nubes quascunque invenit in axe,
Torsit in occiduum Nabatæis flatibus orbem.
Et quas sentit Arabs, & quas Gangetica tellus
65 *Exhalat nebulas, quicquid concrescere primus*
Sol patitur, quicquid cœli fuscator Eoïs
Impulerat Corus, quicquid defenderat Indos:
Incendere diem nubes oriente remotæ,
Nec medio potuere graves incumbere mundo,
70 *Sed nimbos rapuere fuga. vacat imbribus Arctos,*
Et Notus; in solam Calpen fluit humidus aër.
Hic ubi jam Zephyri fines, & summus Olympi
Cardo tenet Tethyn, vetitæ transcurrere densos
Involvere globos, congestumque aëris atri
75 *Vix recipit spatium, quod separat æthere terram.*
Jamque polo pressæ largos densantur in imbres;
Spissataque fluunt: nec servant fulmina flammas,

Quam-

rem, pluviæque abactorem. *Flammasque accepit ab Euro.*] Calorem ac ruborem, venti pluviæque præsagia. *Vento semper rubet aurea Phœbe.* I. Georg.

62. *Ille suo nubes, &c.*] Eurus nubes omnes ex Eois partibus impulit in Occidnus.

63. *Nabatæis flatibus orbem.*] Eois: orientalibus. Nabatæi autem incolæ sunt Arabiæ Pelicis.

64. *Gangetica.*] India, quam Ganges perlabitur.

65. *Primus, &c.*] Oriens, nobis maximus.

66. *Cœli fuscator Eoi, &c.*] Eoum cœlum obscurans inductis nubibus Corus.

67. *Corus.*] Sive Caurus, quem Græci ἀφηλιώτην nominant, adversus Aquilonem flat. *Hortens. Quicquid defenderat Indos.*] Quæcunque nubes Solis æstum Indis arcuerat, ardoremque temperaverat.

68. *Incendere.*] Inflammarunt aërem, unde pluviæ & tonitrua nascuntur. *Oriente remotæ.*] Euri impetu actæ ex oriente.

69. *Graves incumbere mundo.*] Aqua plenæ.

70. *Vacat imbribus Arctos.*] Nec non ab Arcto & Noto congeruntur nubes in Hispaniam, ubi Calpe promontorium Bæticæ, una è columnis Herculis, *Gibraltar.*

71. *In solam Calpen.*] In Hispaniam. à parte totum.

72. *Hic ubi jam Zephyri fines.*] Hic, ad extremum Occidentem, unde Zephyrus flare, & cœlum pronum mari conjungi vulgo creditur, conglobatæ nubes hærebant, ulterius progredi inhibitæ.

74. *Congestumque, &c.*] Et spacium, quo distat terra ab æthere, vix recipit congeriem nubium.

76. *Polo pressæ, &c.*] Nubes coactæ in aëre dissolvuntur in pluviam.

77. *Spissataque fluunt.*] Condensatæ toto æthere pluviam fundunt. *Hortens. Nec servant, &c.*] Extinguuntur enim à nimbis.

78. *Quam-*

Quamvis crebra micent: exstinguit fulgura nimbus.
Hinc imperfecto complectitur aëra gyro
80 *Arcus, vix ulla variatus luce colorem,*
Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus
Pertulit, & cœlo defusum reddidit æquor.
Jamque Pyrenæa quas nunquam solvere Titan
Evaluit, fluxere nives, fractoque madescunt
85 *Saxa gelu. tum, quæ solitis è fontibus exit,*
Non habet unda vias: tam largas alveus omnis
A ripis accepit aquas. jam naufraga campo
Cæsaris arma natant, impulsaque gurgite multo
Castra labant: alto restagnant flumina vallo.
90 *Non pecorum raptus faciles, non pabula mersi*
Ulla ferunt sulci: tectarum errore viarum
Fallitur occultos sparsus populator in agros.

Jam-

78. *Quamvis crebra micent.*] Versus hic jam olim mihi suspectus fuit. Et certè deest in Ms. P. & in Ms. T. adscriptus demum manu recentiore. *Grotius.*

79. *Hinc imperfecto, &c.*] Non ut alias in arcum incurvata è fulgore Solis in nubem concavam & roridam ex adverso fitam refracto, sed propter densitatem nubium, nec coloribus distincta nec arcu completa, *Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus adfert.* attollit aquas maris refunditque in terras, *& bibit ingens Arcus.* Virg. 1. Geor. *Ecce autem bibit arcus, pluet, credo hercle hodie.* Plauti Curculio.

80. *Vix ulla variatus, &c.*] Docet in densa & obscura nube ita arcum apparuisse, ut vix fuerit conspicuus. *Hortensius.*

82. *Et Cælo defusum, &c.*] Ita emendavimus pro *diffusum.* Aquas è cælo lapsas cælo reddidit. *Grotius*

83. *Jamque Pyrenæa, &c.*] Enumeratis operose restagnationis causis, earum effectus nunc commemorat. Et orditur à nivibus Alpinis Pyrenæorum montium, qui Galliam ab Hispania separant. *Hortens. Jamque Pyrenæa, &c.*] E Pyrenæis montibus liquefactæ defluunt nives. Ita Com. 1. de bel. civ. tum autem ex omnibus montibus nix profluit, ac summas ripas fluminis superavit, pontesque ambos, quos C. Fabius fecerat, uno die interrupit, &c.

84. *Fractoque gelu.*] Glacies tot annos durata, soluta fuit.

85. *Tum, quæ solitis, &c.*] Fluvios exundantes non capit suus alveus. *Expatiata ruunt per apertos flumina campos.*

87. *Naufraga campo, &c.*] Quasi naufragi in summa aqua totis campis Cæsaris castra & milites fluitarunt.

90. *Non pecorum raptus faciles, &c.*] Cinga & Sicoris, inter quæ flum. castra Cæs. posita sunt, spatio millium 40. transiri neutrum poterat. neque frumentum supportare civitates quæ ad amicitiam Cæsaris accesserant, neque pabulatum progredi aut progressi longius redire in castra poterant, &c. Comment. 1.

92. *Occultos, &c.*] Aqua tectos.

93. *Jam-*

Jamque comes ſemper magnorum prima malorum
Sæva fames aderat: nulloque obſeſſus ab hoſte
95 *Miles eget, toto cenſu non prodigus emit*
Exiguam Cererem. Prô lucri pallida tabes!
Non deeſt prolato jejunus venditor auro.
Jam tumuli, colleſque latent: jam flumina cuncta
Condidit una palus, vaſtaque voragine merſit.
100 *Abſorpſit penitus rupes, ac tecta ferarum*
Detulit, atque ipſas hauſit: ſubitiſque frementes
Vorticibus contorſit equos, & reppulit æſtus
Fortior Oceani: nec Phœbum ſurgere ſentit
Nox ſubtexta polo: rerum diſcrimina miſcet
105 *Deformis cœli facies, junctæque tenebræ.*
Sic mundi pars ima jacet, quam zona nivalis,
Perpetuæque premunt hyemes: non ſidera cœlo
Ulla videt, ſterili non quicquam frigore gignit,
Sed glacie medios ſignorum temperat ignes.
110 *Sic, ô ſumme parens mundi, ſic ſorte ſecunda*
Æquorei rector facias Neptune tridentis:

Et

93. *Jamque comes, &c.*] Reſtagnatio magnas difficultates Cæſaris exercitui attulit & quaſi obſidione preſſit. Jamque commeatus inopia ad denarios 50. in ſingulos modios annona pervenerat, militum vires diminutæ, atque incommoda indies augebantur.

95. *Cenſu non prodigus emit.*] Peculio, ſtipendio, patrimonio.

96. *Exiguam Cererem.*] Frumenti modicum, vel panis fruſtum parvum. *Prô lucri pallida tabes.*] Exclamatio. infames caupones & inſtitores, qui panem ſuum ipſi famelici precio vendunt. De avaro ejuſmodi qui in obſidione Præneſtina murem captum ducentis potius denariis vendere, quam ipſe leniendæ famis gratia edere voluit, adeoque periit, vide Liv. 23. lib. Front. 4. cap. 5. Plin. 8. cap. 53.

102. *Æſtus Fortior Oceani.*] Fluctibus & impetu ipſa inundatio vehementior æſtu maris.

103. *Nec Phœbum, &c.*] Neque propter tenebras denſas apparuit Sol ortus, aut diſcernebatur dies à nocte.

106. *Sic mundi pars ima jacet.*] Quales tenebræ hyemeſque perpetuæ urgent plagas extremas utrique polo ſubjectas, ſiderum aſpectus expertes, frigore ſteriles.

109. *Sed glacie medios, &c.*] Sed ſuo frigore temperant æſtum zonæ mediæ, ut interjectæ ſint habitabiles.

110. *Sic, ô ſumme parens mundi.*] Apoſtrophe ad Jovem & Neptunum, cum voto ut bellum civile diluvio mergant. *Forte ſecunda, &c.*] Cui in diviſione regni Saturni cecidit imperium pelagi ſorte ſecunda.

112. *Tu*

Digitized by Google

Et tu perpetuis impendas aëra nimbis:
Tu remeare vetes quoscunque emiseris æstus.
Non habeant amnes declivem ad litora cursum,
115 *Sed pelagi referantur aquis: concussaque tellus*
Laxet iter fluviis. hos campos Rhenus inundet,
Hos Rhodanus: vastos obliquent flumina fontes.
Rhiphæas huc solve nives, huc stagna, lacusque,
Et pigras, ubicunque jacent, effunde paludes:
120 *Et miseras bellis civilibus eripe terras.*
Sed parvo Fortuna viri contenta pavore,
Plena redit, solitoque magis favere secundis,
Et veniam meruere Dei. jam clarior aër,
Et par Phœbus aquis, densas in vellera nubes
125 *Sparserat, & noctes ventura luce rubebant:*
Servatoque loco rerum, discessit ab astris
Humor, & ima petit, quicquid pendebat aquarum.

Tol-

112. *Tu perpetuis, &c.*] Jupiter.

113. *Tu remeare, &c.*] Neptune.

114. *Non habeant amnes, &c.*] Non deferant fluvii aquas suas in mare; sed repellantur.

115. *Concussaque tellus, &c.*] Neptuni tridente, terræ motu quassata tellus iter amnibus aperiat.

116. *Hos campos Rhenus inundet.*] Huc, in Hispaniam fluvios divertant ex Germania & Gallia Rhenus atque Rhodanus, huc confluant nives è montibus Rhiphæis, huc stagna, lacus, paludes.

117. *Obliquent flumina.*] Obliquos habeant, & per totam longitudinem, alveis transversis emittant.

118. *Riphæas.*] Hyperboreas & Scythicas. *Sulpit.*

120. *Eripe terras.*] Liberæ, submergendo Cæsarem cum exercitu.

121. *Sed parvo Fortuna, &c.*] Sed destitutum ad modicum temporis Cæsarem & leviuscula calamitate territum, ampla mox & indulgentior insequuta est Fortuna.

122. *Plena.*] Favens: & tanquam propitia mater, cepit illi adblandiri. *Hort.*

123. *Veniam meruere Dei.*] Præteritam noxam insequenti successu abunde compensantes.

124. *Par Phœbus aquis.*] Dispergendis nubibus atque in raritatem & candorem vellerum attenuandis valens. νέφεα ἀραιοῦσθαι, Οἷα μάλιστα πόνησιν ἐοικότα.

125. *Noctes ventura luce, &c.*] Longæ tenebræ adventante luce paulatim fugabantur; ea ferme facie, quæ est diei illucescentis primulum. *Grotius. Noctes ventura luce rubebant.*] Sub occasum Solis, rubor erat insequentis diei serenitatis præsagium. *vel*, die illucescente primulum rubescebat cœlum, non tenebris offusum, ut modo ꝓſ. 103.

126. *Discessit ab astris, &c.*] Decidit, quicquid pluviarum in nubibus suspensum erat.

130. *Ut-*

Tollere silva comas: stagnis emergere colles
Incipiunt, visoque die durescere valles.
130 *Utque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit,*
Primùm cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco
Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
135 *Navigat Oceano: sic tum tenet omnia Nilus,*
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.
His ratibus trajecta manus festinat utrinque
Succisum curvare nemus: fluviique ferocis
Incrementa timens, non primis robora ripis
140 *Imposuit: medios pontem distendit in agros.*
Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis,
Spargitur in sulcos, & scisso gurgite rivis
Dat pœnas majoris aquæ. Postquam omnia fatis

Cæsa-

130. *Utque habuit ripas Sicoris.*] Alveo jam suo Sicorim capiente: cessante inundatione.

131. *Primùm cana, &c.*] Imperat militibus Cæsar, ut naves faciant cujus generis eum superioribus annis usus Britanniæ docuerat, carinæ ac statumina ex levi materia fiebant: reliquum corpus navium viminibus contexum coriis integebatur. Comment. 1. *Ad eam* (inquit Plin. lib. 4. cap. 16.) *Britanni vitilibus navigiis corio circumsutis navigant.*

132. *Juvenco, &c.*] Corio bubulo, *Syneed.*

134. *Sic Venetus stagnante Pado.*] Cujusmodi navigiis utuntur Veneti se effundente Pado, Britanni in Oceano ventis placido, Ægyptii inundante Nilo. papyrus autem frutex est palustris, unde Ægyptii navigia contexunt, uti ex libro ejus vela, tegetes, funes, vestes, &c.

136. *Conseritur.*] Contexitur Ægyptiaca cymba bibula papyro. Alibi dictum Memphim regiam Ægypti fuisse, & hodie Cairum appellari. *Hortens.*

137. *His ratibus trajecta, &c.*] Naviculas has carris junctis devehit noctu Cæsar M. passuum à castris 22. quibus trajecti milites, ulteriore ripa occupata atque munita, succidit materiam pontis faciendo, quem biduo perficit. ita rei frumentariæ & pabulationi affatim consultum.

138. *Succisum curvare nemus.*] Materiam quærere ponti faciendo. *Grot.*

Fluviique ferocis, &c.] Timens ne Sicoris impetuosus augeretur ac crescceret.

141. *Ac ne quid Sicoris, &c.*] Cæsar, ne semper magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus, nactus idoneum locum, fossas pedum 30. in latitudinem complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris avertere, vadumque in eo fluv. efficeret. Comment. 1. Has prioris inundationis pœnas dedisse Sicorim dicit poëta.

143. *Postquam omnia, &c.*] Afranius & Petreius intercluso sibi à Cæsa-

Digitized by Google

Cæsaris ire videt, celsam Petrejus Ilerdam
Deserit: & noti diffisus viribus orbis,
Indomitos quærit populos, & semper in arma
Martis amore feros, & tendit in ultima mundi.
Nudatos Cæsar colles, desertaque castra
Conspiciens, capere arma jubet: nec quærere pontem,
Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis.
Paretur: rapuitque ruens in prœlia miles,
Quod fugiens timuisset, iter. mox uda receptis
Membra fovent armis, gelidosque à gurgite cursu
Restituunt artus, donec decresceret umbra
In medium surgente die. jamque agmina summa
Carpit eques, dubiique fugæ, pugnaque tenentur.
Attollunt campo geminæ juga saxea rupes

Valle

ris equitatu frumento pabuloque, defectione item civitatum & Cæsaris amicitiam secutarum, permoti, in Celtiberiam bellum transferre statuunt, quæ in amicitia permanserat Pompeji, magnis ejus in Sertoriano bello affecta beneficiis, & quod Cæsaris nomen in barbaris erat obscurius.

145. *Orbis.*] Regionis in qua erant, ad Cæs. jam inclinantis.

146. *Indomitos, &c.*] Celtiberos.

147. *In ultima mundi.*] In ulteriorem Hispaniam.

148. *Nudatos Cæsar colles, &c.*] De tertia vigilia Afranius atque Petreius castra moverant, omnibus copiis Sicorim transierant, ad Iberum recto maturantes itinere. Quod ubi Cæsar per exploratores cognoverat, duas Afranianorum legiones Sicorim traduxisse, castra ad Octogesam oppidum ad Iberum positum munita, ibi naves conquisitas è quibus junctis ponte facto exercitum trajicerent: ille equites fluvium multo opere vix aversum tentare & transire jussit, magno jumentorum numero in flumine supra atque infra constituto & pedites transire ausos traduxit.

149. *Nec quærere pontem.*] Pons enim magnum circuitum habebat.

150. *Fluvium superare.*] Tranare.

151. *Paretur.*] Cuncti scil. obtemperant. *Rapuitque.*] Hoc est, celeriter amnem ingressus est. *Rapuitque, &c.*] Et persequendi hostis studiose alto & rapido flumini committunt milites Cæs. quod vel ipsi fugientes è bello vix tentassent.

152. *Mox uda receptis, &c.*] Udi gelidique à trajectione corpora reficiunt, cursuque calefaciunt ad meridiem usque, ne defessi prælio objiciantur.

155. *Jamque agmina, &c.*] Equitatus Cæsaris novissimum hostium agmen consequutus, premere eos, morari, atque iter impedire cœpit.

157. *Attollunt campo, &c.*] A millibus passuum quinque campestris itineris, exploratores, retulere, montes, difficilia atque angusta loca excipere. Laborabat itaque Cæsar ne Afraniani his angustiis occupatis & suis prohibitis, exercitu Iberum trajecto, è manibus dimissi bellum transferrent in Celtiberos & remotas gentes.

160. *Hoste*

Digitized by Google

Valle cavæ media: tellus hinc ardua celsos
Continuat colles: tutæ quos inter opaco
160 *Anfractu latuêre viæ: quibus hoste potito*
Faucibus, emitti terrarum in devia Martem,
Inque feras gentes Cæsar videt. Ite sine ullo
Ordine, ait, raptumque fuga convertite bellum,
Et faciem pugnæ, vultusque inferte minaces:
165 *Nec liceat pavidis ignava occumbere morte:*
Excipiant recto fugientes pectore ferrum.
Dixit: & ad montes tendentem prævenit hostem.
Illic exiguo paulum distantia vallo
Castra locant. postquàm spatio languentia nullo
170 *Mutua conspicuos habuerunt lumina vultus,*
Et fratres, natosque suos videre, patresque;
Deprensum est civile nefas. tenuêre parumper
Ora metu: tantum nutu, motoque salutant
Ense suos. mox ut stimulis majoribus ardens
175 *Rupit amor leges, audet transcendere vallum*
Miles, in amplexus effusas tendere palmas.
Hospitis ille ciet nomen; vocat ille propinquum:

Admo-

160. *Hoste potito.*] Afranianis.

161. *Faucibus.*] Angustiis. Furcis.

163. *Raptumque fuga, &c.*] Nolite pati hostem, bellum, certam victoriam vobis eripi per fugam.

164. *Et faciem, &c. Nec liceat, &c.*] Ne pereant ignavi & fugientes acceptis in tergo vulneribus, convertite, excipiantque adverso pectore tela.

167. *Et ad montes, &c.*] Cæsar diverso itinere per valles maximas & saxa prærupta, angustiis & montibus occupatis, ex magnis rupibus nactus planiciem, contra hostem aciem instruxit. Afranius utrinque pressus, ibi constitit. Cæsar, intercluso omni ad Iberum itinere, quam proxime hostem potest, castra communivit.

169. *Postquam spatio, &c.*] Postquam milites hinc inde luminibus certis neque per castrorum distantiam (quæ modica erat) languentibus se mutuo agnoverunt, & in adversis castris fratres, natos, patres viderunt, admoniti statim nefarii quod inierant, belli, primum taciti se invicem conspiciebant, deinde salutabant eminus, mox amplexabantur. Petreii (inquit Commentariorum de civili bello autor) atque Afranii adaquationem curantium discessu, liberam nacti milites colloquii facultatem, vulgo procedunt. quem quisque in castris notum aut municipem habebat, conquirit atque vocat, agunt gratias, &c.

175. *Leges, &c.*] Quibus cautum est cum hoste colloqui aut versari.

Digitized by Google

Est miseris renovata fides, atque omne futurum
205 *Crevit amore nefas. nam postquam fœdera pacis*
Cognita Petrejo, seque, & sua tradita vênum
Castra videt, famulas scelerata ad prœlia dextras
Excitat, atque hostes turba stipatus inermes
Præcipitat castris, junctosque amplexibus ense
210 *Separat, & multo disturbat sanguine pacem.*
Addidit ira ferox moturas prœlia voces:
Immemor ô patriæ, signorum oblite tuorum,
Non potes hoc causæ miles præstare Senatus,
Assertor victo redeas ut Cæsare: certè
215 *Ut vincare potes. dum ferrum, incertaque fata,*
Quique fluat multo non deerit vulnere sanguis,
Ibitis ad dominum? damnataque signa feretis?
Utque habeat famulos nullo discrimine Cæsar
Exorandus erit? ducibus quoque vita petenda est?
220 *Nunquam nostra salus pretium, mercesque nefandæ*
Proditionis erit: non hoc civilia bella,

Ut

204. *Atque omne, &c.*] Per hanc concordiam data est nefariæ cædis occasio.

205. *Nam postquam, &c.*] Namque legatos ad Cæsarem de pace miserant, fidem ab eo de sua, de Petreii & Afranii vita petierant, se statim signa translaturos promiserant.

207. *Famulas scelerata, &c.*] Ut modo nota ad ✠ſ.194.

212. *Signorum oblite tuorum.*] Qui diversa, hoc est, hostium signa, nostris relictis, nunc sequaris.

213. *Non potes hoc causæ, &c.*] Quod si causæ senatus defensor non potes efficere, ut victo Cæsare libertatis patriæ victor redeas; saltem hoc potes, ut fide servata pugnes dum vincaris.

215. *Dum ferrum, &c.*] Quandiu vobis dextra armata, dum belli eventus adhuc incertus est, quandiu calidus vobis movet circum præcordia sanguis, quem pro libertate tuenda pulchrè effundatis, placetne servituris jugo colla submittere?

217. *Damnataque signa feretis?*] Patriæ infesta, hostilia judicata Senatus Consulto, vobisque ipsis damnata.

218. *Utque habeat, &c.*] Non habitus, inquit, Bersmannus, differentia inter vos & servos sceleri assuetos. Quid si dicamus; citra pugnæ discrimen, id est, non belli fortuna coactos, sed sponte servire paratos? *Nullo discrimine.*] Ex illo Virgilii: *Tros Tyriusve mihi nullo discrimine agetur.* Hoc ne, inquit, orandus est Cæsar, ut nos sibi servire patiatur, hac sola lege, ne durius vos Pompejanos habeat, quam Cæsarianos suos? Nam alioqui, ut Tacitus inquit, *recentissimus quisque servorum & conservis ludibrio est.* Grotius.

219. *Ducibus quoque, &c.*] Nobis, ut modo nota ad ✠ſ. 205.

221. *Non hoc civilia bella, &c.*] Reddit

Digitized by Google

Ut vivamus, agunt. trahimur sub nomine pacis.
Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
Eruerent, nulli vallarent oppida muri,
225 *Non sonipes in bella ferox, non iret in æquor*
Turrigeras classis pelago sparsura carinas,
Si bene libertas unquam pro pace daretur.
Hostes nempe meos sceleri jurata nefando
Sacramenta tenent: at vobis vilior hoc est
230 *Vestra fides, quod pro causa pugnabitis æqua.*
Sed veniam sperare licet. prô dira pudoris
Funera! nunc toto fatorum ignarus in orbe
Magne paras acies, mundique extrema tenentes
Sollicitas reges, cum forsan fœdere nostro
235 *Jam tibi sit promissa salus. Sic fatur, & omnes*
Concussit mentes, sceleramque reduxit amorem.
Sic ubi desuetæ silvis in carcere clauso

Man-

dit causam civilium bellorum: aut ut pugnando moriantur; aut victores suam libertatem retineant. *Hortens.*

222. *Trahimur, &c.*] In servitutem abducimur, prodimur.

223. *Non chalybem gentes.*] Quorsum tela, muri, bellicosi equi, classes; si honestius libertatem pro pace tradere, quam armis tueri liceret. *Penitus fugiente, &c.*] Penitus recondito in fodinis, apud Chalybas pop. ad fluv. Thermodoonta.

228. *Hostes nempe meos, &c.*] Cæsaris milites sacramento obstricti fidem scelestæ & injustæ causæ præstant: vobis ne levior fides in causa justa propugnanda?

230. *Quod pro causa pugnabitis, &c.*] Ita rectè Ms. Non alia causa vos hostibus ignaviores estis, quam quod justum bellum geritis. nam illos scelera obdurant. *Grotius.*

231. *Sed veniam.*] Ita emendavimus pro *Et.* Est enim *ἀντιπροφορά*. *Grot.*

Prô dira, &c.] Epilogus constat pathetica exclamatione in detestanda pacis fœdera, quæ à militibus se absente cum hoste inita sunt. *Hort. Prô dira, &c.*] Prô pudorem extinctum! Prudent. *Quis me pudoris funere perderet.*

233. *Mundique extrema, &c.*] Dum tu externa solicitas auxilia, nos jurati in causam tuam milites te hic prodimus, vitamque tuam cum hoste paciscimur.

236. *Scelerumque reduxit amorem.*] Belli & scelestæ cædis civium. sic terror oblatus à ducibus; crudelitas in supplicio, vana religio jurisjurandi, spem præsentis deditionis sustulit, mentesque militum convertit, & rem ad pristinam belli rationem redegit. Comment. 1.

237. *Sic ubi desuetæ, &c.*] Veluti feræ caveis coërcitæ, feritate depositâ, manum mansuetarii pari edoctæ, & rabiem exuisse visæ, degustato tamen sanguine in pristinam redeunt truculentiam.

Digitized by Google

Mansuevêre feræ, & vultus posuêre minaces,
Atque hominem didicêre pati: si torrida parvus
240 *Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,*
Admonitæque tument gustato sanguine fauces:
Fervet, & à trepido vix abstinet ira magistro.
Itur in omne nefas: & quæ Fortuna Deorum
Invidia cæca bellorum in nocte tulisset,
245 *Fecit nostra, fides: inter mensasque, torosque,*
Quæ modo complexu foverunt pectora, cædunt.
Et quamvis primò ferrum strinxêre gementes,
Ut dextræ justi gladius dissuasor adhæsit,
Dum feriunt, odêre suos, animosque labantes
250 *Confirmant ictu. fervent jam castra tumultu,*
Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum.
Ac velut occultum pereat scelus, omnia monstra
In faciem posuêre ducum: juvat esse nocentes.

Tu

242. *Magistro.*] Custode, rectore.

245. *Fecit nostra fides.*] Ita emendans Hugo Grotius, legit, *Fecit nostra fides*, atque ita intelligit. Potuerat bellum civile deorum & fati iniquioris videri culpa: præsertim si fortuita prælia ignotos ignotis implicuissent: nunc profecto nostra est, quia alter alterum novimus, ejusque rei certi & nobis conscii sumus. nam quæ aut ignorantia, aut impetu fiunt, eorum culpa facile fato assignatur: quæ destinato καὶ σὺν προαιρέσει aguntur, ea non αὐτυχήματα sunt, sed αὐθαιρέτα. Cæterum non video cur vetus lectio *Fecit monstra fides*, tam monstro similis cuipiam videatur. Quin tentemus si quis commodus inde sensus elici possit. Petreiani, *inquit*, dum fidem jurejurando renovatam ducibus probare volunt, perpetrarunt monstrosas civium suorum cædes, quales non fortuna victoriæ insolens exercuisset in hostes deorum ira victos in ipsa confusione tumultuosi belli. Sed dispiciat lector, & infra vſ. 252. appellat *monstra*.

246. *Quæ modo complexu, &c.*] Ediderat Petreius, ut, penes quem quisque sit miles Cæsaris, producatur, productos palam in Prætorio interficiunt. *Foverunt pectora.*] Addit à gestibus alios affectus, quod ea pectora confoderunt; quæ paulò antè complexi fuerant. *Hortensius.*

247. *Gementes.*] Inviti sc.

248. *Ut dextræ justi, &c.*] Postquam tamen extraxissent gladium contra jus in suos hospites, cives, propinquos sæviturum, inter feriendum, odium in suos colligunt simulque exprimunt: animos scil. prius dubios & vacillantes ictu confirmant, obdurantque.

249. *Labantes.*] Deficientes.

252. *Ac velut occultum, &c.*] Ac veluti sceleris periret laus & gratia, si celaretur: portentosas cædes profuerunt, cæsorum cognatorum capita ducibus præsentant.

253. Tu

Tu Cæsar, quamvis spoliatus milite multo
255 *Agnoscis superos: neque enim tibi major in arvis*
Emathiis fortuna fuit, nec Phocidos undis
Massiliæ, Phario nec tantum est æquore gestum.
Hoc siquidem solo civilis crimine belli
Dux causæ melioris eris. pollusa nefanda
260 *Agmina cæde duces junctis committere castris*
Non audent, altaque ad mœnia rursus Ilerdæ
Intendêre fugam. campos eques obvius omnes
Abstulit, & siccis inclusit collibus hostem.
Tunc inopes undæ prærupta cingere fossa
265 *Cæsar avet, nec castra pati contingere ripas,*
Aut circum largos curvari brachia fontes.
Ut leti vidêre viam, conversus in iram
Præcipitem timor est. miles non utile clausis

Auxi-

254. *Tu Cæsar, &c.*] Cæsarem laudat à clementia, qua confessus & veneratus, reveritus atque imitatus deos, in milites adversariorum qui in sua castra venerant, non sævierit. namque hos summa diligentia conquisitos dimiserat; præter Tribunos permultos & Centuriones, qui sua voluntate apud eum permanserunt. *Grotius.* Deos tibi faventes agnoscis; qui causam tuam non feliçem tantum, sed & favorabilem faciunt.

255. *Neque enim tibi, &c.*] Neque enim majorem gloriam è victoria Pharsalica Massiliensi, Alexandrina reportasti, quam ex hac tua clementia & iracundiæ victoria, imo & hinc Deos fortunamque tibi devinctiores demeruisti. Cic. pro Marcello, Q. Ligario, &c.

256. *Emathiis fortuna fuit.*] Pharsalicis, lib. 1. ℣. 1. *Phocidos, &c.*] Supra lib. 3. ℣. 340.

257. *Phario, &c.*] Ægyptiaco. Pharos insula est & turris quæ claudit portum Alexandrinum, claustrum Ægypti maritimum.

258. *Hoc siquidem, &c.*] Quod volueris hoc scelere vacare, quo se obstrinxerunt Pompejani, approbas causam tuam esse meliorem.

259. *Polluta nefanda, &c.*] Petreiani nefandæ cædis quasi ultricibus agitati furiis, non ausi diutius sustinere Cæsarem, aquationis, pabulationis atque omnium rerum difficultatibus circumventi, consilium capiunt de revertendo ad Ilerdam.

265. *Castra pati, &c.*] Afran. castrorum procurrentes partes & vallum duci à castris ad amnes aut fontes, non passus est Cæsar.

267. *Ut leti videre viam, &c.*] Postquam sibi vallo atque fossa circumventis & aquationi interclusis mortis necessitatem imminere vident, rem ferro decernere parant. Cæsar suos ex adverso in aciem dirigit, sed pugnæ abstinet, satius ratus sine cruore eos ad deditionem cogere, quam cum suorum periculo aut hostium multo sanguine vincere.

268. *Miles non utile, &c.*] Afraniani inopia pabuli adducti, fugam parant, & quo

Auxilium mactavit equos: tandemque coactus
270 *Spe posita damnare fugam, casurus in hostes*
Fertur. Ut effuso Cæsar decurrere passu
Vidit, & ad certam devotos tendere mortem:
Tela tene jam miles, ait, ferrumque ruenti
Subtrahe: non ullo constet mihi sanguine bellum:
275 *Vincitur haud gratis, jugulo qui provocat hostem.*
En sibi vilis adest invisa luce juventus,
Jam damno peritura meo: non sentiet ictus;
Incumbet gladiis, gaudebit sanguine fuso.
Deserat hic fervor mentes, cadat impetus amens,
280 *Perdant velle mori. Sic deflagrare minaces*
Incassum, & vetito passus languescere bello,
Substituit merso dum nox sua lumina Phœbo.
Inde ubi nulla data est miscendæ copia mortis,
Paulatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt.
285 *Saucia majores animos ut pectora gestant*
Dum dolor est, ictusque recens, & mobile nervis
Conamen calidus præbet cruor, ossaque nondum
Abduxêre cutem: si conscius ensis adacti

Stat

quo essent expeditiores omnia sarcinaria jumenta interfici jubent.

270. *Spe posita damnare fugam.*] Non amplius in fuga, cujus nulla jam apparet spes, fiduciam ponere. *Casurus, &c.*] Moriturus. Eduxerant enim legiones & sub castris in aciem instruxerant.

273. *Tela tene jam miles.*] Cæsar suis imperat ne tela in hostes jaciant, ne irruentibus se opponant.

275. *Vincitur haud gratis, &c.*] Non moriuntur inulti & citra damnum victoris, qui desperati & morituri ruunt in media arma.

276. *Vilis adest invisa, &c.*] Mortis secura, & vitæ pertæsa.

278. *Incumbet gladiis, &c.*] Non incumbet gladio, non gaudebit repetita *non.*

279. *Deserat hic, &c.*] Defervescat iis impetus iste & libido moriendi.

280. *Sic deflagrare, &c.*] Hoc modo Cæsar passus est desiderium mortis & ardorem belli, cujus nulla iis data est copia, lentescere. *Producitur*, inquit, Cæs. *res acies que ad solis occasum continentur: inde utrique in castra discedunt.*

283. *Miscendæ copia mortis, &c.*] Ita lib. 7. ✠ſ. 100. *mortesque suorum Permiscere meis.* Sed & alii leg. *miscendi copia Martis.*

285. *Saucia majores, &c.*] Non secus atque ferox animus dolore recentis vulneris ad pugnam vehementius accenditur se ulturus: quod si victor sentiens se illi vulnus infliximse detrectet prælium, defervescunt mox saucio sanguis, robur, animus.

288. *Abduxere autem.*] Alii legunt *Addu-*

Digitized by Google

Stat victor, tenuitque manus; tum frigidus artus
290 *Alligat, atque animum subducto robore torpor,*
Postquam sicca rigens astrinxit vulnera sanguis.
Jamque inopes unda, primùm tellure refossa,
Occultos latices, abstrusaque flumina quærunt:
Nec solùm rastris, durisque ligonibus arva,
295 *Sed gladiis fodêre suis: puteusque cavati*
Montis ad irrigui premitur fastigia campi.
Non se tam penitus, tam longè luce relicta
Merserit Assyrii scrutator pallidus auri.
Non tamen aut tectis sonuerunt cursibus amnes,
300 *Aut micuêre novi, percusso pumice, fontes:*
Antra nec exiguo stillant sudantia rore,
Aut impulsa levi turbatur glarea vena.
Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.
305 *Quoque minus possent siccos tolerare vapores,*
Quæsitæ fecistis aquæ. nec languida fessi

Cor-

Adduxere: nam tunc ossa cutem adducunt, hoc est, attrahunt, quum cruor effunditur, quæ antequam id fiat, plena est sanguine. *Conscius.*] Qui scit ipsum moriturum. *Ensis adacti.*] Mortiferi vulneris, quod ipse inflixit. *Sulpit.*

290. *Alligat.*] Stringit, debilitat. *Subducto robore.*] Enervatis viribus.

292. *Jamque, &c.*] Aquarum indigi.

295. *Puteusque cavati, &c.*] Mons effossus est. quoad putei altitudo ad situm campestrem descenderet. *Forsitan & sordibus quæ sint fastigia, quæris.* Virg. 2. Georg.

296. *Premitur fastigia.*] Deprimitur, effoditur puteus excavati montis ad profunda campi, quæ *fastigia* hic nominat: propriè tamen altitudinem & summitatem operis significat *fastigium.* Hortens.

297. *Tam longè, &c.*] Tam alte in terræ viscera à dio.

298. *Assyrii scrutator.*] Quod in Assyria foditur. *Pallidus auri.*] Sulfureane exhalatione è fodinis? an avaritia?

299. *Non tamen, &c.*] Non tamen deprehenderunt amnem subterraneum, aut fontis scaturiginem.

300. *Percusso pumice.*] Saxo. Pumex proprie is, qui in usu est corporum levigandorum fæminis ac viris; tum autem & libris. *Hortens.*

302. *Aut impulsa, &c.*] Nec minutissimi lapilli crepitant vena, id est, meatu fluentis aquæ. *Levi vena.*] Parvo aquarum rivulo.

304. *Extrahitur, &c. metallis.*] E fodinis.

305. *Quoque minus, &c.*] E gelidis fodinis subducti calorem aëris minus jam ferre poterant, & magis sitiebant.

306. *Nec languida, &c.*] Abstinebant à cibis ut levarent, saltem ne intenderent sitim.

308. *Anni-*

Digitized by Google

Corpora sustentant epulis, mensasque perosi
Auxilium fecêre famem. si mollius arvum
Prodidit humorem, pingues manus utraque glebas
310 *Exprimit ora super. nigro si turbida limo*
Colluvies immota jacet, cadit omnis in haustus
Certatim obscœnos miles: moriensque recepit,
Quas nollet victurus, aquas: rituque ferarum
Distentas siccant pecudes, & lacte negato,
315 *Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis.*
Tunc herbas, frondesque terunt, & rore madentes
Distringunt ramos: & si quos palmite crudo,
Arboris aut tenera succos pressêre medulla.
O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
320 *Fontibus immisto stravit per rura veneno.*
Hos licet in fluvios saniem, tabemque ferarum,
Pallida Dictæis, Cæsar, nascentia saxis
Infundas aconita palam, Romana juventus
Non decepta bibet. torrentur viscera flamma,

Ora-

308. *Auxilium fecere famem.*] Esurie enim ipsa minus sitire videbantur. *Sulpitius. Si mollius arvum, &c.*] E glebis terræ succulentioris humorem manibus ambabus exprimebant.

311. *Cadit omnis in, &c.*] Totus exercitus confluxit ad sordes has hauriendas plenis manibus.

312. *Moriensque recepit.*] Siti exhaustus mortique vicinus turbidam & cænosam aquam bibit, quam servandæ vitæ certus recusasset.

314. *Distentas siccant pecudes.*] Sugunt pecudes, & lacte deficiente saniosum exugunt sanguinem.

316. *Terunt, &c.*] Contundunt ut succum eliciant.

317. *Palmite crudo.*] Vitis palmites novitios, *crudos*, hoc est, nondum sole coctos, colligebant, unde & succum exprimebant. *Hortens.*

319. *O fortunati, &c.*] His feliciores poëta eos pronunciat qui venenatis ab hoste fontibus extincti fuere. quod fecerunt in Romanos eum prosequentes barbari hostes, Jugurtha rex Numidiæ, Mithridates Ponti rex, Juba Mauritaniæ.

321. *Hos licet in, &c.*] Quod si fontes veneno serpentium aut ferarum Cæsar coram infecisset, prudentes scientesque Petreiani parati erant bibere.

322. *Pallida.*] Pallorem inducentia. *Dictæis, Cæsar.*] Cretensibus, quam tamen in Idæ (Phrygiam autem exponit interpres) jugis nasci scribit Nicander in Alexipharmacis. *Nascentia, &c.*] Unde & nomen ἐν δὲ ἀκονιτοῖς Θαλείου ἀκόνιτον ἀποβλάστη Ζεὺς ἀεξήσας. Nicand. *Quæ quia nascuntur dura vivacia cautes, Agrestes aconita vocant.* Ovidius 7. Metamorphoseos.

324. *Torrentur viscera.*] Uruntur flamma intolerabili sitis.

325. *Ri-*

325 *Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis.*
Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
Aëris alternos angustat pulmo meatus,
Rescissoque nocent suspiria dura palato.
Pandunt ora siti, nocturnumque aëra captant:
330 *Expectant imbres, quorum modo cuncta natabant*
Impulsu, & siccis vultus in nubibus hærent.
Quoque magis miseros undæ jejunia solvant,
Non super arentem Meroën, Cancrique sub axe,
Quà nudi Garamantes arant, sedêre: sed inter
335 *Stagnantem Sicoris, & rapidum deprensus Iberum*
Spectat vicinos sitiens exercitus amnes.
Jam domiti cessêre duces: pacisque petendæ
Auctor damnatis supplex Afranius armis,
Semianimes in castra trahens hostilia turmas,
340 *Victoris stetit ante pedes. servata precanti*
Majestas, non fracta malis, interque priorem

For-

325. *Rigent.*] Aspera sunt. *Squamosis aspera linguis.*] Asperis, arescentibus. uti videre est in iis qui febri laborant.

327. *Alternos angustat pulmo meatus.*] Respirationes, τὴν εἰσπνοὴν ἢ ἀναπνοὴν.

328. *Rescissoque, &c.*] Fatiscenti ceu ulcerato: exasperato. *Suspiria.*] Halitus, emissiones anhelæ, unde suspirioſi dicti, qui difficultet respirant. *Sulpit.*

330. *Modo cuncta, &c.*] In tempestate & inundatione Sicoris. supra versu 50.

331. *Hærent in nubibus.*] Spectant nubes pluviam non emittentes. *Sulpit.*

332. *Quoque magis miseros, &c.*] Ut magis siti irritarentur, erant inter duo flumina eis conspicua. Sic Ovid. *Non facile efurienti posita retinebere mensa, Fortis equus visa semper adhinnit equæ.* Tum periphrasticè, *Jejunium undæ*, sitim vocat. & *solvere* pro irritare seu labefactare. *Sulpit. Hortens. Quoque magis, &c.*] Et quod vehementius sitim irritare posset, objectis potentias moventibus.

333. *Meroën.*] Nili insulam *Cancrique sub axe.*] Sub Tropico Cancri, qui limes est torridæ Zonæ.

334. *Garamantes arant.*] Libyæ pop.

337. *Jam domiti cessere duces.*] Tandem omnibus rebus obsessi, quartum jam diem sine pabulo retentis jumentis aquæ, ligni & frumenti inopia, colloquium petunt. & id si fieri possit, semoto à militibus loco, ubi id à Cæsare negatum, & palam si colloqui vellent, concessum est: datur obsidis loco filius Afranii. venitur in locum quem Cæsar deligit: audiente utroque exercitu, loquitur Afranius, &c. Comment. de bello civ. I.

338. *Damnatis, &c.*] Abjectis, improbatoque bello.

340. *Servata precanti, &c.*] Utcunque supplex, mediam tamen quandam inter

Fortunam, casusque novos, gerit omnia victi,
Sed ducis, & veniam securo pectore poscit.
Si me degeneri stravissent fata sub hoste,
345 *Non deerat fortis rapiendo dextera leto:*
At nunc sola mihi est oranda causa salutis,
Dignum donanda, Cæsar, te credere vita.
Non partis studiis agimur, nec sumsimus arma
Consiliis inimica tuis. nos denique bellum
350 *Invenit civile duces: causaque priori,*
Dum potuit, servata fides: nil fata moramur.
Tradimus Hesperias gentes, aperimus Eoas,
Securumque orbis patimur post terga relicti.
Nec cruor effusus campis tibi bella peregit,
355 *Nec ferrum, lassaque manus. hoc hostibus unum,*
Quod vincas, ignosce tuis. nec magna petuntur.
Otia des fessis, vitam patiaris, inermem

Dege-

inter fortunam priorem prosperam atque hanc adversam, retinet dignitatem, tam ducis quam victi memor.

342. *Omnia victi, &c.*] Nec inter lætam fortunam & adversam, quicquam ejus majestati diminutum est, sed omnia victi ducis præ se tulit, hoc est, officium exhibebat. *Hortens.*

343. *Securo pectore poscit.*] Impavido, in utrunque parato.

345. *Fortis rapiendo, &c.*] Qua mihi honestam mortem inferrem.

347. *Dignum donanda, &c.*] Quod te dignum existimem à quo vitæ beneficium accipiam.

348. *Non partis studiis agimur, &c.*] Non secuti sumus partes, aut Pompejanæ factionis studio arma adversus te induimus post motum hoc bellum: sed jam ante cum essemus Pompeji duces, legationis muneri, quantum in nobis erat & quoad licuit, fidem præstitimus, cedimus modo diis & necessitati fatali, neque moram injicimus Fortunæ, quo minus te evehat quo te fata vocant.

349. *Consiliis inimica tuis.*] Tuis rebus, tuæ dignitati adversantia. *Grotius.*

351. *Nil fata moramur.*] Videmus hoc agere fortunam, ut te Orbi imponat. nos ei moram injicere nolumus. *Grotius.*

352. *Tradimus Hesperias, &c.*] Tuæ fidei tradimus exercitus nostros cum Hispaniis, ita ut tibi securo de nobis & metu occidentis liberato pandatur iter adversus Pompejum in Oriente.

353. *Securumque orbis, &c.*] Permittimus te securum esse omnium periculorum, quæ à tergo ab Hispanis & Italis possent imminere. *Hortens.*

355. *Hoc hostibus unum, &c.*] Quod incruentam tibi cedamus victoriam. quo facilior in nos debes esse, quod tuo velificari sumus consilio, qui omnem iniisti rationem vincendi sine sanguine.

356. *Nec magna petuntur.*] Petimus tantum vacationem à bello.

357. *Inermem, &c.*] Bello immunem, neque enim in partes redituri sumus

Degere, quam tribuis: campis prostrata jacere
Agmina nostra putes: nec enim felicibus armis
360 *Misceri damnata decet, partemque triumphi*
Captos ferre tui: turba hæc sua fata peregit.
Hoc petimus, victos ne tecum vincere cogas.
Dixerat: At facilis Cæsar, vultuque serenus
Flectitur, atque usum belli, pœnamque remittit.
365 *Ut primum justæ placuerunt fœdera pacis,*
Incustoditos decurrit miles ad amnes;
Incumbit ripis, permissaque flumina turbat.
Continuus multis subitarum tractus aquarum
Aëra non passus vacuis discurrere venis,
370 *Arctavit, clausitque animam: nec fervida pestis*
Cedit adhuc: sed morbus egens jam gurgite plenis
Visceribus sibi poscit aquas. mox robora nervis,
Et vires redière viris. O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
375 *Et quæsitorum terra, pelagoque ciborum*
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ,
Discite, quàm parvo liceat producere vitam,

Et

mus adversus te, de nobis securum perinde ac si ferro tuo ad interneçionem occubuissemus omnes. precamur contra, ne victi cogamur sequi tua signa victricia & triumphos.

364. *Usum belli*, *&c.*] Vacationem à bello & impunitatem indulget.

365. *Justæ placuerunt fœdera pacis.*] Fœdere inter duces sancito non dubiæ ut nuper, inter milites.

366. *Incustoditos*, *&c.*] Non interclusos, non interdictos.

367. *Turbat.*] Turbida reddit, dum procumbit bibendi avidus.

368. *Continuus multis*, *&c.*] Largus & sine respiratione intermissus haustus plerisque spiritum constrinxit.

369. *Venis.*] Arteriis gutturis & pulmonum fistulis.

370. *Fervida pestis*, *&c.*] Vehemens & ardens sitis.

371. *Morbus egens.*] Sitis inextincta, quæ bibendo crescebat.

372. *Mox robora nervis.*] Mox rediere militibus aqua refectis vires pristinæ.

373. *O prodiga*, *&c.*] Occasione à beneficio aquæ redditæ, excurrit poëta in detestationem luxus delicatorum.

374. *Parvo contenta paratu.*] Iis quæ facile parantur.

376. *Ambitiosa fames*, *&c.*] Neque ad delicias tantum, sed ad gloriam & ostentationem. Petron. *Ingeniosa gula est*, *&c.*

377. *Discite*, *&c.*] Ex his Afranianis, quos restituit non vinum nobile & vetus, sed aqua simplex.

379. *No-*

Et quantum natura petat. non erigit agros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus:
380 *Non auro, murrhaque bibunt: sed gurgite puro*
Vita redit. satis est populis fluviusque Ceresque,
Heu miseri, qui bella gerunt. Tunc arma relinquens
Victori miles spoliato pectore tutus,
Innocuusque suas curarum liber in urbes
385 *Spargitur. ô quantum donata pace potitos*
Excussis unquam ferrum vibrasse lacertis
Pœnituit, tolerasse sitim, frustraque rogasse
Prospera bella Deos. nempe usis Marte secundo
Tot dubiæ restant acies, tot in orbe labores:
390 *Ut nunquam fortuna labet successibus anceps,*

Vin-

379. *Nobilis ignoto, &c.*] Nobile vinum Opimio, Cæs. & Philippo, vel alio propter vetustatem ignoto nobis Consule reconditum. *Capillato diffusum consule*, inquit Juvenalis, *cujus patriam, titulumque senectus Delevit multa veteris fuligine testæ*; quem vide Sat. 5. ℣. 30. & quæ nos ibi.

380. *Non auro, &c.*] Non aureis poculis murrhinisque. de quibus vide quæ nos ad epist. 113. Martial. lib. 14. *Gurgite puro.*] Aqua mera & simplici.

381. *Satis est populis, &c.*] Da mihi polentam & aquam inquit Epicurus, & cum Jove ipso de felicitate contenderim; Senec. epist. & Ælian. var. histor. lib. 4. cap. 13. ἄρτον μόνον, καὶ ὕδωρ πόσιμον δεινότατον πίστεσθαι. Cyrus. Ἐπεὶ τὸ δεῖ βραχῖσι τὴν δυοῖν μόνον Δήμητρος αἰχῶν πάμφιλος ὁ ὑδρηχόος. Menand.

382. *Heu miseri, qui bella gerunt.*] Heu quot labores subeundi, quot miseriæ perferendæ iis qui castra sequuntur. *Tunc arma, &c.*] Inter alia Cæsar responderat: se nunc id non agere ut ab illis abductum exercitum teneat ipse, quod tamen sibi difficile non sit; sed ne illi habeant, quo contra se uti possint. proinde arma tradant, exercitum dimittant; provinciis excedant, domicilium aut possessiones qui in Hispania habent, statim, reliqui ad Varum fluv. dimittantur. Comment. civ. bel. 1.

383. *Tutus, &c.*] Hispanus miles illæsus dimittitur. Cavet Cæsar ne quid eis noceatur, ne quis invitus sacramento cogatur. Addit etiam, ut quid quisque eorum in bello amiserit restituatur, &c. Comment. civ. bel. 1.

385. *O quantum, &c. nempe usis, &c.*] O quam pœnituit Afranianos continuati tandiu belli, detrectatæ deditionis, rerum inopiæ ultra quam opus erat perpessæ, votorum pro felici bello ad deos non exaudientes solicite conceptorum, eoque magis cum videant victoribus restare tot pugnarum discrimina, &c.

390. *Ut nunquam fortuna, &c.*] Et quamvis fortuna constans adspiret iis prospera, multo tamen labore & sanguine victorias iis constaturas. *Labet successibus.*] Nutet, à secundis rebus, id quod incertum erat futurum. *Hortensius.*

391. *Ter-*

Digitized by Google

Vincendum toties: terras fundendus in omneis
Est cruor, & Cæsar per tot sua fata sequendus.
Felix, qui potuit mundi nutante ruina,
Quo jaceat jam scire loco. non prœlia fessos
395 *Ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos.*
Jam conjux, natique rudes, & sordida tecta,
Et non deductos recipit sua terra colonos.
Hoc quoque securis oneris fortuna remisit,
Sollicitus menti quod abest favor: ille salutis
400 *Est auctor, dux ille fuit. sic prœlia soli*
Felices nullo spectant civilia voto.
Non eadem belli totum fortuna per orbem
Constitit: in partes aliquid sed Cæsaris ausa est,

Quà

391. *Terras fundendus in omneis, &c.*] Macedoniam, Ægyptum, Africam, Hispaniam rursus : omnes orbis partes.

392. *Per tot sua, &c.*] Per tot bellorum & fortunæ incertos eventus.

393. *Felix qui potuit, &c.*] Felices sane hos Afranianos, quibus, cum cæteræ omnes mundi partes in ruinam vacillarent, permissum est in sua tellure, late secreto tutoque tectis, leni perfrui ocio.

395. *Certos non rumpunt, &c.*] *Neque excitatur classico miles truci.* Horat. 2. ep. *Martia cui somnos classica pulsa fugant.* Tibull.

396. *Sordida tecta.*] *Humili loco sed certa sedet Sordida parva fortuna domus.* Senec. Hercul. Fu. ✠. 198.

397. *Et non deductos, &c.*] Quibus non opus esset finem belli expectare, ut sibi victoribus & veteranis in colonias alio deductis assignarentur agri. *Non deductos colonos.*] Antequam deducerentur; quod non contingebat nisi veteranis & victoribus. *Grot.*

399. *Sollicitus menti, &c.*] Quod partium studio vacantes neutri solicite faveant, neutri victoriam vovent, utrique ex æquo obligati; Pompejo, veteri sacramento; Cæsari, novo beneficio. Itaque male in vulgatis lib. legitur *favor. Abest favor.*] Ita rectius Ms. Liberavit illos Fortuna ab una maxima molestia, studio scil. partium: Utercunque vicerit, ferent facile; alteri parti ob sacramentum vetus; alteri ob recens beneficium benevolentes. *Grotius.*

402. *Non eadem belli, &c.*] *Audite L. Florum lib. 4. cap. 2. hujus loci expositorem atque imitatorem.* Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyrium, &c. Quippe cum fauces Adriatici maris jussi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyræo litore castra posuissent; jam maria late tenente Pompejo, repente castra legatus ejus Octavius, & Libo cum ingentibus copiis classicorum utrinque circumvenit. deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque à Basilo in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat, nova Pompejanorum arte Cilicum actis sub mari funibus, captæ quasi per indaginem, duas tamen æstus explicuit: una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille juvenum manus, circumfusi

Quà maris Adriaci longas ferit unda Salonas,
405 *Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader.*
Illîc bellaci confisus gente Curetum,
Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto,
Clauditur extrema residens Antonius ora,
Cautus ab incursu belli, si sola recedat,
410 *Expugnat quæ tuta, fames. non pabula tellus*
Pascendis submittit equis, non proferit ullam
Flava Ceres segetem: spoliabat gramine campum
Miles, & attonso miseris jam dentibus arvo
Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.
415 *Ut primùm adversæ socios in littore terræ*
Et Basilum vidêre ducem: nova furta per æquor

Exqui-

cumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit, & cum exitum virtus non haberet, ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteio mutuis ictibus, in se concurrit.

404. *Quà maris Adriaci, &c.*] Quà mare Adriaticum alluit Salonas opp. Dalmatiæ in mare exporrectas. Hermolao, *Spolato.*

405. *Et tepidum, &c.*] Monstrat plagam in quam decurrit amnis. *Hortensius. Iader.*] Fluv. Dalmatiæ juxta Salonas mare Adriaticum influens, versus Occid.

406. *Curetum.*] Omnibus cum Mss. legendum est *Curictum.* Curictas vocat Plinius III. 21. Κυριακὴ hæc pars Straboni. *Grotius. Curetum.*] Non sunt isti Brundusini, ut vult Sulpitius, à Cretensibus oriundi, ut supra libro 2. ψ. 6. 10. Non Cretenses auxiliares ut Omnibonus. Repugnat loci descriptio, & quantitas syllabæ. gesta hæc prope Salonas gr. lat. circiter 44. non Brundusium 42. 2. hoc in Italia, neque insula, illæ in Illyrico. Non sunt Κυρῆτες. Videntur ergo incolæ unius ex iis insulis quas Plin. lib. 3. cap. 26. vocat Creteas contra Liburnos sitas. illius credo quam Ptol. 2. Geograph. adjacentem Liburniæ agnoscit Curictam, cujus duo oppida sunt Phulsinium & Curicum. *Vegiam* hodie dici credit Hermolaus, Alii Nigram Melænam, ceu Cercyram autumant, unde & *Cercyræo litore* apud Florum legendum videtur.

408. *Clauditur, &c.*] Undique obsidetur classibus ab Octavio Libone. in extrema ora Dalmatiæ Cercyra insula. *Hortens. Antonius ora.*] C. Ant. Non M. Antonius qui Brundusii subsistebat pias Cæs. trajecturus.

409. *Cautus ab incursu, &c.*] Armis utique & loci natura satis munitus, nisi inopia frumenti & pabuli pressus fuisset.

415. *Ut primùm, &c.*] Ubi Antonius vidit socios sub Dolabellæ signis, & Basilum in adverso sinus litore: conatus est novo fugæ genere evadere. Sed hæc aliter Florus, ut modo. *Adversæ terræ.*] Illyricæ, ubi Dolabella erat. *Sulpit.*

416. *Basilum videre ducem.*] Classis præfectum: Opiterginorum ducem.

417. *Ex-*

Digitized by Google

Exquisita fuga: neque enim de more carinas
Extendunt, puppesque levant, sed firma gerendis
Molibus insolito contexunt robora ductu.
420 *Namque ratem vacua sustentant undique cuppa,*
Quarum porrectis series constricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
Nec gerit expositum telis in fronte patenti
Remigium: sed, quod trabibus circumdedit æquor,
425 *Hoc ferit, & taciti præbet miracula cursus,*
Quòd nec vela ferat, nec apertas verberet undas.
Tunc freta servantur, dum se declivibus undis
Æstus agat, refluoque mari nudentur arenæ.
Jamque relabenti crescebant littora ponto;
430 *Missa ratis prono defertur lapsa profundo,*
Et geminæ comites. cunctas super ardua turris
Eminet, & tremulis tabulata minantia pinnis.

No-

417. *Exquisita.*] Excogitata. *Sulpit. Neque enim de, &c.*] Non in longitudinem extendunt carinam, aut puppim in altitudinem attollunt.

418. *Sed firma gerendis, &c.*] Sed contexit scaphas navium magnarum circiter sexaginta duplici ordine collocatas, quas trabibus & catenis à fronte vinctas cratibus pluteisque munivit. atque hæc ratis cuppis, id est, scaphis sustentata à remigibus qui non videbantur, intra geminos scapharum utrinque ordines propellebatur. *Varie videtur mihi implicita & velut unà è multis mista hæc relatio. Hujusmodi ratem à Marco Antonio Brundusii contextam meminit Autor Com. de civ. bel. 3. duasque adjectas triremes. Neque de tempore convenit, ante Cæsaris adventum? necne. Quid igitur faciam in tanta diversarum rerum, nominum, locorum, temporum confusione? Non ea sum fronte ut authoris fidem velim astruere, non ea mente ut fidem tuam, lector, consarcinatis mendaciis indificari. Itaque (qui diorum commentatorum, ubi quid modi inciderit mos est) levi brachio ista transeo.*

422. *Obliquas alnos.*] Trabes ex alno.

423. *Nec gerit, &c.*] Nec habet remorum ordinem cui noceri possit. *In fronte.*] In lateribus, quæ extrà à fluctibus maris pulsabatur. *Sulpit. Hortens.*

425. *Hoc ferit.*] Quod est intrà scaphas. *Taciti cursus.*] Quod nusquam remiges apparerent.

427. *Tunc freta servantur, &c.*] Observatur æstus maris, ut cum undarum refluxu ratis jam structa deductaque trajiciat.

428. *Refluoque mari, &c.*] Tum enim altius littora attolluntur, & deteguntur. *Hortens.*

429. *Jamque relabenti, &c.*] Jamque refluo æstu se extendere videtur litus.

431. *Et geminæ comites.*] Et duæ unà triremes: quas ratis turrita, tabulatis iisque pinnatis munita supereminet.

432. *Tabulata minantia pinnis.*] Eminentia excelsis pinnis: sive, quod quum moventur naves vi æstus marini, hinc illinc

Noluit Illyricæ custos Octavius undæ
Confestim tentare ratem, celeresque carinas
435 *Continuit, cursu crescat dum præda secundo:*
Et temerè ingressos repetendum invitat ad æquor
Pace maris. Sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratæ metuentes aëra pennæ:
Aut dum dispositis attollat retia varis
440 *Venator, tenet ora levis clamosa Molossi;*
Spartanos, Cretasque ligat: nec creditur ulli
Sylva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, & præda nescit latrare reperta,
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.
445 *Nec mora. complentur moles, avideque petitis*
Insula deseritur ratibus: quo tempore primas
Impulit ad noctem jam lux extrema tenebras.

At

illinc minentur. Sic Virgil. de equo Durateo: *Mediaq; minans illabitur urbi.* Pinnæ propriè murorum sunt minæ, Gr. ἐπιπάλξεις. Belg. *De canteelen.*

433. *Noluit Illyricæ, &c.*] Octavius præfectus Pompejanæ classis ad custodiam Illyrici litoris, noluit statim ratim invadere, sed continuit se donec reliquæ triremes tutæ fugæ spe allectæ in mare descenderent.

436. *Et temere ingressos.*] Parum circumspectè promotos, elicit ad repetendum mare, quam diu *pax* illi esset, hoc est, hostes abessent.

437. *Sic dum pavidos, &c.*] Qualiter venator indaginem tendens suspendit formidinem ceu lineam, retis genus, id est plumis versicoloribus atque ad odorem ustulatis intertexti, quo cervi territi in veras plagas irruant. *Pumiceave agitant pavidos formidine pennæ.* Virg. 3. Georg. vide & Nemesiani Cynegetica. Pierii Hieroglyph. 7. & quæ nos ad Sen. Hippol. ✠ſ. 46.

439. *Attollat retia, &c.*] Erigat retia perticis furcatis. *Varis.*] Varæ vel vari, perticæ, furculæ quibus retia feris eriguntur, Græc. πάλιξις, χαλίδες. Belg. *Stangen.*

440. *Tenet ora levis clamosa Molossi.*] Nè latratu feras terreant. *At vos laxas Canibus tacitis mittite habenas: Teneant acres lora Molossos. Et pugnaces tendant Cressæ Fortia trito vincula collo. At Spartanos, (genus est audax Avidumque feræ,) modo cantus Propiore liga. veniet tempus, Cum latratu cava saxa sonent. Nunc demissi nare sagaci Capient auras, lustraque presso Quærant rostro.* Senec. Hippol. versu 30. & quæ nos ibi. *Molossi.*] Canes Epirotici.

441. *Cretasque ligat.*] Cretenses canes.

444. *Contentus tremulo, &c.*] Concusso loro admonet venatorem inventæ feræ. *Loro.*] Cauda.

445. *Complentur moles, &c.*] Ratibus imponuntur milites.

446. *Insula deseritur ratibus.*] Cercyra, Curicta, Melæna de qua supra, ad ✠ſ. 406. *Quo tempore.*] Crepusculo.

447. *Impulit ad noctem.*] Ita legendum: non *impedit*, aut *impetit.* Grot.

448. *Pom-*

At Pompejanus fraudes innectere ponto
Antiqua parat arte Cilix, passusque vacare
450 *Summa freti, medio suspendit vincula ponto,*
Et laxas fluitare sinit, religatque catenas
Rupis ab Illyricæ scopulis. nec prima, nec illa,
Quæ sequitur, tardata ratis: sed tertia moles
Hæsit, & ad cautes adducto fune secuta est.
455 *Impendent cava saxa mari: ruituraque semper*
Stat (mirum) moles: & silvis æquor inumbrat.
Huc fractas Aquilone rates, submersaque pontus
Corpora sæpe tulit, cæcisque abscondit in antris:
Restituit rupes tectum mare, cumque cavernæ
460 *Evomuêre fretum, contorti vorticis undæ*
Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim.
Hic Opiterginis moles onerata colonis
Constitit: hanc omni puppes statione solutæ
Circueunt: alii rupes, ac littora complent.
465 *Vultejus tacitas sensit sub gurgite fraudes.*
(Dux erat ille ratis) frustra qui vincula ferro
Rumpere conatus, poscit spe prœlia nulla,

Incer-

448. *Pompejanus, &c.*] Pompeji jam partes secutus. lib. 3. ℣. 228.

449. *Antiqua, &c.*] Piratica. *Vacare, &c.*] Non apparentibus in superficie maris vinculis.

453. *Tardata ratis.*] Retenta supra, ad ℣. 402. *Tertia moles, &c.*] Ratis illa ingens cuppis superstructa, in qua Opitergini vehebantur.

455. *Cava saxa, &c.*] Describit rupem excesam, exporrectam & ruituræ similem, ad quam funibus adducebatur ratis illa.

459. *Restituit rupes tectum mare.*] Scopuli absorptos fluctus refundunt. Sic antea Clariss. Grotius legebat: deinde vero hanc suam conjecturam damnavit; utpote cui omnes Mss. refragantur, in illis enim *raptus* legitur. *Raptus* enim vocat ipsas res raptas, corpora scilicet & naves, quæ pertracta ad has cavernas, deinde iterum evomuntur. *Grot.* *Restituit rupes tectum mare, &c.*] Scopulus absorptos fluctus refundit: instar Charybdis cui hanc rupem comparat, *imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras Erigit alternos.* Virg. 3. Æneid.

461. *Tauromenitanam, &c.*] Juxta Tauromenium Siciliæ opp. ostenditur Charybdis, ad cujus litus ejiciuntur, quæ illa vorago absorpserat.

462. *Opiterginis.*] Opitergium opp. est Venetorum. *Odesso* Leandro.

463. *Puppes statione.*] Pompejanæ.

465. *Tacitas.*] Insidiose positas.

466. *Ferro.*] Securi, bipenni. Alii leg. *ferri*, id est, catenas ferreas.

467. *Poscit spe, &c.*] Accingit se & hor-

Digitized by Google

Incertus quà tergà daret, quà pectora bello.
Hoc tamen in casu, quantum deprensa valebat,
470 *Effecit virtus: inter tot millia captæ*
Circumfusa rati, & plenam vix inde cohortem,
Pugna fuit, non longa quidem. nam condidit atra
Nox lucem dubiam, pacemque habuêre tenebræ.
Tunc sic attonitam, venturaque fata paventem
475 *Rexit magnanima Vultejus voce cohortem:*
Libera non ultrà parva quàm nocte juventus,
Consulite extremis angusto in tempore rebus.
Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quærendæ sibi mortis habet: nec gloria leti
480 *Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.*
Omnibus incerto venturæ tempore vitæ
Par animi laus est, & quos speraveris annos
Perdere, & extremæ momentum abrumpere lucis,
Accersas dum fata manu. non cogitur ullus
485 *Velle mori. fugæ nulla patet: stant undique nostris*

In-

hortatur suos ad pugnam, sine ulla aut fugæ aut victoriæ spe. *ut sequenti versu.*

471. *Plenam vix inde cohortem.*] Cohors decima pars est legionis, cujus numerus variat. constat plerunque 600. circiter militibus. Florus refert fuisse mille. Prima quidem in legione cohors habet pedites M. CV. equites loricatos CXXXII. Vegetius lib. 2. cap. 6.

476. *Libera non ultra, &c.*] O Juvenes libertate vestra non ultra brevem hanc noctem fruituri.

477. *Angusto in tempore rebus.*] Brevi utcunque, *vel*, difficili & periculoso. ut Horat. od. 10. lib. 2. *Rebus angustis animosus atque fortis appare.*

478. *Vita brevis, &c.*] Nemo queratur sibi fuisse vitam brevem, qui in illa utcunque brevi tempus habuit sibi mortis consciscendæ, priusquam adimatur.

479. *Nec gloria leti, &c.*] Neque tribuetur nobis minori laudi, mortem vicinam & in limine nobis ab hoste imminentem, nostra manu præoccupasse, quam si diuturnior ejus nobis usura esset futura. cum enim nemo exploratum habeat quandiu sit victurus, æqua magnanimitatis laus est, breve quod superest momentum ac longissimam quam sperabas vitam incidisse, modo ipse fortiter incidas.

480. *Admoto occurrere fato.*] Non ideo minor nostra laus erit, quod mortem nobis inferemus, quæ vitari jam aut diu differri, ob vim hostium non potest. Quamdiu enim victurus sit, nemo scit. *Grotius.*

484. *Accersas dum fata.*] Quasi dicat, non jam in voluntate situm est, sed in necessitate, ut moriamur. *Hortens.* *Non cogitur ullus, &c.*] Mori cogimur: velle mori, non ita, neque enim cogitur voluntas. Verum quod urget necessitas,

Digitized by Google

Intenti cives jugulis. decernite letum,
Et metus hinc absit: cupias quodcunque necesse est.
Non tamen in cæca bellorum nube cadendum est,
Ut cùm permistis acies sua tela tenebris
490 *Involvunt. conserta jacent cùm corpora campo,*
In medium mors omnis abit. perit obruta virtus.
Nos in conspicua sociis, hostique carina
Constituêre Dei. præbebunt æquora testes,
Præbebunt terræ, summis dabit insula saxis.
495 *Spectabunt geminæ diverso è littore partes.*
Nescio quod nostris magnum & memorabile fatis
Exemplum, Fortuna, paras. quæcunque per ævum
Exhibuit monimenta fides, servataque ferro
Militiæ pietas, transibit nostra juventus.
500 *Namque suis pro te gladiis incumbere Cæsar*
Esse parum scimus: sed non majora supersunt
Obsessis, tanti quæ pignora demus amoris.

Abscin-

sitas, velimus; & in virtutem cedet necessitas. Quicquid necesse est sapiens vult.

486. *Cives jugulis.*] Romani; qui nobis non parcent. Non verisimile est (inquit Jo. Rutgersius lib. 1. cap. 12. var. lect.) Vultejum ea oratione qua suis mori potius suadebat quam in hostium potestatem venirent, tam honorifico nomine appellasse, qui Opitergini etiam erant: legit itaque *Intenti Cilices jug.* ut supra ✠ 449.

487. *Metus hinc absit.*] Ita rectius quidam libri, quam *omnis abest.* Hortantis enim est oratio. *Grotius.* Quasi dicat, statuamus aliquid, quod necessitas cogit.

488. *Non tamen in cæca, &c.*] Neque cæbimus pulchro fortitudinis nostræ teste, conspicui diis & hominibus, sociis ab insula spectantibus, hostibus à continenti terra & mari. jacebimusque nos inter nos, victores cum victis; non misti confusa strage tanquam cæco belli tumultu cæsi sub incerto cædis autore, dum gloria in commune & omnes ex æquo diffunditur.

489. *Ut cum.*] Ita restituimus pro *Aut.* Grotius. Alioqui egregiorum & clarorum militum virtus ingloria est & sine laude obruitur, quando in tenebris telorum nube sternuntur; & ignoretur, quis fortiter dimicando ceciderit. Tum enim ignavissimum quemque par gloria comitatur. *Virtutem* præclara facinora dicit, quæ fortes & magnanimi milites in stataria pugna edunt. *Hortens.*

490. *Conserta.*] Confusa inter cæsorum cadavera. *Hortens.*

497. *Quæcunque per, &c.*] Nostra, ô juvenes, fides pie & fortiter Imperatori præstita superabit omnia omnium quotquot historiis mandata fuerunt exempla.

502. *Obsessis.*] Sed nos obsessi majus testi-

Abscindit nostræ multum sors invida laudi,
Quòd non cum senibus capti natisque tenemur.
505 *Indomitos sciat esse viros, timeatque furentes,*
Et morti faciles animos: & gaudeat hostis
Non plures hæsisse rates. tentare parabunt
Fœderibus, turpique volent corrumpere vita.
O utinam, quò plus habeat mors unica famæ,
510 *Promittant veniam, jubeant sperare salutem:*
Ne nos, cùm calido fodiemus viscera ferro,
Desperasse putent. magna virtute merendum est,
Cæsar ut, amissis inter tot millia paucis,
Hoc damnum, clademque vocet. dent fata recessum,
515 *Emittantque licet, vitare instantia nolim.*
Projeci vitam comites, totusque futura
Mortis agor stimulis: furor est. agnoscere solis
Permissum est, quos jam tangit vicinia fati,

Victu-

testimonium præstare non possumus. *Sulpit.*

504. *Senibus capti natisque tenemur.*] Parentibus & natis, quos Saguntinorum æquantes fidem trucidaturi essemus potius quam in potestatem hostium venirent.

506. *Et gaudeat hostis, &c.*] Quod si illæ duæ simul implicitæ catenis afforent nobis, non dubitaremus de victoria.

507. *Tentare parabunt Fœderibus, turpique, &c.*] Vel cum servitute vel inhonesta deditione conjunctæ vitæ conditionem nobis offerre, quo pertinaci mortis consilio deposito discedamus ab armis.

509. *O utinam, &c.*] Optat, ut hostes vitam promittant tantum: non quod cupiat vivere; sed ne existimetur ob rem desperatam sibi intulisse mortem, vivendi facultate concessa. Nam *veniam*, vitam intelligit. *Hortens.* *Unica famæ, &c.*] Simplex, non vim aliunde timens, non opus habens admoto occurrere fato, ut supra 480. ℣. à desperationis imputatione libera.

512. *Magna virtute, &c.*] Egregio aliquo & singulari fortitudinis exemplo.

513. *Paucis.*] Cohorte una.

514. *Dent fata recessum.*] Quamvis mihi fata darent, ut incolumis possim discedere, nolim tamen præsentem mortem effugere.

517. *Mortis agor stimulis.*] Ardenti efferor mortis desiderio. *Disne hunc ardorem mentibus addunt Eurydae, an sua cuique Deus fit dira cupido?* Afflat certe divinitus amabilis insania, divinus est hic impetus. Invident quippe miseris mortalibus Dii hoc, ut sciant, quam dulcis & felix res mors sit, quo diutius velint vivere. mori autem vicinis dulcedinem ejus præsentire solum datur. *Agnoscere solis, &c.*] Illum numinis calorem agnoscere, nobis solis Dii permisere, qui morti estis proximi; & quem Dii celant eos, qui vitam diuturnam morti anteponunt. *Hortens.*

520. *Sic*

Victurosque Dei celant, ut vivere durent,
Felix esse mori. Sic cunctas sustulit ardor
Nobilium mentes juvenum: cùm sidera cœli,
Ante ducis voces, oculis humentibus omnes
Aspicerent, flexoque Ursæ temone paverent:
Iidem, cùm fortes animos præcepta subissent,
Optavêre diem. nec segnis mergere ponto
Tunc erat astra polus: nam sol Ledæa tenebat
Sidera, vicino cùm lux altissima Cancro est:
Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.
Detegit orta dies stantes in rupibus Istros,
Pugnacesque mari Graja cum classe Liburnos.
Tentavêre prius suspenso vincere bello
Fœderibus, fieret captis si dulcior ipsa

Mor-

520. *Sic cunctas, &c.*] Hac oratione mentes suorum ad voluntariam mortem incensas erexit Vultejus; in tantum, ut qui prius lacrymabundi ortum insequentis diei expavissent, alacres jam exoptarent. *Sustulit.*] Erexit & incendit ad voluntariam mortem.

523. *Flexo témone, &c.*] Anacreon:
Μισουυκτίοις ποθ' ἅρματις,
Σαρίφος) ἅτ' ἀρκτῶν ἤδη
Καλῷ χειμῶν τλῶ βοώτης.
Flexoque Ursæ temone paverent.] Ursæ majoris plaustrum in Orientem conversum signum est præcipitantis noctis; adventantis diei, Sole existente in Geminis, Cancro, Leone. undecima enim Aprilis nobis in apice Meridionali elevatum mediam constituit noctem.

525. *Nec segnis mergere, &c.*] Jamque sidera nocturna in Horizontem properabant, nocte utpote brevi, Sole ex ultima parte Geminorum (in quos, Castor & Pollux Ledæ filii conversi sunt) ingressuro Cancrum.

526. *Sol Ledæa tenebat Sidera.*] Periphrasis est Geminorum, in quorum ultima parte Sol erat, Cancrum jam jam ingressurus; quo tempore noctes sunt contractiores & brevissimæ, *Hortensius.*

527. *Vicino cum lux, &c.*] Dies æstivus, propemodum solstitialis, qui incidit in primum punctum Cancri, signorum altissimi.

528. *Nox tum Thessalicas, &c.*] Cum matutino mergeretur oppositum signum Sagittarius. *Hortens. Urgebat parva sagittas.*] In Occidentem. Sagittario (quem Chironem Thessalicum fuisse volunt) Ceronice occidente, opposito Soli in Geminis orienti.

529. *Istros, &c.*] Istri accolas. Illyrios, hostes Opiterginorum, iis terra imminentes: à mari autem instantem Octavium Liburnici & Dalmatici litoris custodem cum classe auxiliari Græcorum quorum plerique Pompeji partes secuti sunt.

531. *Tentavere prius, &c.*] Hoc fingit poëta accidisse ex Vulteii voto supra ℣. 509.

532. *Fœderibus, &c.*] Deditionis conditionibus, oblatis, & vitæ pactione.

Mortis vita mora. stabat devota juventus,
Damnata jam luce ferox, securaque pugnæ
535 *Promisso sibi fine manu: nullique tumultus*
Excussere viris mentes ad summa paratas:
Innumerasque simul pauci terraque marique
Sustinuêre manus: tanta est fiducia mortis.
Utque satis bello visum est fluxisse cruoris,
540 *Versus ab hoste furor: primus dux ipse carina*
Vultejus jugulo poscens jam fata retecto,
Ecquis, ait, juvenum est, cujus sit dextra cruore
Digna meo, certaque fide per vulnera nostra
Testetur se velle mori? nec plura locuto
545 *Viscera non unus jamdudum transfigit ensis.*
Collaudat cunctos: sed eum, cui vulnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alii, totumque in partibus unis
Bellorum fecêre nefas. sic semine Cadmi
550 *Emicuit Dircæa cohors, ceciditque suorum*
Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen.
Phasidos & campis insomni dente creati

Ter-

533. *Devota juventus, &c.*] Certo & destinato mortis consilio addicta, vitæ desiderio omni conclamato.

535. *Tumultus.*] Hostium cum terrore ingruentium.

536. *Summa paratas.*] Extremam mortem.

537. *Innumerasque, &c.*] Ut supra ex Floro, ad ✠ l. 402.

540. *Ab hoste furor.*] In se invicem.

541. *Jugulo poscens, &c.*] Nudato porrectoque jugulo invitat commilitonis alicujus manum, qua pereat.

543. *Certaque fide, &c.*] Quo pignore spondeat & se pari fiducia moriturum.

546. *Collaudat cunctos.*] Moribundus Vultejus. *Sed eum, &c.*] Et ne ingratus moreretur, retulit gratiam infliti ab illo vulneris, & cujus nomine se illi debitorem agnoverat.

548. *Concurrunt alii.*] Concurrunt cæteri ejusdem partis milites mutuisque concidunt vulneribus non aliter quam fratres illi terrigenæ nati ex Draconis dentibus à Cadmo satis. Ovid. Metam. 3. Sen. Œdip. 720.

550. *Dircæa cohors.*] Thebana. Dicce fons juxta Thebas. vide quæ ad versum 126. Thebaid. Senec.

551. *Dirum Thebanis fratribus omen.*] Infaustum omen Eteocli & Polynici qui simili fato aliquando mutuis vulneribus se confecturi erant.

552. *Phasidos.*] Atque uti *per mutua vulnera peribant Terrigenæ fratrès* nati è dentibus vigilis draconis interfecti sàtis ab Jasone, inter se commissi conjecto ab

Terrigenæ, missa magicis è cantibus ira,
Cognato tantos implerunt sanguine sulcos:
555 *Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,*
Expavit Medea nefas. sic mutua pacti
Fata cadunt juvenes: minimumque in morte virorum
Mors virtutis habet: pariter sternuntque, caduntque
Vulnere letali: nec quenquam dextra fefellit,
560 *Cùm feriat moriente manu. nec vulnus adactis*
Debetur gladiis: percussum est pectore ferrum,
Et jugulis pressêre manum. cùm sorte cruenta
Fratribus incurrant fratres, natusque parenti:
Haud trepidante tamen toto cum pondere dextra
565 *Exegêre enses. pietas ferientibus una,*
Non repetisse, fuit. jam latis viscera lapsa
Semianimes traxêre foris, multumque cruoris
Infudêre mari. despectam cernere lucem,
Victoresque suos vultu spectare superbo,
570 *Et mortem sentire juvat. jam strage cruenta*
Conspicitur cumulata ratis: bustisque remittunt

Cor-

sto ab Jasone in medium silice & carminibus magicis Medeæ auxiliaribus. Ovid. Metam. 7. *Campis insonui, &c.*] In Colchis, quorum Phasis fluv. clariss.

555. *Ipsaque, &c.*] *Ipsa quoque extimuit, quæ tutum fecerat illum: Ut qui peti vidit juvenem tot ab hostibus unum Palluit.*

557. *Juvenes.*] Opitergini. *Minimumque in, &c.*] Minima pars fortitudinis erat mortem oppetere. In ipsa morte militariter pugnant. Ita Grotius qui ex M. S. restituit *minimumque*, cum vulgo legatur *nimimumque*. quod & probari potest.

560. *Cum feriat moriente manu.*] Quamvis feriat manu sua ipsius morituri & ipsa mortem infligente.

561. *Percussum est, &c.*] Dum ipsi jugulos suos intendunt occurrentes, atque irruentes in sociorum gladios capulo tenus.

563. *Incurrant.*] Ita scribendum, non *incurrunt*. Grotius.

564. *Haud trepidante, &c.*] Neque minori vi & ferientes adigebant tela, id pietatis loco ducentes uno ictu conficere neque ingeminare vulnus.

567. *Foris.*] Tabulatis ratis.

568. *Despectam, &c.*] A se contemptam.

569. *Victoresque suos, &c.*] Octavianos, à quibus quasi victoribus huc rerum adacti fuerant.

570. *Sentire juvat.*] *Emphatice.* frui sensu.

571. *Bustisque remittunt, &c.*] Comburenda ac sepelienda Opiterginorum cadavera curaverunt hostes mirati tantæ apud suos autoritatis esse Cæsarem, tan-

Digitized by Google

Corpora victores, ducibus mirantibus, ulli
Esse ducem tanti. nullam majore locuta est
Ore ratem, totum discurrens fama per orbem.
575 *Non tamen ignavæ post hæc exempla virorum*
Percipient gentes, quàm sit non ardua virtus
Servitium fugisse manu. sed regna timentur
Ob ferrum, & savis libertas uritur armis:
Ignoratque datos, ne quisquam serviat, enses.
580 *Mors utinam pavidos vitæ subducere nolles,*
Sed virtus te sola daret. Non segnior illo
Marte fuit, qui tunc Libycis exarsit in arvis.
Namque rates audax Lilybæo littore solvit
Curio: nec forti velis Aquilone recepto
585 *Inter semirutas magnæ Carthaginis arces,*

Et

tantam militum in ducem fidem. *Virtus & in hoste probatur.*

572. *Ducibus mirantibus.*] Octavio & suis.

574. *Ore ratem.*] Præconio & celebratione.

575. *Non tamen ignavæ, &c.*] Eo tamen vecordiæ ventum est atque ignaviæ, ut, licet hoc factum in aliis laude dignum prædicent, ipsi nolint vel ex hoc exemplo intelligere quam non difficile fiet servitutem excutere, se in libertatem asserere; vel sibi illata morte; vel sublatis tyrannis.

577. *Sed regna timentur, &c.*] Sed tyrannicæ potestates timentur, quia custodiis & satellitiis armantur, dum libertatem vi opprimunt. Quasi vero libertatis studiosis difficile sit scire, sibi datos esse enses, ad tuendam libertatem, ne cogantur servire. *In nullius summa potestate, cum mors in nostra.* Stoice.

578. *Libertas uritur.*] Opprimitur ab armatis. *Hortens.*

580. *Mors utinam, &c.*] Degeneres itaque & ignavi vitam cum servitute agant turpem: fortes & nobiles se sua manu in libertatem asserant.

581. *Non segnior, &c.*] Neque bello minus atroci atque adverso à Cæsarianis in Africa pugnatum est, quam fuerat in Adriatico. In Africa quoque (inquit Florus) par & virtus & calamitas Curionis fuit qui ad recipiendam provinciam missus, pulso fugatoque Varo jam superbus, subitum Jubæ regis adventum equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga, sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur.

583. *Namque rates, &c.*] In Siciliam Curionem Proprætorem cum legionibus 3. Cæsar miserat, jussum ut cum Siciliam recepisset protinus in Africam traduceret exercitum: ille, profugiente è provincia Catone, quartam leg. conscripserat, sed copias P. Atii Vari despiciens, duas tantum legiones & D. equites transportavit. Lilybæum Siciliæ promontorium est, quod spectat Africam; uti Pelorum, Italiam; Pachinum, Græciam. *Audax.*] Audacem eum vocat, quasi temerarium, & qui parum circumspectè res gerebat.

584. *Nec*

Digitized by Google

Et Clupeam, tenuit stationis littora notæ:
Primaque castra locat cano procul æquore, quà se
Bagrada lentus agit sicca sulcator arenæ.
Inde petit tumulos, excesasque undique rupes,
590 *Antæi quæ regna vocat non vana vetustas.*
Nominis antiqui cupientem noscere causas,
Cognita per multos docuit rudis incola patres.
Nondum post genitos Tellus effeta gigantes,
Terribilem Libycis partum concepit in antris.
595 *Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon,*
Aut Tityos, Briareusque ferox: cœloque pepercit,
Quòd non Phlegræis Antæum sustulit arvis.
Hoc quoque tam vastas cumulavit munere vires
Terra sui fœtus, quòd, cùm tetigêre parentem,
600 *Jam defecta vigent renovato robore membra.*
Hæc illi spelunca domus: latuisse sub alta
Rupe ferunt, epulas raptos habuisse leones.
Ad somnos non terga feræ præbere cubile
Assuerunt, non sylva torum: viresque resumit

In

584. *Nec forti, &c.*] Levi & secundo vento.

585. *Inter semirutas magnæ Carthaginis arces, Et Clupeam.*] Aquilariam appulit à Clupeis M. pass. XXII. distantem. haud procul à Carthagine jam ab excidio tertii bell. Pun. modice restituta.

586. *Notæ.*] Romanis bello & pace cognitæ. *vel* Curioni fama cognita.

588. *Bagrada lentus, &c.*] Fl. prope Uticam mare influens.

589. *Inde petit.*] Illinc in castra Corneliana se contulit. *Sulpit.*

590. *Antæi quæ, &c.*] Poëta, quo detur ansa fabulandi de Herculis & Antæi palæstrico certamine, accessit Λίβυς μυθογρ. (quo de Strab. lib. ult.) è Mauritania Tingitana long. 8. lat. 30. ad colles prope Uticam. long. 30. lat. 34. Fulgentius rationem hujus fabulæ reddit.

591. *Cupientem, &c.*] Curionem, aut alium quemlibet hospitem.

593. *Nondum post genitos Tellus.*] Tellus, nondum effœta ex partu gigantum, concepit Antæum in Libya.

595. *Nec tam justa fuit, &c.*] Neque Terræ ex procreatis Typheo, Tityo, & Briareo, tanta erat gloriandi causa, quam nato Antæo.

596. *Cœloque pepercit.*] Male cessisset diis, si & hunc socium habuissent Gigantes, ubi in Thessalicis campis bellum cœlo inferebant.

598. *Hoc quoque, &c.*] Dederat & Antæo Terra mater hoc munus, ut certamine fessus, contacta terra vires auctiores resumeret, fortiorque resurgeret.

604. *Sylva torum.*] Frondes aut tabulæ.

605. *Pe-*

605 *In nuda tellure jacens. perière coloni*
Arvorum Libyes: pereunt, quos appulit æquor,
Auxilioque diu virtus non usa cadendi,
Terræ spernit opes: invictus robore cunctis,
Quamvis staret, erat. tandem vulgata cruenti
610 *Fama mali, terras monstris æquorque levantem,*
Magnanimum Alcidem Libycas excivit in oras.
Ille Cleonæi projecit terga leonis,
Antæus Libyci. perfudit membra liquore
Hospes, Olympiaca servato more palæstræ.
615 *Ille parum fidens pedibus contingere matrem,*
Auxilium membris calidas infudit arenas.
Conseruêre manus, & multo brachia nexu.
Colla diu gravibus frustra tentata lacertis:
Immotumque caput fixa cum fronte tenetur.
620 *Miranturque habuisse parem. nec viribus uti*
Alcides primo voluit certamine totis,
Exhausitque virum: quod creber anhelitus illi
Prodidit, & gelidus fesso de corpore sudor.
Tunc cervix lassata quati: tunc pectore pectus

Urge-

605. *Periere coloni, &c.*] Tum Libyæ incolæ, tum advenæ ab illo in palæstram provocati victique interficiebantur.

607. *Cadendi.*] Quo enim frequentius cadebat, eò fortior resurgebat. *Sulpitius.*

608. *Terræ spernit opes.*] Neque amplius jam habuit opus beneficio matris Terræ, qua contacta sumeret roboris incrementum, satis ex se validus etiam cum staret.

609. *Quamvis staret.*] Non se prosterneret. *Tandem vulgata, &c.*] Tandem Hercules monstrorum passim domitor, fama crudelis hujus monstri accitus, huc advenit.

612. *Ille Cleonæi.*] Hercules inturus luctam exuit pellem leonis Nemeæi à se inter Cleonas & Phliuntem cæsi.

613. *Libyci.*] Leonis Lib. exuvias. *Perfudit membra, &c.*] Hercules se oleo unxit, ceu ceromate ex more patrio atque usitato in certaminibus Olympicis ab ipso instituti.

616. *Auxilium membris, &c.*] Jam usurus beneficio matris. modo ℣ſ. 608. se arena summa conspersit, quò robustior esset.

620. *Miranturque habuisse parem.*] Miratur uterque se sibi parem offendisse. *Nec viribus, &c.*] Necdum intentis usus viribus Antæum defatigarat.

622. *Exhausit.*] Defatigavit Antæum.

624. *Lassata quati.*] Debilitata inclinabat, non ut prius, *Immotum caput fixa cum fronte tenebatur.* ℣ſ. 619.

625. *Tunc*

625 *Urgeri: tunc obliqua percussa labare*
Crura manu. jam terga viri cedentia victor
Alligat, & medium compressis ilibus arctat:
Inguinaque insertis pedibus distendit, & omnem
Explicuit per membra virum. rapit arida tellus
630 *Sudorem: calido complentur sanguine venæ.*
Intumuêre tori, totosque induruit artus,
Herculeosque novo laxavit corpore nodos.
Constitit Alcides stupefactus robore tanto:
Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis
635 *Defectam timuit reparatis anguibus hydram.*
Conflixêre pares, telluris viribus ille,
Ille suis. numquam sævæ sperare novercæ
Plus licuit. videt exhaustos sudoribus artus,
Cervicemque viri, siccam cum ferret Olympum.
640 *Utque iterum fessis injecit brachia membris,*
Non expectatis Antæus viribus hostis,
Sponte cadit, majorque accepto robore surgit.

Quis-

625. *Tunc obliqua, &c.*] Antæi crura supplantata Herculis manu labascebant.

626. *Jam terga, &c.*] Hercules Antæi tergum lacertis implicitum compressit, atque ipsum humi prostravit.

629. *Rapit arida, &c.*] Coërcet, sistit sudorem Antæi.

630. *Calido complentur, &c.*] Recenti, quo & vires restaurantur.

631. *Totosque induruit artus.*] Lassi modo laxique artus restituuntur, jam in solidos & duros.

632. *Novo laxavit corpore nodos.*] Renovato, viribus refecto.

633. *Constitit Alcides.*] Non sine stupore admiratus est Hercul. unde Antæo vires restitutæ.

634. *Nec sic Inachiis, &c.*] Neque tantum illi metum injecit Hydra, numerosum malum, cui uno capite recisso duo repullulabant, quamvis tum tyro nec monstris assuetus, cum illa excetra certavit in Lerna, palude Argivorum, Inacho primum regnatorum; quam conflictus iste. *Quamvis rudis.*] Adhuc inexercitatus, quod is labor inter primos numeretur. *Inachiis undis.*] Palude Argivorum.

635. *Defectam.*] Truncam. *Anguibus.*] Capitibus.

637. *Numquam sævæ, &c.*] Neque Junoni Herculis interitum anquirenti, major ex ullo laborum illi inflictorum spes hominem perdendi quam ex hoc.

639. *Siccam cum, &c.*] Non ita sudoribus exhaustam cum Atlanti succurrens sustineret humeris cœlum.

641. *Non expectatis.*] Antequam ab Hercule prosterneretur, ipse ultro labitur.

642. *Majorque.*] Validior.

643. *Quis-*

Digitized by Google

Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus
Egeritur: tellusque viro luctante laborat.
645 *Ut tandem auxilium tacta prodesse parentis*
Alcides sensit: standum est tibi, dixit, & ultrà
Non credere solo, sternique vetabere terra:
Hærebis pressis intra mea pectora membris:
Huc Antæe cades. sic fatus, sustulit altè
650 *Nitentem in terras juvenem. morientis in artus*
Non potuit nati Tellus summittere vires.
Alcides medium tenuit. jam pectora pigro
Stricta gelu, terrisque diu non credidit hostem.
Hinc ævi veteris custos famosa vetustas,
655 *Miratrixque sui signavit nomine terras.*
Sed majora dedit cognomina collibus istis,
Pœnum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem
Scipio. nam sedes Libyca tellure potito
Hæc fuit. en veteris cernis vestigia valli.
660 *Romana hos primùm tenuit victoria campos.*

Curio

643. *Quisquis inest terris*] In Antæum transit vis Terræ, dum filio robur suggerit, exhaustæ.

649. *Huc Antæe cades.*] In pectus meum: non gremium terræ.

650. *Nitentem in terras juvenem.*] In terras delabi volentem Antæum.

651. *Submittere vires.*] Sequor Ms. T. & P. qui habent *permittere*, non vulgari significatu; sed eo, qui indicat, mitti aliquid tam feliciter, ut pertingat. *Grotius.*

652. *Medium tenuit.*] Sublevatum, inter cœlum & terram, neque dimissum nisi morte prius rigentem.

654. *Hinc ævi veteris.*] Hinc veteres volentes sibi temporis gesta posteris commendare, indiderunt huic loco nomen. *Antæi regna & monumentum.* Plin. lib. 5. c. 1. *Famosa vetustas.*] Quæ famam rerum gestarum ad posteros transmittit: alioqui ferè in malam partem accipitur, pro eo qui malam habet famam. *Hortens.*

656. *Sed majora dedit, &c.*] Serior utcunque, sed clarior nominis gloria his collibus, ex *Castris Cornelianis.* Namque hic primus castrorum locus C. Scipioni. qui Cos. traductis in Africam copiis duo eadem nocte hostium castra incendit, Syphacem regem cepit, Hannibalem 16. jam annos in Italia bellantem vincentemque revocavit in Africam ad sua tutanda.

658. *Nam sedes Libyca.*] Est is locus jugum directum, eminens in mare, utraque ex parte præruptum atque asperum, sed paulo tamen leniore fastigio ab ea parte quæ ad Uticam vergit. abest directo ab Utica paulo amplius passus mille, sed propter restagnationem maris, sex millium circuitu in oppidum pervenitur.

660. *Romana, &c.*] Romanus qui pri-

Digitized by Google

Curio lætatus, tanquam fortuna locorum
Bella gerat, servetque ducum sibi fata priorum,
Felici non fausta loco tentoria ponens,
Indulsit castris, & collibus abstulit omen,
665 *Sollicitatque feros non æquis viribus hostes.*
Omnis Romanis quæ cesserat Africa signis,
Tunc Vari sub jure fuit: qui robore quanquam
Confisus Latio, regis tamen undique vires
Excivit Libycæ gentis, extremaque mundi
670 *Signa suum comitata Jubam. non fusior ulli*
Terra fuit domino: quà sunt longissima regna,
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: à medio, confinis Syrtibus Ammon.

At

primam in Africa de Pœnis reportavit victoriam, his collibus castra habuit.

661. *Curio lætatus, &c.*] Redit à digressione ad institutum.

662. *Ducum sibi fata priorum.*] Scipionum African. majoris & minoris.

663. *Indulsit castris.*] Operam dedit, incubuit metandis castris. *Hortensius. Omen.*] Prioris felicitatis victoriæque auspicium.

665. *Sollicitat.*] Provocat. *Non æquis, &c.*] Duabus legionibus & D. equitibus. supra ✠ſ. 583. *Hostes.*] Varum & Afros, quibus, viribus par non erat.

666. *Omnis Romanis, &c.*] Tubero à Pompejo missus cum imperio in Africam, portu & oppido Uticæ prohibitus est ab Atio Varo, qui ad Auximum amissis cohortibus protinus ex fuga in Africam pervenerat, atque eam sua sponte vacuam occupaverat, delectuque habito duas legiones effecerat, hominum & locorum notitia & usu ejus provinciæ nactus aditus ad ea conanda, quod paucis ante annis ex prætura eam provinciam obtinuerat. Comm. civ. bell. 1. & Cic. pro Ligario.

668. *Latio.*] Militum Italicorum. *Regis tamen, &c.*] A Juba tamen rege Mauritaniæ socio & amico Pompeji, auxilia petiit, atque accepit primum DC. equites Numidas & pedites CCCC. mox regem ipsum cum magnis copiis.

669. *Libycæ gentis.*] Malim *Libyæ gentes*, ut sit explicatio ejus, quod præcessit, *regis vires*; & cohæreat cum sequentibus. *Grotius. Extremaque, &c.*] Infra ✠ſ. 672.

670. *Non fusior ulli, &c.*] Non alius rex latius extendit imperium.

671. *Quà sunt longissima regna.*] In longitudinem extenduntur ab ultimo litore occiduo, qua Atlante terminatur Africa, long. gr. 6. usque ad Ammoniacam regionem, long. gr. 55.

672. *Gadibus Atlas.*] Inf. extra fretum Herculeum, in ora Bæticæ Hispaniæ. has opponit poëta Atlanti, sed quam recte, consules Geographos. excusabilisque, poëtis *quidlibet audendi essè potestatem.* vide lib. 1. ✠ſ. 555.

673. *Syrtibus Ammon.*] De Syrtibus, lib. 1. ✠ſ. 367. de Jove Ammone, lib. 9. ✠ſ. 5. 1. & lib. 10. ✠ſ. 38. qui tamen à propiore Syrtium distat in long. 8. gr.

At quà lata jacet, vasti plaga fervida regni
675 *Distinet Oceanum, Zonaque exusta calentis*
Sufficiunt spatio. populi tot castra sequuntur,
Autololes, Numidæque vagi, semperque paratus
Inculto Gætulus equo: tum concolor Indo
Maurus, inops Nasamon, misti Garamante perusto
680 *Marmaridæ volucres, æquaturusque sagittas*
Medorum, tremulum cùm torsit missile, Mazax:
Et gens, quæ nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit frænorum nescia virga:
Et solitus vacuis errare mapalibus Afer
685 *Venator, ferrique simul fiducia non est,*

Vesti-

674. *At quà lata jacet.*] Secundum latitudinem dicit Jubæ regnum extendi ad zonam torridam & ulterius.

675. *Distinet.*] Hinc & inde tenet & exporrigitur sub torrida zona. *Sulpit.*

676. *Sufficiunt spatio.*] Extenduntur in spatium & implent eam. *Tot castra sequuntur.*] Quasi dicat, numerosa. *Sulpitius.*

677. *Autololes.*] Mauritaniæ Tingitanæ pop. *Numidæque vagi.*] Nomadas respicit, domos plausstris circumferentes. Salust. de bel. Jug.

678. *Gætulus equo.*] Libyæ interioris gens equis insidens, non stratis ephippiis. quos mox vs. 603. *nudos* vocat.

679. *Inops Nasamon.*] In litore sterili Arenosæ Syrtis victitans. lib. 9. vs. 410. & 458. *Garamante.*] Alii Nasamones deserta & arenosa Marmaricæ, vel ut alii, Libyæ colunt.

680. *Marmaridæ volucres.*] Africæ min. pop. Ægyptum versus, pedibus velox. *Æquaturusque sagittas, &c.*] Et Mazax qui torquet missilia non minore vi & dexteritate quam Medi Parthique sagittas mittunt.

681. *Medorum, tremulum cum torsit missile, Mazax.*] Perperam legitur *Mazax.* Et apud Suetonium: *armillata & phalerata Mazucum turba, &c.* τῶν Μαζυῶν. Nulli sunt in Africa *Mazaces* populi, sed *Mazuces* aut *Maryces*, inde & *Maricæ.* Stephanus: Μάζυες, οἱ Λιβύες Νομάδες. Ἐκφυλοι & ἀδεκηγόροι. Μάζυς, *Marux.* Nemesianus:

Quemque coloratus Mazax deserta per arva
Pavit, & assiduus docuit tolerare labores.

Male *Mazax.* sic Βύζας, Latinis *Byzax.* Salmas. Plin. 320.

682. *Nudo residens.*] Non ephippiis strato. *Massylia dorso.*] Massyli, Virg. 4. Æneid. *Infreni Numidæ* dicti. *Numidæ gens inscia fræni, &c. Cujus equum flectit non cedens virga lupatis.* Sil. Ital. 1. Μασσαίσυλοι μιχθεῖς ἵππῳ ἀνεύρδμοι, ὀξέσι δὲ κὴ ἀπειθεῖσιν, ὡς ἀπὸ βαθέος οἰκίζεσθαι. Strabo lib. ultim. & Martial. lib. 9. epigr. 23. equi sine frænis, &c. Liv. 55. Polyb. *Nam flecti facilis, Lasciveque colla secutus Parct in obsequium tentæ moderamine virgæ. Verbera sunt præcepta fugæ, sunt verbera fremi.* Nemesian.

685. *Ferrique simul fiducia non, &c.*] Non confidit ferro, sed injecta veste leones superat. Leonum summa vis in oculo

Digitized by Google

Vestibus iratos laxis operire leones.
Nec solum studiis civilibus arma parabat,
Privata sed bella dabat Juba concitus irâ.
Hunc quoque, quo superos humanaque polluit anno,
690 *Lege Tribunitia solio depellere avorum*
Curio tentârat, Libyamque auferre tyranno,
Dum regnum te Roma facit. memor ille doloris
Hoc bellum sceptri fructum putat esse retenti.
Hac igitur regis trepidat jam Curio fama,
695 *Et quòd Cæsareis nunquam devota juventus*
Illa nimis castris, nec Rheni miles in undis
Exploratus erat, Corsini captus in arce,
Infidusque novis ducibus, dubiusque priori,
Fas utrunque putat. sed postquam languida segni
700 *Cernit cuncta metu, nocturnaque munia valli*

Deso-

oculo creditur. Getuli itaque contra impetum ingruentis leonis objiciunt sagum. Plin. lib. 8. cap. 16.

687. *Nec solum studiis civilibus, &c.*] Jubæ & paternum hospitium cum Pompejo, & simultas cum Curione intercedebat, quod Tribunus pl. legem promulgaverat, qua regnum Jubæ publicaverat. Comm. civ. bell. 2.

689. *Quo superos humanaque polluit anno Lege Tribunitia.*] Quo anno ipse Tribunus à Cæsare corruptus (lib. 1. ℣. 209. & infra ℣. 819.) Cæsaris causam tuebatur, mox Cæsarem incitabat, quo facto & humana omnia & divina miscuit.

692. *Dum regnum te Roma facit.*] Dum unius (Cæsaris scil.) dominationi Romam subjicere parat. *Memor ille doloris, &c.*] Juba injuriæ memor, regnum se retinuisse vel ob hoc gaudet, quod Curionem ulciscatur.

693. *Sceptri fructum retenti.*] Retinuisse regnum vel ob hoc gaudet, ut Curioni posset malefacere. *Grot.*

694. *Hac igitur regis trepidat jam Curio fama.*] Curionem regis advenientis fama perterritum & hoc male habebat, quod parum confideret militibus suis, neque veteranis Cæsariis, qui sub eo in Gallia & Germania militavèrant: neque firmæ satis fidei, ut qui Pompejo sacramentum dixerant, & Domitio duce suo Corsinii tradito Cæsari, missi in Siciliam cum Curione fuerant.

696. *Nec Rheni miles.*] Quia hos milites, neque Gallico, neque Germanico bello exploratus fuerat; sed Tyrones erant, qui Corsinii Pompejo sacramentum sub Domitio dixerant, ideo minus illis fidebat.

698. *Novis ducibus.*] Cæsari & Curioni. *Priori.*] Pompejo.

699. *Fas utrunque putat.*] Cum utrique dixissent sacramentum: alterum deserere, alteri adhærere. *Postquam, &c.*] Postquam advertit exercitum munia officiaque sua detrectare, ad defectionem spectare, huc solicitatos à Quintilio Varo, qui fuerat cum iis Corsinii, jamque erat cum Atio Varo: hæc secum deliberat.

Digitized by Google

Desolata fuga, trepida sic mente profatur:
Audendo magnus tegitur timor: arma capessam
Ipse prior: campum miles descendat in æquum,
Dum meus est: variam semper dant otia mentem.
705 *Eripe consilium pugnæ: cùm dira voluntas*
Ense subit presso, galea texêre pudorem,
Quis conferre duces meminit? quis pendere causas?
Quà stetit, inde favet: veluti fatalis arena
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
710 *Productos: odêre pares. Sic fatus, apertis*
Instruxit campis acies: quem blanda futuris
Deceptura malis belli fortuna recepit.
Nam pepulit Varum campo, nudataque fœda
Terga fuga, donec vetuerunt castra, cecidit.

Tri-

702. *Audendo magnus tegitur timor.*] Audendum est aliquid in prælia, simul ut timorem meum dissimulem, simul suspicionem de militum meorum fide tegam, imo tollam. Qui enim jam ociosi ducum meritis & belli causis expendendis vacant; mox, armati & in aciem producti, partibus quas sibi sequendas sumpserunt, stabunt, obliti causarum, ducum, sui.

704. *Variam mentem.*] Intermissiones variant consilia, maxime per quietem nocturnam, quâ animus dubius, quod optimum factu sit, præsens tandem arripit consilium. *Hortens.*

705. *Eripe consilium pugnæ.*] Id rectius quam *pugnæ*. Sequentia quoque aliter quam ante distinximus. Vult enim à vacuo milite expendi caussarum justa, ducum merita: ubi in acie steterint, hæc cessare. Probant hanc nostram conjecturam Ms. P. Etiam Ms. T. manu secunda. *Grotius. Cum dira voluntas, &c.*] Quando statuunt tectis gladiis ad hostes meos deficere. *Hortensius.*

707. *Quis conferre duces, &c.*] Quis eos inter se comparare ausus fuit, & expendere utrius caussa justior sit. *Hortensius.*

708. *Qua stetit, inde favet.*] A cujus parte miles stetit, illi plus favet; quam illi, ad quem coactus venit. *Hortens. Veluti fatalis arena Muneribus.*] Sicut in muneribus gladiatoriis, non odium aut simultas committit gladiatores in lethale arenæ certamen; sed ipsa parium compositio & æmula virtus.

711. *Quem blanda futuris, &c.*] Cui, fortuna, ipsum deceptura, principio favit. nam primum cum Numidis prospere pugnavit, Imperatorque est appellatus. Inde Varum pepulit, &c. *Blanda malis futuris.*] Alliciens in futuram cædem.

712. *Recepit.*] Excepit. *Sulpit.*

713. *Nam pepulit Varum, &c.*] Siquidem primum è Numidis equitibus, CXX. cæsis, reliquos in castra compulit. Varum mox in castra ad oppidum non sine magna Varianorum cæde fugavit, ita ut timens castris de tertia vigilia silentio exercitum in oppidum reduceret.

715. *Tri-*

715 *Tristia sed postquàm superati prœlia Vari*
Sunt audita Jubæ: lætus quòd gloria belli
Sit rebus servata suis, rapit agmina furtim,
Obscuratque suam per jussa silentia famam;
Hoc solum metuens incautus ab hoste timeri.
720 *Mittitur, exigua qui prœlia prima lacessat,*
Eliciatque manu, Numidis à rege secundus,
Ut sibi commissi simulator Sabbura belli:
Ipse cava regni vires in valle retentat:
Aspidas ut Pharias cauda solertior hostis
725 *Ludit, & iratas incerta provocat umbra:*
Obliquansque caput vanas serpentis in auras
Effusæ toto comprendit guttura morsu
Letiferam citra saniem: tunc irrita pestis
Exprimitur, faucesque fluunt pereunte veneno.
730 *Fraudibus eventum dederat fortuna: feroxque*

Non

715. *Tristia sed postquam.*] Narrare nunc incipit Fortunæ ludibrium; hoc est, transit ad pugnam adversam Curionis, in qua infeliciter non modo pugnavit, sed miserè periit. *Hortens.*

716. *Lætus quod gloria belli.*] Lætus fuit victoriam de Curione sibi servatam esse.

717. *Rapit agmina furtim.*] Raptim collectas copias ducit clanculum, ne adventus sui fama ad Curionem perveniret, cavens.

719. *Hoc solum metuens, &c.*] Improvisus hactenus, hoc solum timebat ne à Curione timeretur, atque ita prælii & rei gerendæ non daretur occasio.

720. *Mittitur, &c.*] Curio, accepto regis adventu, se in Corneliana castra receperat. præmittit rex Saburam præfectum ejus, cum parvis copiis, qui & rumorem spargeret ipsum Jubam revocatum finitimo bello & controversiis Leptitanorum restitisse in regno. simulque subtractum è castris Curionem in prœlium elicieret.

723. *Ipse cava regni, &c.*] Rex cum omnibus copiis insequebatur, & sex M. pass. intervallo à Sabura consederat.

724. *Aspidas ut Pharias, &c.*] Neque aliter Curionem delusit Juba, quam solet Aspidem Ægyptiam Ichneumon, quam hebetes habentem oculos, eosque non in fronte sed in temporibus, Ichneumon caudæ suæ umbra provocat, attollentem autem ictus irritos aversus excipit, donec obliquo capite speculatus invadat in fauces aspidis virus effundentis, sed citra noxam hostis. Plin. lib. 8. cap. 24. & Nicander in Thoriacis.

726. *Vanas serpentis in auras Effusæ.*] Exilientis in umbram caudæ *Sulpit.*

728. *Irrita pestis, &c.*] Virus incassum effunditur.

730. *Fraudibus eventum, &c.*] Curio, ex perfugis quibusdam oppidanis audito Saburam adesse tantum cum levibus copiis, regem domi restitisse, adolescentiæ fervore, magnitudine animi, superioris temporis proventu, fidu-

Digitized by Google

Non exploratis occulti viribus hostis,
Curio nocturnum castris erumpere cogit,
Ignotisque equitem latè decurrere campis.
Ipse sub Aurora primos excedere motus
735 *Signa jubet castris, multùm, frustraque rogatus*
Ut Libycas metuat fraudes, infectaque semper
Punica bella dolis. leti fortuna propinqui
Tradiderat fatis juvenem: bellumque trahebat
Auctorem civile suum. super ardua ducit
740 *Saxa, super cautes abrupto limite signa.*
Cùm procul è summis conspecti collibus hostes
Fraude sua cessêre parum, dum colle relicto
Effusam patulis aciem committeret arvis.
Ille fugam credens, simulatæ nescius artis,
745 *Ut victor, medios aciem projecit in agros.*
Tunc primùm patuêre doli, Numidæque fugaces
Undique completis clauserunt montibus agmen.
Obstupuit dux ipse simul, perituraque turba.
Non timidi petiêre fugam, non prœlia fortes:

Quip-

cia rei bene gerendæ, supra omnia fato civilis ab eo excitati commotique belli pœnas poscente, equitatum omnem prima nocte ad castra hostium mittit, qui oppressos somno & dispersos hostes, ad magnum numerum confecit. *Eventum dederat.*] Fortuna dedit successum dolis regis. *Hortens.*

731. *Occulti viribus hostis.*] Regis insidiis, modo ad ✠ſ. 720.

732. *Curio nocturnum, &c.*] Curio cum omnibus copiis quarta vigilia exit, equites suos redeuntes convenit, è captivis quærit quis castris præsit, respondent *Saburam.*

735. *Frustraque rogatus.*] A Cn. Domitio præfecto equitum.

738. *Bellumque, &c.*] Ut modo, versu 730.

742. *Fraude sua cessere parum.*] Sabura suis imperaverat, ut simulatione timoris, paulatim cederent, ac pedem referrent: sese cum opus esset, signum prælii daturum.

744. *Ille fugam credens, &c.*] Curio ad superiorem spem addita præsentis temporis opinione, hostes fugere arbitratus, copias ex locis superioribus in campum deducit.

745. *Projecit in agros.*] Magis probem, quod est in Mss. *dejecit*, ex colle scilicet in planitiem. *Grotius.*

746. *Doli.*] A rege subsecuto, summissis auxiliis, hostium copias augeri, signo à Sabura dato equitatu hostium ab utroque cornu aciem nostram circumveniri. *Numidæque, &c.*] Spem unam salutis, proximos colles jubet suos capere Curio. hos præoccupat missus à Sabura equitatus.

749. *Non timidi petiere fugam.*] Lassatis scil. ex itinere & prælio nocturno equis,

Digitized by Google

750 *Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum*
Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frænos
Ora terens, spargitque jubas, & surrigit aures,
Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.
Fessa jacet cervix. fumant sudoribus armi:
755 *Oraque projecta squalent arentia lingua:*
Pectora rauca gemunt, quæ creber anhelitus urget:
Et defecta gravis longè trahit ilia pulsus:
Siccaque sanguineis durescit spuma lupatis.
Jamque gradum neque verberibus, stimulisque coacti,
760 *Nec, quamvis crebris jussi calcaribus, addunt.*
Vulneribus coguntur equi, nec profuit ulli
Cornipedis rupisse moras: neque enim impetus illis
Incursusque fuit: tantum profertur ad hostes,
Et spatium jaculis oblato vulnere donat.
765 *At vagus Apher equos ut primum emisit in agmen:*
Tunc campi tremuêre sono: terraque soluta,
Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis,
Aëra nube sua texit, traxitque tenebras.

Ut

equis, ut versic. insequente, &c. atque septis undique peditibus stipatisque, ita ut vix arma movendi daretur locus, ut mox ℣. 772. *Non prælia fortes.*] Equites labore confecti, & pauci, numero CC. (reliqui enim in itinere substiterant) quamcunque in partem impetum fecerant, hostes loco cedere cogebant. sed neque longius fugientes prosequi, nec vehementius equos incitare poterant, Com. civ. bel. 2.

750. *Non sonipes, &c.*] Non ferocis equi *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.*

753. *Incertoque pedum, &c.*] Neque uti fortis equus & recens stare loco novit.

754. *Fessa jacet cervix.*] Sed fessa jacet, &c.

760. *Addunt.*] Accelerant.

761. *Nec profuit ulli, &c.*] Neque enim profuit incitasse equum in hostem, debilis namque lassati equi incursus eo usque tantum provehebatur quo jaculis hostium equitem exponeret.

763. *Tantum profertur ad hostes.*] Eousque solum stimulis & calcaribus impellitur, ut ægrè ad hostes perveniat, & præsens atque inevitabile vulnus accipiat. *Hortens.*

765. *At vagus Apher, &c.*] Numidarum vero equitum concitato cursu tremuere campi & pulvereæ nubes atque tenebræ inductæ, pulvere, tanquam vi Boreæ è Thracia flantis excitato.

766. *Terraque soluta.*] Dissoluta in pulverem.

767. *Bistonio, &c.*] Thracio, Septentrionali. Bistonis signum est & regio Thraciæ.

Digitized by Google

Ut verò in pedites fatum miserabile belli
770 *Incubuit : nullo dubii discrimine Martis*
Ancipites steterunt casus, sed tempora pugnæ
Mors tenuit. neque enim licuit procurrere contrà,
Et miscere manus. sic undique septa juventus
Comminus obliquis, & rectis eminus hastis
775 *Obruitur : non vulneribus, nec sanguine, solùm*
Telorum nimbo peritura, & pondere ferri.
Ergo acies tantæ parvum spissantur in orbem :
Ac, si quis metuens medium correpsit in agmen,
Vix impunè suos inter convertitur enses.
780 *Densaturque globus, quantum pede prima relata*
Constrinxit gyros acies. non arma movendi
Jam locus est pressis : stipataque membra teruntur.
Frangitur armatum collisso pectore pectus.
Non tam læta tulit victor spectacula Maurus
785 *Quàm fortuna dabat ; fluvios non ille cruoris,*
Membrorumque videt lapsum, & ferientia terram
Corpora : compressum turba stetit omne cadaver.
Excitet invisas diræ Carthaginis umbras

Infe-

770. *Nullo dubii, &c.*] Certa erat facilisque victoria, neque pugnæ mora longior, quam quæ Romanis interficiendis sufficeret.

771. *Sed tempora pugnæ Mors tenuit.*] Tempus quod pugnando conterendum fuisset, occidendo consumptum est. *Sulpitius.*

773. *Miscere manus.*] Conserta pugna contendere.

776. *Telorum nimbo peritura.*] Telorum, instar grandinis fusorum multitudine & pondere.

779. *Suos inter convertitur enses. Densaturque globus.*] Suorum, globo condensatorum, dum ii, qui ab exteriori parte globi erant, referrent pedem cederentque introrsum ad declinandos hostium ictus.

783. *Frangitur armatum, &c.*] Corpora armata armatis corporibus illisa dissiliebant, frangebanturque.

784. *Non tam læta, &c.*] Neque tam lætam ex cæde Romanorum voluptatem perceperunt Mauri, quam fortuna dabat, cum non fluvios sanguinis, non mutilata & cadentia viderent corpora, ut quæ constricta & stipata sustinerent se invicem, neque cæsa deciderent ad terram : sic arbores, lib. 3. ✠. 445.

788. *Excitet invisas diræ Carthaginis, &c.*] Invitet excitatas Carthaginensium umbras Fortuna ad hæc parentalia. retulerunt quippe victorum nepotes inferias Annibali, abunde parentaverunt hac cæde animis Pænorum à suis cæsorum.

791. *Re-*

Digitized by Google

Inferiis fortuna novis: ferat ista cruentus
790 *Annibal, & Pœni tam dira piacula manes.*
Romanam, Superi, Libyca tellure ruinam
Pompejo prodesse nefas, votisque Senatus.
Aphrica nos potiùs vincat sibi. Curio fusas
Ut vidit campis acies, & cernere tantas
795 *Permisit clades compressus sanguine pulvis,*
Non tulit afflictis animam producere rebus,
Aut sperare fugam: ceciditque in strage suorum
Impiger ad letum, & fortis virtute coacta.
Quid nunc rostra tibi prosunt turbata, forumque,
800 *Unde Tribunitia plebeius signifer arce*
Arma dabas populis? quid prodita jura Senatus,
Et gener, atque socer bello concurrere jussi?
Ante jaces, quàm dira duces Pharsalia confert,
Spectandumque tibi bellum civile negatum est.
805 *Has urbi miseræ vestro de sanguine pœnas*

Ferre

791. *Romanam, &c.*] Indoluere certe Senatus Pompejusque in suæ causæ emolimentum cecidisse tot cives Rom. mallentque victoriam hanc Afrorum nomine, quam suo relatam. *Superi, Libyca tellure, &c.*] In Deos exclamat, quod tantam cædem passi sunt fieri nulla reipub. utilitate. melius enim Afri Romam subjugassent, quam quod libertate amissa, perpetuo sub Cæsaribus serviamus. *Sulpit.* Glareanus exponit, quod Poëta velit, tum Pompejum, tum Senatum tam pium ac magnanimum videri, ut malit Afros vincere Romanos sibi, quam Pompejo ac senatui.

793. *Curio fusas, &c.*] Hortatus est Curionem Cn. Domitius, præfectus equitum, cum paucis circumsistens, ut fuga salutem peteret, seque in castra reciperet: se ab eo non discessurum pollicitus. At Curio nunquam, amisso exercitu, quem à Cæsare fidei suæ commissum acceperat, se in ejus conspectum reversurum confirmavit, atque ita prælians interfectus est. Com. civ. bel. 2.

799. *Quid nunc, &c.*] Insultatio, adjecta commiseratione.

800. *Unde Tribunitia, &c.*] Tribunitiæ conciones non raro fuerant populi incitamenta, seditionum faces, classica tumultuum. Curio autem trib. pl. fuerat Cæsari inimicissimus, mox ab eo liberatus ærè grandi alieno, redemptusque auro, acerrimè pro Cæsare stetit, & cum tribunis pl. ad Cæsarem ex urbe tandem profugit, non parvus belli hujus civilis concitator. ut l. 1. ℣. 270. &c.

801. *Prodita.*] Ære corrupta & prodita à te.

802. *Gener.*] Pompejus & Cæsar commissi.

803. *Ante jaces, &c.*] Neque tamen contigit tibi exitum hujus belli in pugna illa Pharsalica videre.

805. *Has urbi miseræ.*] Deinde Poëta ecphonesin suam avertit ad civitatis pri-

Ferre datis: luitis jugulo sic arma potentes.
Felix Roma quidem, civesque habitura beatos,
Si libertatis superis tam cura placeret,
Quàm vindicta placet. Libycas en nobile corpus
810 *Pascit aves, nullo contectus Curio busto.*
At tibi nos (quandò non proderit ista silere
A quibus omne ævi senium sua fama repellit,)
Digna damus, juvenis, merita præconia vitæ.
Haud alium tanta civem tulit indole Roma,
815 *Aut cui plus leges deberent recta sequenti.*
Perdita tunc Urbi nocuerunt secula, postquam
Ambitus, & luxus, & opum metuenda facultas
Transverso mentem dubiam torrente tulerunt.
Momentumque fuit mutatus Curio rerum,
820 *Gallorum captus spoliis, & Cæsaris auro.*
Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense

Sylla

primarios; qui simili fortuna luant civilia bella, quæ ipsi vel concitarunt; vel sua temeritate & amentia susceperunt. *Hortens.*

806. *Jugulo sic.*] Morte vestra. *Arma potentes.*] Contra Rempubl. suscepta.

808. *Si libertatis superis, &c.*] Si deos æqua tangeret cura indulgendi nobis libertatis assertores, quam ulciscendi libertatis oppressores. *Necumquam*, inquit Tacitus, *atrocioribus populi Rom. cladibus, magisve justis judiciis approbatum est, non esse curæ Deis securitatem nostram, esse ultionem.*

810. *Nullo contectus Curio busto.*] Inhumatus, præda avibus Libycis.

811. *Quando non, &c.*] Cur enim taceam virtutes ejus & merita? quæ innumeris seclis canescentia per omne ævi tempus plenis gloriæ velis ferentur.

812. *Senium repellit.*] Pro oblivione & temporum injuria usurpat, qua rei memoria intercidere potest. *Hortens.*

814. *Haud alium tanta, &c.*] Erat certe summa indole, eloquentiæ laude claruit, legum propugnator acerrimus, quandiu incorruptus stetit Reip. status.

816. *Perdita tunc, &c.*] Verum corruperunt illum perdiderantque perditi civitatis mores, ambitio, luxus, avaritia. *Urbi.*] Id rectius quam *Orbi*, ob ea quæ præcedunt. *Grotius.*

818. *Transverso mentem, &c.*] A recto, bono & æquo mentem Curionis abripuere.

819. *Momentumque fuit, &c.*] Atque ita mutatus & à Cæsare corruptus dignitatem & causam ejus pertinaciter tuebatur neque minima civilis belli fax, ut qui Cæsari stimulos addiderit, ut per quem plurimi in Cæsaris partes inclinarint.

820. *Gallorum captus spoliis, &c.*] Sexcenties H. S. æris alieni contraxerat Curio. Val. Max. lib. 9. cap. 1. quo liberavit eum Cæsar.

821. *Jus licet in jugulos.*] Non improbanda lectio hæc. At Ms. P. *Jus licet*

Digitized by Google

Sylla potens, Mariusque ferox, & Cinna cruentus:
Cæsareæque domus series; cui tanta potestas
Concessa est: emêre omnes, hic vendidit Urbem.

M. AN-

et in jugulos nostro sibi fecerit ense Sylla potens, &c. Quasi dicat Romanos Romanis armis subactos; sicut alius dixit, provincias provinciarum sanguine vinci. *Grot. Jus licet in jugulos, &c.*] Sylla quidem Marius, Cinna, &c. vi oppresserunt libertatem, invaserunt Remp. neque id tamen sine summa impensa largitionum & stipendiorum, illi emerunt, hic vendidit.

823. *Cæsareæque domus series.*] Cæsaris successores, quibus permissus fuit Imperii clavus.

824. *Hic vendidit Urbem.*] *Vendidit hic auro patriam, dominumq; superbum Imposuit.* Virg. 6. Æneid.

I. Sic

M. ANNÆI LUCANI

CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ,

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

QUintus in Ægypto narrat te Magne Senatum
Constituisse Ducem: tum Delphica consulit antra
Appius, & domitis rediens jam Cæsar Iberis;
Componit sævos intra sua castra tumultus.
Et Dictator abit, nec non & Consul ab urbe
Brundusium, classem recipit, Pharsalia cymba
Pene Ducis periit temeraria: navigat inde
Marcus, & in Lesbum te vir, Cornelia, mittit.

SIc alterna duces bellorum vulnera passos
In Macedûm terras, miscens adversa secundis,
Servavit fortuna pares. Jam sparserat Æmo
Brûma nives, gelidoq; cadens Atlantis Olympo:
Insta-

1. *SIc alterna.*] Epiphonemate inconstantiam Fortunæ, qua nunc hic, nunc ille victor evaserat, Quintum librum orditur. *Hortensius. Duces bellorum, &c.*] Pompejum, Italia pulsum, Massilia expugnata, & exercitibus cum Hispaniis amissis: Cæsarem, navali clade in Adriatico accepta, & Curione cum exercitu in Africa cæso.

3. *Servavit Fortuna pares.*] Alternante tamen fortuna, reservati sunt pares de summa rerum dimicaturi in Pharsalica pugna. *Jam sparserat.*] Hyemis notatio. *Æmo.*] Thraciæ monte.

4. *Gelidoque cadens Atlantis, &c.*] Cave illud *Atlantis* secundo casu accipias. Significat enim ex occasu Vergiliarum mensem Decembrem. *Grotius. Atlantis Olympo.*] Patronym. fœm. Maia vel alia è filiabus Atlantis. *Syneed.* Atlantides, Pleiades occiderant Cosmice. quod fit circiter 3. Id. Novemb.

5. *Dies,*

Digitized by Google

5 *Instabatque dies, qui dat nova nomina fastis,*
Quique colit primus ducentem tempora Janum.
Dum tamen emeriti remanet pars ultima juris,
Consul uterque vagos belli per munia Patres
Elicit Epirum. peregrina ac sordida sedes
10 *Romanos cepit proceres: secretaque rerum*
Hospes in externis audivit curia tectis.
Nam quis castra vocet tot strictas jure secures,
Tot fasces? docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.
15 *Ut primùm mœstum tenuêre silentia cœtum,*
Lentulus excelsa sublimis sede profatur:
Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis, non qua tellure coacti,
Quamque procul tectis captæ sedeamus ab urbis
20 *Cernite: sed vestræ faciem cognoscite turbæ:*
Cunctaque jussuri primùm hoc decernite Patres,
Quod regnis, populisque liquet, nos esse Senatum.

Nam,

5. *Dies, dat nova, &c.*] Cal. Januarii. quo die creati novi consules, eorumque nomina præfigebantur sui anni Fastis, id est, libris singulorum annorum descriptiones & gesta continentibus.

6. *Quique colit primus, &c.*] Festus nomine Jani, choragi, capitis, patris, ducisque insequentis anni. Ovid. Fast. 1. Martial. lib. 8. ep. 2.

7. *Dum tamen.*] Nondum plane peracto potestatis suæ consularis tempore. *Emeriti remanet, &c.*] Metaph. à militia. lib. 3. ✠ f. 632.

8. *Consul uterque, &c.*] Lentulus & Marcellus Coss. in Epirum convocaverunt Senatores per officia belli dispersos.

9. *Elicit Epirum.*] Pro in Epirum. Epirus celebris olim regno Pyrrhi.

10. *Secretaque rerum.*] Arcana Senatus deliberantis consilia.

11. *Hospes curia.*] Quæ jam in externas terras translata erat. *Hortens. In externis.*] In terra & urbe aliena.

12. *Nam quis castra, &c..*] Quidni enim appellem curiam potius Senatorum, quam castra Pompeji, ubi tot simul legitimi magistratus cum insignibus suis, fascibus & securibus?

13. *Docuit populos, &c.*] Et tot conspecti simul venerabiles Senatores docuerunt populos & gentes quæ confluxerant, non convenisse omnes in partes Pompeji, sed & ipsum Pompejum fuisse partem [illegible]tus.

15. [illegible] *tenuêre, &c.*] *Hypallage.* cœtus [illegible]tus tenuit silentia.

17. *Indole si dignum Latia.*] Si vera illa & prisca virtus Romana animis vestris insideat, nolite expendere ubi simus: sed ex tot senatorum, ac civium præsentia, succurrat vobis, qui simus.

22. *Quod regnis, &c.*] Facto à vobis

Nam, vel Hyperboreæ plaustrum glaciale sub Ursæ,
Vel plaga quà torrens, claususque vaporibus axis
25 *Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles,*
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes. Tarpeia sede perusta
Gallorum facibus, Vejosque habitante Camillo,
Illîc Roma fuit. non unquam perdidit ordo
30 *Mutato sua jura solo. mœrentia tecta*
Cæsar habet, vacuasque domos, legesque silentes,
Clausaque justitio tristi fora. curia solos
Illa videt Patres, plena quos urbe fugavit.
Ordine de tanto quisquis non exulat, hîc est.
35 *Ignaros scelerum, longaque in pace quietos*
Bellorum primus sparsit furor: omnia rursus
Membra loco redeunt: en totis viribus orbis
Hesperiam pensant superi: jacet hostis in undis

Obru-

bis Senatus Consulto sciant populi, hic esse Senatum, quem penes est totius orbis terr. imperium.

23. *Nam, vel Hyperboreæ, &c.*] Quem Senatum si qua iniquæ Fortunæ procella raperet in oras Boreali Arcto vel torridæ zonæ subjectas; commigratura tamen sit Imperii summa.

24. *Plaga quà torrens.*] Circulus æquinoctialis æstu & caloribus constrictus, sub quo degentes perennem habent ἰσημερίαν. *Claususque vaporibus.*] Opponit plagæ frigidæ, intolerabilem æstum zonæ torridæ, quæ intrà duos tropicos Cancri & Capricorni, quos medius dividit æquinoctialis, continetur & quasi clauditur: & [illegible]um *vapores* vocat. *Hortens.*

25. *Nec iniquos soles.*] Æquinoctialis circulus non patitur noctes ac dies inæquales esse.

27. *Tarpeia sede perusta, &c.*] Confirmat ab exemplo, ibi Romam & imperium Romanum esse, ubi augustus ordo Senatorius. *Hortens. Tarpeia sede perusta.*] Lib. 1. ℣. 169. urbe Rom. *Synecdoche.* Neque enim Capitolium à Gallis incensum est.

28. *Veiosque habitante Camillo.*] Camillus exulabat Ardeæ: cui, inde evocato Veios, dictatura & rerum summa S. C. tradita est.

29. *Ordo.*] Senatorius.

30. *Mœrentia tecta, &c.*] Urbem Rom. occupavit Cæsar, vacuam, mœstam oppressis legibus & indicta juris dicundi intermissione tristem.

32. *Curia solos, &c.*] Illa quam Cæsar habet. Curia non videt alios Senatores quam eos quos ambitus, majestatis læsæ alteriusve noxæ damnatos, Cæsar urbi restitutos revocavit.

35. *Ignaros scelerum, &c.*] Sub primo belli civilis motu & trepidatione consternati diffugiebant; hos tandem in Epirum convenerunt tanquam in corpus suum, Senatores & alii ordines.

37. *Viribus orbis.*] Quæ in auxilium nostrum advenerunt.

38. *Hesperiam pensant superi.*] Italiam & Hi-

Obrutus Illyricis: Libyæ squalentibus arvis
40 *Curio Cæsarei cecidit pars magna Senatus.*
Tollite signa duces: fatorum impellite cursum:
Spem vestram præstate Deis: fortunaque tantos
Det vobis animos, quantos fugientibus hostem
Causa dabat. nostrum exhausto jus clauditur anno:
45 *Vos, quorum finem non est sensura potestas,*
Consulite in medium Patres, Magnumque jubete
Esse ducem. Læto nomen clamore Senatus
Excipit: & Magno fatum patriæque suumque
Imposuit. Tunc in reges, populosque merentes
50 *Sparsus honos, pelagique potens Phœbeia donis*
Exornata Rhodos, gelidique inculta juventus
Taygeti: fama veteres laudantur Athenæ:

Massi-

& Hispanias amissas. *Hostis in, &c.*] Vultejus cum rate Opiterginorum. supra lib. 4. ℣. 402.

39. *Libyæ, &c.*] Lib. 4. ℣. 581.

40. *Cæsarei cecidit pars magna Senatus.*] Cæsari intimus & summo in honore habitus, & quo cæso privatur Cæsar summo suo Senatore.

41. *Fatorum impellite cursum.*] Urgetefata & quo dii faventes vocant, cum bona fiducia sequimini.

42. *Fortunaque tantos, &c.*] Successus det vobis fortes animos ad persequendum libertatis hostem, non secus atque justitia causæ dedit vobis animum relinquendæ urbis, illo invadente.

44. *Nostrum exhausto, &c.*] Potestatis nostræ Consularis imperium cum anno exacto finem habet.

45. *Vos, &c.*] Vos Senatores quorum autoritas non est annua.

46. *In medium Patres.*] In commune. Quod vobis Reique pub. Bonum, Felix, Faustumque sit. *Magnumque jubete Esse ducem.*] Declarate Pompejum belli ducem. Quod & prius Capuæ factum, sed adjunctis Coss.

47. *Læto nomen clamore.*] Summo omnium applausu ac suffragiis decernitur summa rei Pompejo. *Hortens.*

48. *Fatum patriæque, &c.*] Publicæ & privatæ rei fatum, fortunam & administrationem.

49. *Tunc in reges, &c.*] Collaudati reges & populi de Repub. bene meriti, iisque honores habiti, qui Senatus auspicia sequuti auxilia attulerant miserantve, quorum nonnullos pergit enumerare. *Populosque merentes.*] Bene meritos de Republ. *Grotius.*

50. *Pelagique potens Phœbeia, &c.*] Rhodos insula Carpathii pelagi classe potens, Phœbo dilecta, cujus radius semel die vel maxime nubilo lustratur ob amatam, ut fabulantur, Rhoden virginem, colosso & templo Phœbi clara, ut quæ Phœbo sorte cesserit. Pindarus 7. Olymp. Horat. od. 7. lib. 1.

51. *Gelidique inculta, &c.*] Lacedæmonii. Taygetus mons in Laconica Eurotæ fluv. vicinus.

52. *Fama.*] Sapientiæ ne studiorum; an victoriarum Persicarum? *Veteres laudantur Athenæ.*] Αὐτόχθονας enim se esse volebant, cujus rei insignia gestabant in verticibus, cicadas aureas.

53. *Mas-*

Digitized by Google

Maßiliæque suæ donatur libera Phocis.
Tunc Sadalen, fortemque Cotyn, fidumque per arma
55 *Deiotarum, & gelidæ dominum Rhasipolin oræ*
Collaudant: Libyamque jubent auctore Senatu
Sceptrifero parêre Jubæ. prô tristia fata!
Et tibi non fidæ gentis dignißime regno,
Fortunæ Ptolemæe pudor, crimenque Deorum,
60 *Cingere Pellæo pressos diademate crines*
Permissum: sævum in populos puer accipis ensem:
Atque utinam in populos! donata est regia Lagi;
Accessit Magni jugulus: regnumque sorori

Ere-

53. *Maßiliæque suæ, &c.*] Et Phocis Achaiæ regia libertate donata æque ac Massylia colonia ejus, quam tamen à Phocensibus Asiæ deductam meminimus lib. 3. ℣. 340. *Libera Phocis.*] Phocis regio in Bæotia à qua Massilienses sunt oriundi, donata est libertate. *Sulpitius.*

54. *Tunc Sadalen, fortemque Cotyn.*] Equites ex Thracia D dedit Cotus & Sadalem filium misit. Com. civ. bel. 3. *Fidumque per, &c.*] DC. equites adduxit Galaniæ rex Deiotarus, pro quo extat oratio Ciceronis.

55. *Gelidæ dominum Rhasipolin.*] CC. ex Macedonia Rhasipolis, quibus ipse præerat, & ob Thraciam vicinam, *frigidam* nominat.

56. *Libyamque jubent auctore Senatu.*] Ex autoritate Senatus decernitur Africa Jubæ.

57. *Prô tristia fata.*] Quoniam autem Africæ meminit, quam Senatus præsidiis contra vim Cæsaris firmavit; per occasionem in perfidiam Ptolomæi pueri exclamat: qui quum eum tractum defendere debuisset, quod à Senatu in regnum confirmatus, Pompejum tutorem accepisset, eum postea ad se fugientem, sceleratè trucidavit, parricidium cum perfidia conjungens. *Hortens.*

58. *Non fidæ gentis, &c.*] Indigne regno fidæ gentis; *vel* digne regno non fidæ gentis.

59. *Fortunæ.*] Ἐλαφρῶς, qui futurus erat dedecori Diis & Fortunæ tam indignum evehentibus. *Crimenque Deorum.*] Culpam in Deos transfert & Fortunam, quod tantum pueri scelus ibi regnare jusserint, ubi Alexander orbis dominator regnavit & conditus fuit. *Hortens.*

60. *Cingere Pellæo, &c.*] Ut Dionysius hic Ptolomæus Auletæ filius, etiamnum puer Pompeji rogatu confirmaretur Ægypti rex coronaretur que diademate Alexandri Magni in Pella Macedoniæ opp. nati, Alexandriæ in Ægypto conditoris. Strab. leg. 17.

61. *Sævum in populos, &c.*] Crudeliter enim imperavit.

62. *Populos.*] Tantum, & non in Pompejum etiam & sororem suam. *Regia Lagi.*] Regnum Ægypti, quod obtinuerat Ptolomæus Lagi f. lib. 8. ℣. 692.

63. *Accessit Magni jugulus.*] Et tanti muneris accepta merces; Pompeji, quem tu tutorem habuerat, ad te confugientis cædes, inf. libro 8. ℣. 573. *Sorori Ereptum.*] Cleopatræ, quæ regni cum fratre hæres à patre relicta fuerat.

64. *Soca-*

Digitized by Google

Ereptum est, sceleroque nefas. jam turba soluto
65 *Arma petit cœtu, quæ cùm populique, ducesque*
Casibus incertis, & cæca sorte pararent,
Solus in ancipites metuit descendere Martis
Appius eventus: finemque expromere rerum
Sollicitat superos, multosque obducta per annos
70 *Delphica fatidici reserat penetralia Phœbi.*
Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine, Parnassus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo, Bromioque sacer: cui numine misto
Delphica Thebanæ referunt tricterica Bacchæ.
75 *Hoc solum fluctu terras mergente cacumen*
Eminuit, pontoque fuit discrimen, & astris.
Tu quoque vix summam seductus ab æquore rupem
Extuleras, unoque jugo Parnasse latebas.
Ultor ibi expulsæ premerent cum viscera partus

Ma-

64. *Sceleroque nefas.*] Pompeji cædes subtracta Cæsari, cui & insidiatus postea erat ipse rex. *Jam turba soluto.*] Jam dimissa concione arma expedivere.

66. *Cæca sorte pararent.*] Eventu ignoto & obscuro.

67. *Solus in ancipites, &c. Appius eventus.*] Is (inquit Val. Max. l. 1. c. 8.) belli civilis eventum explorare cupiens viribus imperii (namque Achaiæ præerat) antistitem Delphicæ cortinæ in intimam sacri specus partem coëgit descendere, &c. inf. ℣ſ. 120. & 224. Idem refert Orosius lib. 6. cap. 15.

69. *Obducta per annos.*] Clausa cessante oraculo. infra ℣ſ. 111. & 131.

71. *Hesperio tantum, &c.*] In tertæ umbilico, ab occasu & ortu æque distans. *Audiit & medius cœli Parnassus.* Statius & Strabo lib. 9.

72. *Gemino.*] Tithoreo & Hyampeo.

73. *Phœbo, Bromioque sacer.*] Apollini & Baccho, διὸ Βρόμιον, quorum utrumque eundem esse cum Sole probat Macrob. 1. Saturn. cap. 18. Communi itaque cultu Thebanæ Mænades Bacchi ministræ, tertio quoque anno Delphis celebrant sacra in memoriam victoriæ Indicæ à Libero parte trienni expeditione partæ. *Numine misto.*] Communi cultu.

74. *Tricterica.*] Sacra Trieterica appellata sunt, quæ Libero patri, è victoria & expeditione Indica reverso, instituta fuere Thebis. Tertio quoque anno peragebantur sumptuosius & splendidius iis orgiis, quæ singulis annis celebrabantur. *Hortens.*

75. *Hoc solum, &c.*] Diluvio cæteris submersis, alterum è Parnassi collibus eminuit. Ovid. 1. Metam.

76. *Pontoque, &c.*] Medium inter aquas & cœlum.

77. *Vix summam.*] Vix summo jugo extabas.

79. *Ultor ibi expulsæ, &c.*] Hic Apollo juvenis, ultorus Pythona, qui Junonis jussu Latonam gravidam è Jove & partui vicinam persequutus fuerat, interemit.

80 *Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona sagittis*
Explicuit, cùm regna Themis, tripodasque teneret.
Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
85 *Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo.*
Quis latet hîc superûm? quod numen ab æthere pressum
Dignatur cæcas inclusum habitare cavernas?
Quis terram cœli patitur Deus, omnia cursus
Æterni secreta tenens, mundique futuri
90 *Conscius, ac populis sese proferre paratus,*
Contactusque ferens hominis, magnusque, potensque,
Sive canit fatum, seu quod jubet ipse canendo
Fit fatum? Forsan terris inserta regendis,

Aëre

80. *Pæan.*] Apollo. lib. 1. ✠ſ. 678. *Pythona.*] Pytho, Demogorgonis & Terræ filius, draco ingens & prodigiosus, qui ante natum Apollinem in Parnasso monte oracula reddidit. *Hortens. Sagittis.*] Stravit humi mille gravem telis.

81. *Explicuit.*] Interfecit. *Themis.*] Dea, quæ præcepit hominibus ea petere, quæ fas essent. Ovid. 1. Metamorph. cujus unum toto orbe celeberrimum erat oraculum, cui Apollo successit. *Tripodasque tenuret.*] Tripos, mensa erat sive sedes aurea vel ahenea tres habens bases, quam ubi Pythia vates inscendisset, hausto divinationis spiritu, responsa retulit. Jamblichus de mysteriis. & Diod. Sic. lib. 16. Strab. lib. 9.

82. *Vastos telluris hiatus, &c.*] In medio montis anfractu profundum terræ foramen, ex quo frigidus spiritus, vi quadam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit; impletaque Deo responsa consulentibus dare cogit, &c. ulteriorem templi Delphici descriptionem vide apud Justin. lib. 24. & Diod. Sic. l. 16. de occasione inventi oraculi à pastore.

83. *Divinam spirare fidem.*] Emittere oracula. *Ventosque loquaces, &c.*] Exhalationes specus; quæ mentes primum inflabant vatum, mox linguas in vaticinia solvebant.

86. *Quis latet hic superum.*] Oraculi hujus causam inquirit poëta. *Quod numen, &c.*] Quis Deus è cœlo delapsus, immergi se concludique dignatur in hac caverna.

88. *Quis terram cœli patitur Deus.*] Quis Deus vult terram habitare. vel ecquis Deus patitur se in terræ hiatu concludi? *Sulpit. Hortens. Omnia cursus.*] Fata, seriem ordinemque causarum sciens.

89. *Mundique futuri; &c.*] Ea quæ eventura sunt præcinens.

91. *Hominis.*] Phœbadis, virginis Pythiæ, quem ingressus suo numine implet.

92. *Quod jubet, &c.*] Ita *fatum* dici volunt quod Deus fatus est, id est, decrevit, constituit.

93. *Forsan terris inserta regendis.*] Ad forte densior aliqua & potentior pars inest expiratque ex hoc antro Delphico, cœlestis illius mentis & animæ mundi

Aëre libratum vacuo quæ sustinet orbem,
95 *Totius pars magna Jovis Cirrhæa per antra*
Exit, & ætherio trahitur connexa Tonanti.
Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
Humanam feriens animam sonat, oraque vatis
Solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Ætnam
100 *Undat apex: Campana fremens ceu saxa vaporat*
Conditus Inarimes æterna mole Typhöeus.
Hoc tamen expositum cunctis, nullique negatum
Numen, ab humani solùm se labe furoris
Vindicat. haud illic tacito mala vota susurro
105 *Concipiunt. nam fixa canens, mutandaque nulli*
Mortales optare vetat: justisque benignus
Sæpe dedit sedem totas mutantibus urbes,

Ut

mundi quæ infusa in omnes mundi partes eum librat, regit, fovet, vegetatque? *Deum namque ire per omnes Terrasque tractusque maris cœlumque profundum.* 4. Georg. & 6. Æn. Virg. *Spiritus intus alit, &c.* vide ✠ſ. 89. lib. 1.

95. *Cirrhæa.*] Cirrha opp. Phocidos haud procul à Delphis.

96. *Ætherio trahitur, &c.*] Cum superiore illo aëre coit, & menti divinioti consonat.

97. *Hoc ubi Virgineo.*] Hoc igitur antro Pythia correpta divino furore; quem conceptum *numen* vocat, magno boatu responsa eructat. Ipsum inquit, numen, os vatis solvit. Tum duabus similitudinibus horrendum illum sonum & vehementiam amplificat. *Hortensius.*

99. *Ceu Siculus, &c.*] Veluti Ætnæ Siculæ cacumen fumum undantem evomit.

100. *Undat apex.*] Cacumen fumum undantem effundit in sublime. *Hort. Campana fremens ceu saxa.*] Ceu Inarime, Ænaria, Pithecusa *Isthiæ* insula in litore Campano superjecta Typhœo effundit saxa. *Vaporat.*] Allusum ad nomen Typhonis, id est, procellæ conflagrationes ejusmodi succendentis.

101. *Inarimes æterna mole Typhoeus.*] Inarimen primus dixit Virgilius ab Homeri εἰς ἀέριμον. vide quæ nos ad Sen. Thyest. ✠ſ. 807. & Erythræi indicem ad illud 9. Æneid. Virg. *Inarime Jovis imperiis imposta Typhœo.*

102. *Hoc tamen expositum.*] Hoc oraculum, inquit, omnibus mortalibus patet, & consulentibus sine discrimine de futuris respondetur; sed planè ænigmaticè vel amphibologicè. *Hortens.*

103. *Ab humani, &c.*] Non admittit vota impia. non ad gratiam vel odium precibus aut muneribus corrumpitur.

104. *Haud illic, &c.*] *Murmurque humilesq; susurros Tollere de templis* mandat. Pers. 2. Sat.

105. *Nam fixa canens, &c.*] Cum enim fata Deum canat certa & mutari nescia, frustra voveat quis hæc mutari posse. *Desine fata Deum flecti sperare precando.* Virg. Æneid. 6.

106. *Benignus.*] Deus Apollo.

107. *Totas mutantibus urbes.*] Quin dicit *totas mutantibus*: de Phœnicibus,

Ut Tyriis: dedit ille minas impellere belli,
Ut Salaminiacum meminit mare. sustulit iras
110 *Telluris sterilis, monstrato fine: resolvit*
Aëra tabificum. non ullo secula dono
Nostra carent majore Deûm, quàm Delphica sedes
Quòd siluit, postquam reges timuêre futura,
Et superos vetuêre loqui. nec voce negata
115 *Cyrrhæa mœrent vates, templique fruuntur*
Justitio. nam si qua Deus sub pectora venit,
Numinis aut pœna est mors immatura recepti,
Aut pretium: quippe stimulo fluctuque furoris
Compages humana labat, pulsusque Deorum
120 *Concutiunt fragiles animas. Sic tempore longo*
Immotos tripodas, vastaque silentia rupis

Appius

qui terræ motu vexati relicto patriæ solo, Sidona, unde postea à rege Ascaloniorum pulsi, Eyron condidere, intelligo potius, quam de Cadmo aut Didone. Just. 18. vel de colonis Gadium. 10. lib. 457. ℣.

108. *Dedit ille minas, &c.*] Idem Apollo docuit qua ratione bella essent ineunda, uti Athenienses ligneis mœnibus se tueri jussi, Persici belli minas repulere, devicto Xerxe navali pugna ad Salamina inf. Herod. Polyb.

109. *Sustulit iras, &c.*] Sic Ægypti sterilitas è siccitate 9. annorum sublata. Thrasea à Busiride cæso. sic Phrygia sepulto Aty. Diod. Sicul. Ita Attica, postquam moniti oraculo satisfecissent Minoi.

110. *Monstrato fine.*] Id est, modo piandi. *Resolvit, &c.*] Pestis remedium denunciat. uti Thebanis, in exilium, misso eo qui Laium interfecerat. Senec. OEdip. Lucanis, Palinuri placatis manibus. Virg. Æneid. 6. Romanis, Æsculapio accersito ex Epidauro, Liv. 10.

111. *Non ullo secula dono.*] Deficientis hujus oraculi caussas inquirit infra ℣. 131. hic deflet.

113. *Reges timuere futura.*] Sibi timentes, oracula à suis adiri vetuerunt.

114. *Nec voce negata.*] Gratulantur vero sibi Pythiæ vates Delphicæ desiisse oracula.

115. *Cyrrhæa vates.*] Phæbades.

116. *Justitio.*] Silentio. *translat.* à juris dicundi intermissione. *Nam si qua Deus, &c.*] Neque enim vitales sunt Phœbades inflatæ vel à Deo irato, mortis supplicio affectæ; vel à benigno, mortis præmio, tanquam dono optimo donatæ.

118. *Quippe stimulo, &c.*] Quippe enthusiasmi impetu concussa labascit anima & nimius divini spiritus haustus reddentibus pestifer existit, Val. Max. lib. 1. cap. 8.

119. *Pulsusque Deorum.*] Enthusiasmus, stimulus ille occultus numinis, quo Phœbus agitatur. *Hortens.*

121. *Immotos tripodas.*] Cortinas jam diu clausas, à nemine consultas, utpote silentes.

122. *Mæste-*

Appius Hesperii scrutator ad ultima fati
Sollicitat. jussus sedes laxare verendas
Antistes, pavidamque Deis immittere vatem,
125 *Castalios circum latices, nemorumque recessus*
Phemonoën errore vagam, curisque vacantem
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.
Limine terrifico metuens consistere Phœbas,
Absterrere ducem noscendi ardore futuri
130 *Cassa fraude parat. quid spes (ait) improba veri*
Te Romane trahit? muto Parnassus hiatu
Conticuit, pressitque Deum: seu spiritus istas
Destituit fauces, mundique in devia versum
Duxit iter: seu barbarica cùm lampade Pytho
135 *Arsit, in immensas cineres abiêre cavernas,*
Et Phœbi tenuêre viam: seu sponte Deorum

Cirrha

122. *Hesperii, &c.*] Curiosus per sortes explorator, quis nam foret eventus belli civilis.

123. *Sedes laxare verendas.*] Aperire sacrarium.

124. *Antistes.*] Sacrorum præses, templi Delphici custos. *Pavidamque.*] Dei afflantis & enthusiasmi laborem simul & distrimen subire formidantem. *Deis immittere vatem.*] *Hypallagen esse volunt interpretes.* Deum immittere in Phœbadem. Simpliciter intelligi malim. Jussum ab Appio antistitem ut Phœbadem mitteret in adytum.

125. *Castalios circum latices.*] Castalium fontem in radicibus Parnassi.

126. *Phemonoën.*] Phœbadem aliquam. Phœmonoë autem prima erat, quæ ex oraculo Delphico vaticinata est. Strabo 9. lib.

128. *Metuens, &c.*] Modo. ad versum 124.

129. *Absterrere, &c.*] Volens Appium ab instituto deducere, causata est diuturnum oraculi silentium, sed frustra.

132. *Pressitque Deum.*] Obruit divinam illam vim cujus afflatu dabantur responsa. *Seu.*] Causas reddere conatur cessantis oraculi. de qua Plutarch. ὅθεν τὸ λιλοιπότων χρησμῶν. *Spiritus istas, &c. Seu barbarica, &c.*] Sive spiritus has deseruit, atque in alias mundi partes migravit. sive quo tempore Delphis à Brenno oppugnatis, terræ motu, grandine, tempestate & incendio corruere omnia, cinere spiraculis obstrictis. Pausan. in Phocaic. Justin. lib. 24. de terræ idem ref. Herod. in Urania. vel tempore Mithridatico, cum oracula deficerent ubique, sublatis Dæmonum præstigiis atque potestate, sub adventu Christi.

134. *Barbarica cum lampade Pytho Arsit.*] Quo tempore Delphi à Brenno incensi. Nam locus ipse Πυθὼ à Græcis dicitur. *Grotius.*

135. *In cineres abiere, &c.*] Repletæ sunt cinere cavernæ; ita ut spiritus viam qua progrediatur non habeat. *Sulpit.*

136. *Seu sponte Deorum, &c.*] Seu Dis quibus Roma cura max. est, visum

Cirrha silet, fatique sat est arcana futuri
Carmine longævæ vobis commissa Sibyllæ:
Seu Pæan solitus templis arcere nocentes,
140 *Ora quibus solvat nostro non invenit ævo.*
Virginei patuêre doli, fecitque negatis
Numinibus, metus ipse fidem. tum torta priores
Stringit vitta comas, crinesque in terga solutos
Candida Phocaica complectitur infula lauro.
145 *Hærentem, dubiamque puemens in templa sacerdos*
Impulit. illa pavens adyti penetrale remoti
Fatidicum, prima templorum in parte resistit:
Atque Deum simulans, sub pectore ficta quieto
Verba refert, nullo confusa murmure vocis
150 *Instinctam sacro mentem testata furore,*
Haud æquè læsura ducem, cui falsa canebat,

Quàm

sum fuerit ut Delphicum oraculum cesset, postquam libros Sibyllinos habeat, qui fata sua contineat, de quibus vide quæ A. Gell. lib. 1. cap. 19. & Plin. lib. 13. cap. 13.

138. *Longævæ vobis, &c.*] Tot annos viventis, *quos haberet pulveris haustli corpora*, Ovid. Met. 14.

139. *Seu Pæan, &c.*] Seu Deus non inveniat sanctos quibus, neque sanctas per quas vaticinetur.

141. *Virginei patuere doli.*] Visa est Appio virgo Pythia subdole causata oraculi silentium, cum ipsa tremebunda subterfugeret ingressum ad Deum, quem adesse negavit.

142. *Tum torta priores, &c.*] Hominem tamen simulato numine deceptura, se ad cortinam accingit, vittis ornatam, infula lauretata redimitam, crinibus à tergo solutis.

143. *Stringit vitta comas.*] Ostendit quibus ceremoniis Pythia se adornaret, cum fingeret se in cortinam descensuram, & simulato numine oraculum adituram. *Vittæ* capitis ornamenta sunt. his hostiæ cædendæ maxime obnubebantur. *Infula*, fascia erat in diadematis formam ita concinnata, ut utrinque vittæ dependerent. *Hortens.*

144. *Phocaica.*] Parnasside; quia Parnassus in Phocide.

145. *Hærentem.*] Moras texentem. *Sacerdos.*] Antistes. supra ℣. 124.

146. *Illa pavens, &c.*] Metuens tamen adventum & penetrale ingredi, in limine restitit.

148. *Deum simulans.*] Se numine concepto afflatam fingens, nescia quæ simulate secum murmurat. *Quieto.*] Non extra se rapto, non vexato à Deo, ut infra ℣. 168. & Virg. Æneid. 6.

149. *Nullo confusa murmure.*] Non obscuris ambagibus; non perplexis verborum circuitionibus; qui mos Phæbo semper fuerat, ut interpretem toqueret & exerceret. *Confusa, &c.*] Interruptæ, *vel* perplexæ, obscuris vera involventis.

150. *Instinctam.*] Afflatam ἐνθουσιασμῷ. *Hortens.*

151. *Haud æque, &c.*] Non æque noxia

Digitized by Google

Quàm tripodas, Phœbique fidem. non rupta trementi
Verba sono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens spatium, nulloque horrore comarum
155 *Excussæ laurus, immotaque culmina templi,*
Securumque nemus, veritam se credere Phœbo
Prodiderant. sentit tripodas cessare, furensque
Appius: Et nobis meritas dabis impia pœnas,
Et superis, quos fingis, ait, nisi mergeris antris,
160 *Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu*
Deinis ipsa loqui. Tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vastisque abducta cavernis
Hæsit, & insueto concepit pectore numen,
Quod non exhaustæ per tot jam secula rupis
165 *Spiritus ingessit vati: tandemque potitus*
Pectore Cirrhæo, non unquam plenior artus
Phœbados irrupit Pæan: mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit

Pecto-

noxia Appio futura simulata hæc, atque illa veri oraculi verba quæ insequebantur.

152. *Tripodas.*] Oracula Phœbi vocat. *Tripodas.*] Supra ℣. 81. *Non rupta trementi Verba sono, nec vox, &c.*] Cum non apparerent signa illa quæ numine afflatas comitari assolent, non verba interrupta & tremula: non *vox major nec mortale sonans.* non laurea capiti excussa comarum horrore. infra ℣. 171.

155. *Immotaque culmina, &c. Veritam se, &c.*] Non *attonitæ magna ora domus. Non tremere omnia visa repente, Liminaque laurusque dei: totusque moveri Mons circum, &c.* Virg. 6. & 3. Æneid. arguebant Pythiam doli & metus, ut quæ veri enthusiasmi laborem horreret.

157. *Cessare furensque, &c.*] Non solicitari oraculum, non adesse vati Deum.

158. *Et nobis meritas, &c. Ipsa loqui.*] Et mihi quem fallis, & Deo quem fingis dabis pœnas, nisi descendas in antrum, deque hujus belli eventu respondeas vere, non tuis verbis, Deum ementita, numine non afflata.

159. *Nisi mergeris antris, &c.*] Nisi descendas in specum sacrum & certum respondeas mihi de fatis belli civilis, afflatu Apollinis, non tuis consutis technis. Eum afflatum numinis Græci ἐνθουσιασμὸν vocant. *Hortens.*

164. *Quod non exhaustæ, &c.*] Quod ventus ille ex spiramento specus non jam exhausti immisit virgini.

166. *Cirrhæo.*] Fatidico, Cyrrhææ virginis Phœbados. *Non unquam, &c.*] Nullius unquam vatis mentem plenius invasit.

167. *Mentemque priorem.*] Humanam, nullo numine imbutam, sed rudem, quam spiritu fatidico implerit. *Hortens.*

168. *Hominem toto.*] Sensum sui, men-

Pectore. bacchatur demens aliena per antrum
170 *Colla ferens, vittasque Dei, Phœbeaque serta*
Erectis discussa comis, per inania templi
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantes tripodas, magnoque exæstuat igne,
Iratum te Phœbe ferens: nec verbere solo
175 *Uteris, & stimulis; flammas in viscera mergis.*
Accipit & frænos: nec tantum prodere vati,
Quantum scire, licet. venit ætas omnis in unam
Congeriem: miserumque premunt tot secula pectus.
Tanta patet rerum series, atque omne futurum
180 *Nititur in lucem: vocemque petentia fata*
Luctantur: non prima dies, non ultima mundi,
Non modus Oceani, numerus non deerat arenæ.
Talis in Euboico vates Cumana recessu,

Indi-

mentem humanam. *Sibi cedere.*] Suæ inspirationi.

169. *Aliena per antrum, &c.*] Non jam sui juris, rotata pro arbitrio Phœbi cujus instinctu agitabatur.

171. *Discussa comis.*] Horrores. ut supra ℣. 154. *Non comptæ mansere comæ*, Æneid. 6.

172. *Ancipiti cervice rotat.*] In utramque partem alternatim diducta, vacillanti, ultro citroque agitata. *Vaganti.*] Sibi furibundæ & discurrenti obvios.

173. *Igne.*] Calore numinis.

174. *Iratum te Phœbe ferens.*] Utrum virgini, quæ modo illius numen fuerat ementita, quod interminatus fuerat Appius supra ℣. 159. An Appio curioso futuri inquisitori? *Nec verbere solo, &c.*] Neque verò tantum verberas flagellasque animum ejus & stimulis urges; verum etiam accendis. *Hortens.*

175. *Et stimulis.*] Neque stimulas tantum atque incendis virginem ut canat futura: sed & frena injicis, ne plura vaticinetur, quam scire opus est. infra ℣. 197. *ea frena furenti Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.* Æn. 6. Virg.

177. *Venit ætas omnis, &c.*] Jamque conceperat omnia omnium ætatum fata, quæ animo furentis una quasi facie observata, enunciari & in lucem proferri poscebant.

178. *Tot sæcula pectus.*] Tot ætatum fata infelicis vatis animum distorquebant: nam ut antea dictum, multis ætatibus oraculum cessarat, imò in totum siluerat. *Hortens.*

179. *Tanta patet, &c.*] Exclamatio in immensam atque innumerabilem congeriem fatorum, quæ furentis animo obversabantur. *Hortens.*

180. *Vocemque petentia.*] Omnia fata luctabantur in ore, ut in lucem proferrentur. *Hortens.*

182. *Non deerat arenæ.*] Non latebat illam, non fugiebat vatis notitiam.

183. *Talis in Euboico, &c. Sic plena laborat, &c.*] Uti Sibylla indignata suum oraculum ab omnibus mortalibus solicitari, è cæterorum cumulo excerpta Rom. tantum fata novem libris com-

Digitized by Google

Indignata suum multis servire furorem
185 *Gentibus ex tanta fatorum strage superba*
Excerpsit Romana manu. sic plena laborat
Phemonoë Phœbo, dum te consultor operti
Castalia tellure Dei vix invenit, Appi,
Inter fata diu quærens tam magna latentem.
190 *Spumea tunc primùm rabies vesana per ora*
Effluit, & gemitus, & anhelo clara meatu
Murmura: tunc mœstus vastis ululatus in antris,
Extremæque sonant domita jam virgine voces.
Effugis ingentes, tanti discriminis expers,
195 *Bellorum Romane minas: solusque quietem*
Euboici vasta lateris convalle tenebis.
Cætera suppressit, faucesque obstruxit Apollo.
Custodes tripodes fatorum, arcanaque mundi,
Tuque potens veri Pæan, nullumque futuri
200 *A Superis celate diem, suprema ruentis*
Imperii, casosque duces, & funera regum,
Et tot in Hesperio collapsas sanguine gentes

Cur

complexa est, quos Tarquinio Superbo obtulit, &c. A. Gell. lib. 1. cap. 19. Ita Phœbas hæc inter alia enumerata vix tandem inventum & semotum Appii fatum, impulsu nominis concepti instinctu, horrendo vocisono, Appio inter obscuras verborum ambages, cecinit: *Nihil*, inquiens, *ad te hoc Romane bellum, Euboicæ Cœlum obtinebit, &c.* Val. Max. lib. 1. cap. 8. *Euboico recessu.*] In Cumæo antro.

185. *Fatorum strage.*] Cumulo fortium.

187. *Operti.*] Occulti, tecti.

188. *Castalio, &c.*] Delphico antro.

190. *Spumea tunc primum.*] Ad enthusiasmum tandem transit, post longas circumstantiarum circuitiones. Reddidit illud Virgilianum de Sibylla lib. VI. Æneid.

——— *Immanis in antro*
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

193. *Extremaque, &c.*] *Ea frena furenti Incutit.* supra pag. 176. *Voces.*] Istæ quæ seq.

198. *Custodes tripodes fatorum.*] Causas inquirit poëta, cur non aperte Deus prædixerit eventum belli. *Tripodes.*] Quasi tripodes custodirent fata & mundi arcana; ac non potius in solius Dei manu essent.

199. *Nullumque futuri.*] Quam nihil futurorum latere voluere Superi.

201. *Casosque duces.*] Cædendos, casuros. *Regum.*] Jubæ, &c. an principum?

202. *Et tot in, &c.*] Et cædes gentium

Cur aperire times? an nondum numina tantum
Decrevêre nefas? & adhuc dubitantibus astris
205 *Pompeji damnare caput, tot fata tenentur?*
Vindicis an gladii facinus, pœnasque furorum,
Regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos,
Ut peragat fortuna, taces? tunc pectore vatis
Impacta cessêre fores, exclusaque templis
210 *Prosiluit: perstat rabies, nec cuncta locuta est.*
Quem non emisit, superest Deus. ille ferocos
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cœlo
Lumina: nunc vultu pavido, nunc torva minaci,
Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora,
215 *Liventesque genas: nec, qui solet esse timenti,*
Terribilis sed pallor inest: nec fessa quiescunt
Corda; sed ut tumidus Boreæ post flamina pontus
Rauca gemit; sic multa levant suspiria vatem.

Dum-

tium miscendas funeribus civium Romanorum.

203. *An nondum, &c.*] An nihil adhuc decretum à diis de eventu belli, & Pompeji morte?

204. *Et adhuc dubitantib.*] In dubio à diis, *vel*, silentio oraculi supprimuntur. *Adhuc dubitantibus astris.*] Quasi ab astris futurorum casus pendeant.

205. *Pompeji damnare caput.*] Utrum Pompejum cædendum judicarent an non? *Tot fata tenentur.*] Hæc fata omnia supprimuntur à Phœbo, ne mortalibus proderentur. *Hortens.*

206. *Vindicis an gladii facinus.*] An forte subtices, quo melius Nemesis exigat à Cæsare pœnas civilis hujus belli, afferatque in libertatem Remp. interfecto à D. & M. Brutis Cæsare, uti à Junio Bruto quondam exacto Tarquinio?

208. *Tunc pectore vatis.*] Ita scribendum, non *fatis*. post *ille*, id est, Phœbus. *Grotius. Pectore vatis.*] Pectore irruentis vatis dissiluere fores impulsæ, ipsaque evolat.

209. *Exclusaq; templis.*] Melius Mss. *expulsaque templis*, ejecta vi numinis. *Grotius.*

210. *Perstat rabies.*] Nondum Deum penitus pectore excusserat.

211. *Quem non emisit, &c.*] Phœbus adhuc vatis mentem obsidebat, eam nondum deseruerat, ut sui compos esset. *Hortens. Ille feroces.*] Phœbus.

212. *Oculos.*] Virginis Pythiæ.

213. *Nunc torva minaci.*] Σκυθρωπὸν δεδορκόν, torve.

214. *Stat nunquam facies.*] *Non vultus, non color unus.* Æneid. 6. Virg.

215. *Nec, &c.*] Pallor est non territæ, sed terrentis. *Grotius.*

217. *Sed ut tumidus, &c.*] Addit comparationem aptam ad subjiciendam rem oculis: à natura maris, vento commoti, quo cessante, etiamnum sævit. *Hortens. Boreæ post flamina pontus.*] Ponente jam & cessante Borea.

218. *Levant suspiria vatem.*] Animum vatis sedant reficiuntque, *de cæt.*

219. *Dum-*

Digitized by Google

Dumque à luce sacra, qua vidit fata, refertur
220 *Ad vulgare jubar, media venêre tenebræ.*
Immisit Stygiam Pæan in viscera Lethen,
Quæ raperet secreta Deûm. tum pectore verum
Fugit, & ad Phœbi tripodas redière futura:
Vixque refecta cadit. nec te vicinia leti
225 *Territat ambiguis frustratum sortibus Appi:*
Jure sed incerto mundi, subsidere regnum
Chalcidos Euboicæ vana spe rapte parabas.
Heu demens, nullum belli sentire fragorem,
Tot mundi caruisse malis, præstare Deorum
230 *Excepta quis morte potest! secreta tenebis*
Littoris Euboici memorando condite busto,
Quà maris angustat fauces saxosa Carystos,
Et tumidis infesta colit quà numina Rhamnus,

Arcta-

219. *Dumque à luce sacra, &c.*] Inter lucem illam adyti sacram & ætheream hanc in quam redditura erat: *vel* inter divinam illam raptæ mentis notitiam & hanc humanam cognitionem, Phœbus mediam injecit caliginem & soporatam rerum visarum oblivionem. Allusum simul ad Lethen fluv. infernum.

220. *Mediæ venere tenebræ.*] Quas autem tenebras, quamque caliginem, medias intervenisse dicat, non obscure mox subjicit: Oblivionem scil. omnium anteactorum vaticiniorum in mentem immisit Phœbus, ubi ad se rediit. *Hortens.*

223. *Ad Phœbi tripodas.*] Notitia futurorum se recepit in cortinam fatorum custodem.

224. *Vixque refecta cadit.*] Sic ult. *Pf.* lib. 1. *& lasso tacuit defecta furore. Nec te vicinia leti, &c.*] At is ratus (inquit Valer. Max.) consiliis se Apollinis monitum, ne illi discrimini interesset, in eam regionem secessit, quæ inter Rhamnunta nobilem Attici soli partem, Carystumque Chalcidico freto vicinam interjacens, Cœlæ Eubœæ nomen obtinet, ubi ante Pharsalicum certamen morbo consumptus, prædictum à Deo locum sepultura possedit.

226. *Jure sed incerto mundi.*] Dum adhuc incertum sit, penes quem sit futurum imperium. *Subsidere regnum.*] Sibi subjicere, invadere dolo, ὑφεδρεύειν. sic enim pro *subsistere* absolute accipias, legendum erit *regno*.

227. *Chalcidos Euboicæ.*] Chalcidos in Euboia, urbis ad Euripum sitæ, Aulidi objectæ. Ad differentiam alterius in Ætolia. *Vana spe rapte.*] Adductus in spem vanam occupandi imperium.

228. *Demens, nullum belli, &c.*] Qui sperabas tibi ullo recessu tanquam Homerica tecto nube, à tam late grassanti malo securitatem, quam nisi mors sola nemo Deorum præstare valet.

232. *Qua maris angustat, &c.*] Neque tamen est Carystos in freto Euripi, sed Cycladibus opposita in Eubœa inf. urbs. *Saxosa Carystos.*] Marmore nobilis.

233. *Et tumidis infesta, &c.*] Docet, inter

Digitized by Google

Arctatus rapido fervet qua gurgite pontus,
235 *Euripusque trahit, cursum mutantibus undis,*
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.
Interea domitis Cæsar remeabat Ibêris,
Victrices aquilas alium laturus in orbem:
Cùm propè fatorum tantos per prospera cursus
240 *Avertêre Dei. nullo nam Marte subactus*
Intra castrorum timuit tentoria ductor
Perdere successus scelerum: cùm panè fideles
Per tot bella manus satiatæ sanguine tandem
Destituêre ducem: seu mœsto classica paulùm
245 *Intermissa sono, claususque, & frigidus ensis,*

Expu-

inter Carystum & fretum Chalcidicum, ex adverso Atticæ, ubi Rhamnus erat, cellam Euboïcam exstitisse. *Et tumidis colit, &c.*] Et qua jacet Rhamnus Atticæ pagus, ubi colitur Nemesis superbiæ & insolentiæ vindex, quæ & hinc dicitur Rhamnusia. *Qua numina Rhamnus.*] Hujus Deæ meminit Catullus, Ovid. Statius. *Rhamnusia* enim dicta à pago Atticæ, ut Pausanias scribit. Quidam *Adrasteam* & *Nemesin* eandem esse dicunt Hinc *Rhamnusia Nemesis*, dicitur in eos, quibus ob arrogantiam & fastum, fortunæ commutationem imprecamur. *Hortens. Numina Rhamnus.*] Nemesin.

234. *Arctatus rapido, &c.*] A vicino mari Chalcidico, quod Atticam, ubi Rhamnus est, alluit, uti ex adverso Chalcidem Eubææ. Hæc avulsa Bœotiæ fuit, modico interfluente Euripo, ita arcto, ut ponte jungatur. Hinc *arctatum* dicit, nam ibi angustissimus est Euripus. *Pontus.*] Euboïcus, sive Chalcidicus. *Hortens.*

235. *Euripusque trahit.*] Fretum hinc Bœotiam & Atticam, inde Euboiam inf. interluens, ponte duo jugerum junctum. *Strecho de Negroponte.* Septies die ac nocte refluum eo impetu ut navigia reluctantibus ventis secum rapiat. *Trahit.*] Ex Eubœa raptat impellitque in Bœotiam adversam. *Hortens.*

236. *Aulim.*] Portum Bœotiæ Græcorum, contra Trojam conjuratione & mora classis Græcæ nobilem.

237. *Interea domitis, &c.*] A digressione redit ad historiam intermissam. Cæsar ex Hispania reversus, devictis ducibus Pompejanis, Gadibusque receptis, tam diu circa Placentiam restitit, donec legionem seditione agitatam ad officium retraxit; auctoribus novi motus summo supplicio affectis. *Hortensius.*

238. *Alium laturus in orbem.*] In Epirum & Macedoniam contra Pompejum.

239. *Cum prope fatorum, &c.*] Cum civilis belli prosperos successus Dii pene everterunt, coorta seditione in exercitu.

242. *Perdere successus scelerum.*] Scelerum successum dicit, propter civile negotium, quo ipse civis in civem induisset arma; ac tam multorum civium sanguinem fudisset, omnibus suis victoriis. *Hortens.*

244. *Seu mœsto classica, &c.*] Sive, quod militari ferocia per belli intermissionem ad Placentiam defervescente, ad ocium & pacem inclinabant: sive quod stipen-

Digitized by Google

Expulerat belli furias: seu prœmia miles
Dum majora petit, damnat causamque, ducemque,
Et scelere imbutos etiam nunc venditat enses.
Haud magis expertus discrimine Cæsar in ullo est,
250 *Quam non è stabili, tremulo sed culmine cuncta*
Despiceret, staretque super titubantia fultus,
Tot raptis truncus manibus, gladioque relictus
Panè suo, qui tot gentes in bella trahebat,
Scit non esse ducis strictos, sed militis, enses.
255 *Non pavidum jam murmur erat, nec pectore tecto*
Ira latens: nam quæ dubias constringere mentes
Causa solet, dum quisque pavet, quibus ipse timori est,
Seque putat solum regnorum injusta gravari,

Haud

stipendia auctiora peterent ad civile hoc bellum majori precio operam venalem licebantur. Cæsaris exercitus (inquit Appianus) juxta Placentiam seditione edita, quod diutius in bello teneretur, Imperatorem cœpit conclamare. Minas porro quinque singulas olim pollicitas à Cæsare, quum Brundusii esset, instantius petebat. lib. 2. de civ. bell.

248. *Venditat.*] Alii leg. *vindicat.* Id est, asserere vult, missionem petit.

249. *Haud magis expertus, &c.*] Seditionem per X. annos in Gallicis bellis non senserat, in civilibus aliquas. Sueton. in Cæsar. 69. nunquam tamen alias neque majori cum periculo expertus est, quam lubrica & instabilis esset imperatoris sedes, militaribus viris huc illuc parvo momento impulsis freti; à quibus si destitutus fuerit sibique relictus, tum denique fatebitur non suo sed militum ense pugnandum esse.

250. *Quam non è stabili.*] Id est, quam lubrica esset ejus potentia, & quam inconstans, & infirma. *Tremulo.*] Dubio & periculoso.

251. *Super titubantia fultus.*] Trementia, inconstantia & incerta.

252. *Truncus manibus.*] Orbatus, destitutus militibus. *Gladioq; relictus Pœne suo.*] Jam experiebatur suo periculo, enses, quibus victoriæ fuerant partæ, non suos esse, sed militum, quorum auxilio vicerat. *Hortens.*

254. *Strictos ensis.*] Enses qui stringuntur. *Grot.*

255. *Non pavidum jam murmur erat.*] Neque clancularia erat conjuratio, sed aperta seditio.

256. *Nam quæ dubias, &c.*] Metus ignominiæ ac pœnæ solet feroces militum animos constringere ac sub imperio continere, ea causa nunc non continuit militares homines à seditione. *Hortens. Nam quæ dubias, &c. quicquid multis peccatur.*] Non enim Cæsaris milites in imperio continuit, qui alios plerunque, metus, ne paucorum, qui gravatim ferunt tyranni injustum imperium, conjuratio judicaretur: sed emanarat jam in plurimos seditio, qui junctæ cum umbone phalanges præsidentius loquitabantur: & quod à multis peccatur impune fieri creditur.

258. *Seque putat solum, &c.*] Quidam sic exponunt *gravari*: Tyrannidis injustitiam gravatim ferre, ut verbum *gravari* deponent aliter, non passivè accipiatur.

Haud retinet. quippe ipsa metus exoluerat audax
260 *Turba suos. quicquid multis peccatur, inultum est.*
Effudêre minas: Liceat discedere Cæsar
A rabie scelerum. quæris terraque marique
His ferrum jugulis, animasque effundere viles
Quolibet hoste paras: partem tibi Gallia nostri
265 *Eripuit: partem duris Hispania bellis:*
Pars jacet Hesperia: totoque exercitus orbe
Te vincente perit. Terris fudisse cruorem
Quid juvat Arctois, Rhodano, Rhenoque subactis?
Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.
270 *Cepimus expulso patriæ cùm tecta Senatu,*
Quos hominum, vel quos licuit spoliare Deorum?
Imus in omne nefas, manibus, ferroque nocentes,
Paupertate pii. finis quis quæritur armis?
Quid satis est, si Roma parum? jam respice canos,

Inva-

piatur. Vel *injusta*, hoc est per injusta, ut sit eclipsis, quod & Glariano videtur arridere. Dum scil. miles putat se per injusta regna, & injustam dominationem opprimi. *Hortens.*

261. *Minas.*] Has quæ seq. *Liceat discedere, &c.*] Petitoria oratio militum generis Deliberativi est. Postulant enim absente Cæsare missionem & vacationem à militia, post tot & tantos labores exantlatos. Habes & locos Demonstratorios, quibus bellum ut nefarium & impium detestantur. Quin & Judiciales attingunt dum obiter cum Cæsare expostulant de injuria facti: quod pro tantis laboribus adeo nullæ sibi habeantur referanturve gratiæ; ut suas victorias Fortunæ acceptas ferat, non virtuti militum; quod indignum toleratu. *Hort. Liceat discedere Cæsar.*] Petimus missionem, Cæsar, eamque justam à civilium bellorum furore.

263. *His ferrum jugulis.*] Qui nos jugulent. *Viles quolibet, &c.*] Nostras, apud te levi aut nullo precio habitas.

266. *Hesperia.*] In Italia.

267. *Rhodano, &c.*] Gallis & Germanis Rhodani Rhenique fluv. accolis.

270. *Cepimus expulso, &c.*] Captæ Roma, neque ædes civium neque templa deorum nobis diripienda permittebantur.

272. *Imus in omne nefas.*] Arguimur quidem propter arma nefaria & scelestas rapinas, impii, sed propter paupertatem, pii: illa tibi, hæc nobis.

273. *Paupertate pii.*] Quantum enim rapinarum est, tuum est, non nostrum à pietate in Imperatorem. *Hortensius.* Vel sumus in tanta rapiendi licentia pauperes tanquam si pii & innocentes essemus. *Sulpit.*

274. *Jam respice, &c. Usus abit vitæ.*] Optima vitæ pars nobis periit, bellis insumpta, nec dum prosperimus senectuti, aut quæsivimus canis viaticum.

275. *Et*

275 *Invalidasque manus, & inanes cerne lacertos.*
Usus abit vitæ: bellis consumsimus ævum.
Ad mortem dimitte senes. en improba vota:
Non duro liceat morientia cespite membra
Ponere, non anima galeam fugiente ferire,
280 *Atque oculos morti clausuram quærere dextram,*
Conjugis illabi lacrymis, unique paratum
Scire rogum. liceat morbis finire senectam.
Sit præter gladios aliquod sub Cæsare fatum.
Quid, velut ignaros ad quæ portenta paremur,
285 *Spe trahis? usque adeò civilibus armis*
Nescimus cujus sceleris sit maxima merces?
Nil actum est bellis, si non dum comperit istas
Omnia posse manus. nec fas, nec vincula juris
Hoc audere vetant. Rheni mihi Cæsar in undis
290 *Dux erat, hîc socius. Facinus quos inquinat, æquat.*
Adde,

275. *Et inanes lacertos.*] Et exhaustos viribus lacertos. *Hortens.*

277. *Ad mortem dimitte senes.*] Ut domi moriamur. *En improba vota.*] *Ironice.* Quantulum est hoc votum?

278. *Non duro liceat, &c.*] Liceat tandem molliter requiescere, non duro solo usque in castris recumbere.

279. *Non anima galeam.*] Non in pugna usque morientes ferire gal. an. fu. Alii leg. *glebam.*

280. *Oculos morti, &c.*] Propinqui dextram, quæ oculos morientibus claudat. lib. 3. ✝ſ. 740.

281. *Unique paratum, &c.*] In militia enim pluribus unus rogus erigitur.

282. *Morbis, &c.*] Non ferro usque.

283. *Sit præter gladios, &c.*] Contingat nobis sub Cæsare mors naturalis, non violenta. *Hortens.*

284. *Quid velut ignaros, &c.*] Expostulant cum Cæsare, quod impiè quasi cæci ad cædem Pompeji & Senatus ducantur. cujus sceleris & impietatis merceedem non obscurè coargunt: exilium, cædes, & nihil non horrendi supplicii. Obliquè videntur Cæsari minitari fædam cædem aliquando, pro nefario bello. *Hortens.*

286. *Nescimus cujus, &c.*] Quasi vero nesciamus, quanta maneant milites præmia, qui vel scelesta sui ducis cæde, bello civili finem imponunt.

287. *Nil actum est bellis.*] Nihil pugnando promovimus, si adhuc nondum est expertus, has nostras manus, vel ipsum trucidare posse. *Hortens.*

288. *Omnia posse manus.*] Etiam ipsum ducem de medio tollere. *Nec fas, &c.*] Neque enim tenemur jure sacramenti, quo minus hoc audeamus.

289. *Rheni mihi Cæsar.*] In bello quidem Gallico & Germanico datus es nobis dux: hoc suscepisti bellum sine imperio, nobis fretus. & quidni socii simus?

290. *Facinus quos inquinat.*] Qui eodem crimine tenentur, æquales sunt & socii. Ita Impp. Leo & Anthemius in Constitutione, Cod. Justin. 31. *Ut eos*

quos

Digitized by Google

Adde, quòd ingrato meritorum judice virtus
Nostra perit. quicquid gerimus, fortuna vocatur.
Nos fatum sciat esse suum. licet omne Deorum
Obsequium speres, irato milite, Cæsar,
295 *Pax erit. Hæc fatus, totis discurrere castris*
Cæperat, infestoque ducem deposcere vultu.
Sic eat, ô Superi, quando pietasque, fidesque
Destituunt, moresque malos sperare relictum est;
Finem civili faciat discordia bello.
300 *Quem non ille ducem potuit terrere tumultus!*
Fata sed in præceps solitus demittere Cæsar,
Fortunamque suam per summa pericula gaudens
Exercere, venit: nec, dum desaviat ira,
Expectat: medios properat tentare furores.
305 *Non illis urbes, spoliandaque templa negasset,*
Tarpejamque Jovis sedem, matresque Senatus,
Passurasque infanda nurus. vult omnia Cæsar

A se

quos par facimus coinquinat & æquat, utrosque similis pœna comitetur. Grotius.

292. *Quicquid gerimus, &c.*] Qui fortunæ suæ, non virtuti nostræ prælia felicitet gesta fert accepta.

293. *Nos fatum, &c.*] Faciemus ut intelligat felicitatem suam à nobis pendere.

294. *Obsequium speres.*] Impiè hoc ab irato milite; quod ne applaudentibus quidem diis bellum sit gesturus amplius, nisi milites sibi propitios & faventes habeat. *Hortens. Irato milite.*] Et deserente te.

295. *Pax erit.*] Non poteris bellum gerere.

297. *Sic eat, ô Superi.*] Deos precatur poëta, ut discordiæ & rebellionis hujus interventu dirimatur bellum civile. *Quando pietasque, &c.*] Ubi in ducibus deficit pietas & fides in patriam & cives suos, speremus à perfidia & rebellione militum finem civilis belli.

300. *Quem non ille, &c.*] Non tamen Cæsarem. Qui (referente Suetonio) fecit ut celeriter ad officium redierint, nec tam indulgentia ducis quam celeritate. Non enim cessit unquam tumultuantibus, atque etiam obviam semper iit.

301. *Fata sed in præceps dimittere.*] Solitus præcipitare, magnisque exponere discriminibus. *Sulpit.*

303. *Venit, &c.*] Quibus rebus (inquit Appianus) commotus Cæsar, ex Massilia Placentiam magna celeritate solicitudineque pervenit, & ad milites adhuc dissidentes profectus, hunc in modum fari cæpit. *Ira, &c. furores.*] Militum.

305. *Non illis urbes.*] Neque enim rapinas raptusque suis negasset suo judicio quod illa improbasset; sed quo militum animos horum amore & desiderio incitatos detineret.

306. *Tarpeiamque Jovis sedem.*] Libro I.

Digitized by Google

A se sæva peti, vult præmia Martis amari:
Militis indomiti tantum mens sana timetur.
310 *Non pudet, heu Cæsar, soli tibi bella placere*
Jam manibus damnata tuis? hos ante pigebit
Sanguinis? his ferri grave jus erit? ipse per omne
Fasque nefasque rues? lassare, & disce sine armis
Posse pati: liceat scelerum tibi ponere finem.
315 *Sæve quid insequeris? quid jam nolentibus instas?*
Bellum te civile fugit. Stetit aggere fultus
Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens: atque hæc ira dictante profatur:
Qui modò in absentem vultu, dextraque furebas
320 *Miles, habes nudum, promtumque ad vulnera pectus.*
Hic fuge, si belli finis placet, ense relicto.
Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio, tantumque fugam meditata juventus,

Ac

bro 1. ✠ſ. 196. *Matresque Senatus.*] Matronas, & virgines stuprandas.

309. *Sana timetur.*] Pacem appetens, detestata bellum scelestum.

310. *Non pudet, heu Cæsar.*] Per aversionem expostulat cum Cæsare Poëta, quasi illi soli bellum civile placeat. *Hortens.*

311. *Manibus damnata tuis.*] Militibus, iisque feris.

312. *His ferri grave jus erit.*] Cum indignatione hæc effundit poëta: quum alioquin facultas diripiendi & ferro sæviendi posthac militibus erit, qui cædibus & rapinis semper delectati fuerunt, & tu iis gaudes. *Hortens.*

313. *Lassare, & disce, &c.*] Epilogum concludit monitione, ut tandem belli civilis tædium capiat, ut defatigetur semel post tot incommoda & pericula bellorum, maximè civilium. *Hortens. Sine armis, &c.*] Esse. ἰδιωτικῶς Hispanis usitatus, Senecæ Thyestes, *posse sine regno pati.* Senec: 2. cont. 2. *potes sine viro pati.* & noster infra l. 9. ✠ſ 110. *nescis sine rege pati.*

316. *Aggere fultus.*] Quo emineret, ad milites concionaturus.

317. *Meruitque timeri.*] Autoritate & majestate verendus.

318. *Non metuens.*] Dissimulato metu, inquit, Frontinus lib. 1. Stratag. cap. 9.

321. *Hic fuge.*] Alii leg. *Hinc fuge.* Quasi non simpliciter eos missos faceret, sed contemptim & cum stomacho è castris facessere juberet: quæ res suprà modum milites percellit, existimantes Cæsarem tetenturum eos, blandimenta multa dando. *Hort. Hoc fuge.*] Pectore hoc meo reconde ensem, & bello quod adeo tibi displicet, finem impone.

322. *Detegit imbelle, &c.*] Multa seditiose in ducem loqui, nihil audere; arguit degeneres ignavosque animos, ad fugam quam ad bellum paratiores.

Ac ducis invicti rebus lassata secundis.
325 *Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis:*
Invenient hæc arma manus, vobisque repulsis
Tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt.
An ne fugam Magni tanta cum classe sequuntur
Hesperiæ gentes, nobis victoria turbam
330 *Non dabit, impulsi tantum quæ præmia belli*
Auferat, & vestri rapta mercede laboris,
Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
Vos defecta senes, exhaustaque sanguine turba
Cernetis nostros jam plebs Romana triumphos.
335 *Cæsaris an cursus vestræ sentire putatis*
Damnum posse fugæ? veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes,
Non magis ablatis unquam decresceret æquor,
Quàm nunc crescit, aquis: an vos momenta putatis
340 *Ulla dedisse mihi? nunquam sic cura Deorum*
Se premit, ut vestræ morti, vestræque saluti
Fata vacent. Procerum motus hæc cuncta sequuntur.

Huma-

325. *Vadite.*] Hinc facessite, positis armis.

326. *Invenient hæc arma manus.*] Facile inveniam novos milites qui capessant arma à quibus vos disceditis.

328. *An ne fugam Magni, &c.*] Cum videatis tantas Italorum atque Hispanorum copias sequi Pompejum fugientem & prope victum, creditisne mihi defuturos milites belli jam pene absoluti, victoriæ & triumphi comites, facili & parvo labore in vestri honoris præmia cessuros?

330. *Impulsi tantum, &c.*] Jam præcipitis & quasi peracti.

333. *Vos defecta senes, &c.*] Vos bello diutino fracti, sed propter perfidiam vestram inhonorati, turbæ & sine nomine vulgo redditi atque in fecem plebis relati, spectabitis nos triumphantes.

336. *Veluti si cuncta, &c.*] Non magis quam minueretur mare, si fontes negarent illi flumina.

339. *An vos momenta putatis, &c.*] Refutat id, quod clamaverant, Cæsarem militum virtute & labore vicisse. Respondet Deos Imperatorum non militum fata curare: infertque proinde suam victoriam à fatis, non à militibus pendere. *Momenta.*] Favorem, effectum. *Hortens. Sulpit.*

340. *Nunquam sic cura, &c.*] Cura Deûm, non tam dimittit se & ad vilia descendit, ut vestris rebus vacet, plebem respiciat: de principum negotiis, Dii tantum sunt solliciti, illis cæteros omnes servire volunt.

342. *Procerum motus hæc, &c.*] Omnia hæc ad principes ducesque referuntur, qui sunt curæ Diis, & volunt multitudinis

Digitized by Google

Humanum paucis vivit genus. orbis Iberi
Horror, & Arctoi, nostro sub nomine miles,
345 *Pompejo certè fugeres duce. fortis in armis*
Cæsareis Labienus erat: nunc transfuga vilis
Cum duce prælato terras, atque æquora lustrat.
Nec melior mihi vestra fides, si bella nec hoste,
Nec duce me geritis, quisquis mea signa relinquit,
350 *Nec Pompejanis tradit sua partibus arma,*
Hic nunquam vult esse meus. sunt ista profectò
Cura castra Deis, qui me committere tantis,
Non nisi mutato voluerunt milite, bellis.
Heu, quantum Fortuna humeris jam pondere fessis
355 *Amolitur onus! sperantes omnia dextras*
Exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis.
Jam certè mihi bella geram: discedite castris:
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.

At

tiulinis labores in illorum commoda verti. *Sulpit.*

343. *Humanum, &c.*] Ita, in paucorum (hoc est principum) utilitatem, cæteri omnes nascuntur & vivunt. *Orbis Iberi, &c.*] Qui me duce Gallos, Germanos, Hispanos debellastis, fugissetis certe, nacti Pompejum ducem. adeo præstat exercitus cervorum leone duce, &c.

345. *Fortis in armis, &c.*] Labienus, legatus meus in bello Gallico, quondam fortis & ubique victor, ex quo ad Pompejum à me defecerit, animo & fortuna simul cum fide deficiens, vagatur profugus cum duce, quem mihi prætulit. De Labieni defectione ad Pomp. vide quæ Dio, lib. 41.

348. *Nec melior mihi, &c.*] Neque tamen melius judicabo de fide vestra quam Labieni: etiamsi ad Pompejum non defeceritis, neque enim ego illum pro meo habiturus sum, nisi qui meas partes secutus fuerit.

353. *Mutato voluerunt milite.*] Firmioribus viribus ex novo milite conscripto.

354. *Quantum Fortuna, &c.*] Quanta cura me exonerat Fortuna, cui modo solicito de præmio militibus, quibus totus orbis dividundus vix sufficeret, pro strenue navata opera pernumerando, jam ad manum & in promptu merces est abunda ipsorumque votis expetita, mera missio absque præmiis.

355. *Sperantes omnia.*] Qui potuissent à me omnia sperare: & est callida ad mitigandum retinendumque ratio. *Sulpit. Sperantes omnia.*] Quibus fas erat omnia à me sperare.

356. *Exarmare.*] Missas facere.

357. *Mihi bella geram.*] *Emphaticè*; non vobis, qui me deseruistis.

358. *Viris ignavi signa.*] Fortibus; namque vos ignavi estis. *Quirites.*] In alia seditione, (ref. Suetonio) ardente tunc in Africa bello, milites missionem & præmia cum ingentibus minis flagitantes, una voce qua *Quirites* eos appellarat, tam facile circumegit & flexit,

At paucos, quibus hæc rabies auctoribus arsit,
360 *Non Cæsar, sed pœna tenet. procumbite terræ:*
Infidumque caput, feriendaque tendite colla.
Et tu, quo solo stabunt jam robore castra
Tiro rudis, spectata pœnas, & disce ferire,
Disce mori. Tremuit sæva sub voce minantis
365 *Vulgus iners: unumque caput, tam magna juventus*
Privatum factura timet: velut ensibus ipsis
Imperet, invito moturus milite ferrum.
Ipse pavet, ne tela sibi dextræque negentur
Ad scelus hoc Cæsar: vicit patientia sævi
370 *Spem ducis, & jugulos, non tantùm præstitit enses.*
Nil magis, assuetas sceleri quàm perdere mentes,
Atque perire timet. tam diro fœderis ictu
Parta quies, pœnaque redit placata juventus.
Brundusium decimis jubet hanc attingere castris,

Et

xit, ut ei milites esse se confestim responderint: & quamvis recusantem in Africam sint secuti.

359. *At paucos, &c.*] Paucos nihilominus retineo, neque ego tamen, sed pœna, seditionis hujus autoribus infligenda, ut exemplum ad novos milites transeat. qui discant capite plectere seditiosos, ipsi simile expectent supplicium, si quid simile deliquerint. *Grotius exponit:* Disce in pœna, quod in prœlio usurpes, ferire & mortem contemnere.

360. *Procumbite terræ.*] Ut securi percutiamini.

365. *Unumque caput, &c.*] Unum Cæsarem timuerunt, quem facile fuerat in ordinem redigere, si ab eo recederent. perinde ac si ipsi enses imperium ducis executuri fuissent, renuente & detrectante imperium milite.

368. *Ipse pavet.*] Metuebat enim Cæsar, ne milites haberet, parentes imperio: & tamen militum patientia vicit exspectationem ducis. *Hortens.*

369. *Ad scelus hoc Cæsar.*] Ad interficiendos eos qui missionem & pacem optaverant.

370. *Jugulos, &c.*] Nonam legionem, apud Placentiam, totam cum ignominia missam fecit: ægreque post multas & supplices preces, nec nisi exacta de sontibus pœna, restituit. Sueton. in Cæsare. Nonæ legionis, quæ seditionis causam inprimis præstitit, decumatione constituta, gemitu ab omnibus edito, prætores genibus affusi veniam suppliciter ab ipso deposcebant. Cæsar tandem vix ira posita, hoc concessit ut C. duntaxat: & XX. seditionis principes ab omnibus eligerentur, & XII. ex his à cæteris selecti supplicio afficerentur. Appian. 2. de bello civ.

371. *Nil magis, &c.*] Nihil magis timuit, quam ne veterani ad omne scelus assueti, vel ferociam animi ponerent, vel ab ipso recederent.

374. *Decimis jubet.*] Decem dierum itineribus. Et satis quidem longis citatisque, si modo longitudinem fere Italiæ armati X. diebus sint emensi. *Hanc attin-*

Digitized by Google

375 *Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus,*
Antiquusque Taras, secretaque littora Leucæ,
Quas recipit Salapina palus, & subdita Sipus
Montibus: Ausoniam quà torquens frugifer oram,
Dalmatico Boreæ, Calabroque obnoxius Austro
380 *Appulus Adriacas exit Garganus in undas.*
Ipse petit trepidam tutus sine milite Romam
Jam doctam servire togæ: populoque precanti
Scilicet indulgens, summum Dictator honorem
Contigit, & lætos fecit se Consule fastos.
385 *Namque omneis voces, per quas jam tempore tanto*
Mentimur dominis, hæc primum repperit ætas,
Quà sibi ne ferri jus ullum Cæsar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures.

Addi-

attingere.] Juventutem, hoc est, exercitum.

375. *Avius Hydrus.*] Flexuosus fluvius Calabriæ.

376. *Taras.*] Fluv. juxta Tarentum. *Leucæ.*] Urbis Salentinorum.

377. *Salapina palus.*] Variant hic Mss. sed quam recepimus vera est lectio. Salapia enim paludi nomen. Plinius III. II. *Grot. Salapina palus.*] Salapia Apuliæ opp. Annibalis meretricio amore famosum. *Sipus.*] Sipuntum, Apuliæ urbs.

378. *Montibus.*] Gargani, qui Apuliæ mons est, hinc Austro è Calabria, inde Boreæ è Dalmatia flanti, expositus, cui subjacens promontorium in mare Adriaticum extenditur.

381. *Ipse petit trepidam, &c.*] Cæsar composita seditione, sine exercitu Romam contendit.

382. *Togæ.*] Pacis autori Cæsari jam togato.

383. *Summum Dictator.*] Neque Senatu, aut Consule illum deligente, seipsum Dictatorem nominavit Cæsar. undecima deinde die Dictaturæ se abdicavit postquam se & P. Servilium Cossi creasset.

384. *Lætos, &c.*] Ironice. *Fastos.*] Supra versu 5. dictum, annos in libris Pastorum nominibus Consulum signari solere. Et significaturi quo anno quid gestum esset, Consulum solum ejus anni nomina citabantur. *Hortens.*

385. *Namq; omneis voces, &c.*] Namque ab hoc anno, quo Cæsar, ne quod sibi ferro sæviendi jus deesset, summam imperii potestatem consulatui adnexuit, invaluere omnes illi tituli quibus tyrannis Imp. assentamur, cujusmodi sunt *Divus, semper Augustus, Pater patriæ, fundator quietis, Dominus, &c. Voces, per quas, &c.*] Titulos indicat assentationis plenos, quibus solebant tyrannis falsò assentari, tum primum inventos. Propterea *mentimur* non quibuslibet, sed dominis; id quod servorum est, & mancipiorum abjecti fractique animi. *Hortens.*

388. *Ausonias secures.*] Consulatum urbis Romæ. *Gladiis miscere, &c.*] Imperatorum insignia insignibus Consulum.

Digitized by Google

Addidit & fasces aquilis, & nomen inane
390 *Imperii rapiens, signavit tempora digna*
Mœsta nota. nam quò melius Pharsalicus annus
Consule notus erit? fingit solennia campus,
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana versat in urna.
395 *Nec cœlum servare licet: tonat augure surdo,*
Et lætæ jurantur aves, bubone sinistro.
Inde perit primùm quondam veneranda potestas
Juris inops: careat tantum ne nomine tempus,
Menstruus in fastos distinguit secula Consul.
400 *Nec non Iliacæ numen quod præsidet Albæ*

Haud

389. *Nomen inane, &c.*] Consulis aut etiam Imperatoris, cum rectius appellandus esset tyrannus.

390. *Signavit, &c.*] Signavit annum suum cæde Pompeji, eversione Senatus & libertatis.

392. *Fingit solennia campus, &c.*] Hinc posteaquam ad unum Cæsarem cuncta fuerint delata, omnes majorum ritus & disciplina in creandis magistratibus sublata sunt. Imaginaria quædam Comitiorum in Campo habetur species, citantur à præcone tribus, neque tamen conveniunt aut admittuntur ad distincta suffragia, frustra in cistas conjiciuntur tabellæ, si quidem Imperator vel centuriis commendat vel ipse designat creatque quem vult Consulem.

393. *Dirimit suffragia.*] Sustulit. nam Se & Servilium Cons. dixit.

395. *Nec cœlum servare licet.*] Prævaricato etiam omni jure auspiciorum. Neque enim, pro more veterum, adhibentur Comitiis centuriatis Augures tres, qui cœlum & aves observent; aut si adhibeantur, cum propter Jovem tonantem, fulgurantemve aut infausta auspicia comitia impediri oporteat; dissimulant tamen se non audisse tonitrua, & quæcunque mali ominis apparuerint auguria parati sunt jurate læta esse & auspicata. *Tonat augure surdo.*] Dissimulante augure. Nam qui sub tonitru Jovis creatus fuerat, vitio creatus dicebatur, cogebaturque se abdicare magistratui. *Hortens.*

396. *Et lætæ jurantur aves.*] Augur lætas & auspicatas aves addixisse jurabat. Inauspicatæ aves maximè erant, cornix, bubo, &c. *Hortens.*

397. *Potestas Juris inops.*] Consularis, autoritate sua & jure privata.

398. *Careat tantum ne nomine.*] Cum autem omnia à Cæsaribus administrarentur, poterat Consulatus aboleri. Sed ideo singulis annis Coss. adhuc creati sunt, ut tempora eorum nominibus in Fastis digererentur. Vel ideo tantum consules creati sunt, ut tempora signari possent. *Hortens. Sulpit.*

399. *Menstruus in fastos, &c.*] In breve tempus, senos menses, binos, singulos, creatus Cos. Hoc enim sub Impp. postea factitatum meminere Suetonius in Caligula, Claudio, Nerone: & Tacitus lib. 17. de Othone. *In fastos.*] *In fastus* Ms. P. Et sanè eo sæculo hanc vocem, ut multas alias, fuisse geminæ flexionis, indicat illud x.

Nec mens Eudoxi vincetur fastibus annus. Grotius.

400. *Iliacæ.*] Ab Ascanio Trojano con-

Haud meritum Latio solennia sacra subacto
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.
Inde rapit cursus, & , quæ piger Appulus arva
Deseruit rastris, & inerti tradidit herbæ,
405 *Ocyor & cœli flammis, & tigride fœta*
Transcurrit: curvique tenens Minoïa tecta
Brundusii, clausas ventis brumalibus undas
Invenit, & pavidas hyberno sidere classes.
Turpe duci visum est rapiendi tempora belli
410 *In segnes exisse moras, portuque teneri,*
Dum pateat tutum vel non felicibus æquor.
Expertes animos pelagi sic robore complet:
Fortius hyberni flatus, cœlumque fretumque
Cùm cepêre, tenent, quàm quos incumbere certos

Per-

conditæ. *Numen quod, &c.*] Jupiter Latialis, cui quotannis novi Coss. in monte Albano Latinas celebrabant de nocte ferias in memoriam fœderis inter Tarquinium Sup. & Lat. renovati. Macr. lib. 1. Saturn. cap. 16.

401. *Haud meritum.*] Indignum sacris, quia Latii libertatem non defenderat. *Latio solennia, &c.*] His rebus & feriis Latinis, comitiisque omnibus perficiundis XL. dies tribuit, inde ab urbe proficiscitur, Brundusiumque pervenit. Comment. 3. civ. bell. *Subacto Latio.*] Italia jam in potestatem redacta.

402. *Vidit flammifera, &c.*] Quasi dicat, Cæsar antequam ex urbe discederet, perfecit ferias Latinas, & quidem nocte, qua in monte discedebatur, cum funalibus & tædis ob tenebras. *Hortensius.*

403. *Quæ piger Appulus.*] Per Apuliam incultam, & herba horridam relictam.

405. *Ocyor & cœli, &c.*] Hyperbole de tigridis catulis orbatæ velocitate, vide quæ nos ex Plinio & Solino ad 18. epigr. Martialis lib. spect.

406. *Curvique tenens.*] Lib. 2. ℣. 613. *Minoia.*] A Cretensibus, quibus Minos imperavit, condita. ut lib. 2. ℣. 610.

407. *Clausas ventis, &c.*] Non tentandas navibus.

408. *Pavidas hyberno.*] Tempestates hybernas minante Delphino oriente cum Cane matutino.

411. *Dum pateat tutum.*] Cæsar enim sibi turpe duxit, quum Brundusii esset, bellum trahere, ac non statim consueta sua celeritate in adversam Græciam exercitum traducere, quam diu mare tutum esset per hostes; qui jam propter anni tempus portus omnes tenebant in Græcia. *Hortens. Non felicibus æquor.*] Pompejanis, vel aliis, quos minus felices judicabat quam suos.

412. *Expertes animos, &c.*] Hujusmodi oratione confirmavit milites suos ad mare tentandum, suasitque ut impedimenta in Italia relinquerent, ipsi expediti naves conscenderent, &c. Comment. civ. bell. 3.

413. *Fortius hyberni, &c.*] Constantius dicit hybernos ventos cælum tenere, quam vernos. *Hortens.*

415 *Perfida nubiferi vetat inconstantia veris.*
Nec maris anfractus, lustrandaque littora nobis,
Sed recti fluctus; soloque Aquilone secandi.
Hic utinam summi curvet carchesia mali,
Incumbatque furens, & Graja ad mœnia perflet,
420 *Ne Pompejani Phæacum è littore toto*
Languida jactatis comprendant carbasa remis:
Rumpite, quæ retinent felices vincula proras.
Jamdudum nubes, & sævas perdimus undas.
Sidera prima poli Phœbo labente sub undas
425 *Exierant, & luna suas jam fecerat umbras:*
Cùm pariter solvêre rates, totosque rudentes
Laxavêre sinus: & flexo navita cornu
Obliquat lævo pede carbasa, summaque pandens

Sup-

415. *Perfida nubiferi, &c.*] Propter ventorum crebras mutationes sub incertis vernis sideribus.

416. *Nec maris anfractus.*] Neque per circuitum iter est, unde opus sit variis ventis: sed uno tantum constanti. Aquilone tamen commodior erat Auster. quod testatur Comm. de civ. bell. 3. *Nacti*, inquit, *Austrum*; & *Increbuit Auster.*

418. *Hic utinam, &c.*] Optat è vestigio citra moram, ita secundum & ferentem ventum, ut plenis velis trajiciat. *Hortens. Curvent carchesia mali.*] Vehementi flatu urgeat & inclinet summam mali partem, quo velum attollitur.

419. *Graia ad mœnia, &c.*] Epidamnum ceu Dyrrhach. lib. 2. ℣. 624. ab iis Corcyrensibus qui Phæacum insulam tenuerunt conditum. Thuc. l. 1. Strabo lib. 7. atque Apolloniam.

420. *Ne Pompeiani.*] Ne Pompejanæ è litore Dyrrhachino triremes invadant nostras onerarias ventis destitutas.

422. *Rumpite.*] Ad milites hortantis Cæsaris verba sunt, habentque celeritatis sive præcipitantiæ potius indicationem. *Hortens.*

423. *Jam dudum, &c.*] Causa præcipitationis, quod paulatim dispalescentibus nubibus verisimile esset, ventos positum iri: simul cum prospero vento, etiam portus & loca maris portui proxima aquis nudarentur. *Hortens.*

424. *Sidera prima, &c.*] Conclamantibus omnibus, *imperaret, quod vellet; quodcunque imperavissent, se æquo animo esse facturos*, pridie Non. Jan. naves solvit, impositis VII. legionibus, postridie terram attigit juxta saxa Ceraunionum, &c. Comment. civ. bell. 3.

425. *Luna suas.*] Notatio temporis vespertini.

427. *Sinus.*] Velorum sinus, *Synecdoc.* ipsa vela. *Flexo navita, &c.*] Obliquato in longitudinem navis velo, ad captandum flantem à latere ventum remittentem, cornu antennæ cum pede, id est, imo veli angulo sinistro producunt nautæ, reducto altero. *they bring fore the lorbord tack.*

428. *Obliquat lævo pede.*] Pedes propriè sunt funes ad angulos velorum, qui-

Suppara velorum perituras colligit auras.
430 *Ut primùm levior propellere lintea ventus*
Incipit, exiguumque tument, mox reddita malo
In mediam cecidêre ratem: terraque relicta
Non valet ipsa sequi puppes, quæ vexerat aura.
Æquora lenta jacent alto torpore ligata.
435 *Pigrius immotis hæsere paludibus undæ,*
Sic stat iners Scythicas astringens Bosporus undas
Cum glacie retinente fretum non impulit Ister,
Immensumque gelu tegitur mare: comprimit undæ,
Deprendit quascunque rates: nec pervia velis
440 *Æquora frangit eques, fluctuque latente sonantem*
Orbita migrantis scindit Mæotida Bessi.
Sæva quies pelagi, mœstoque ignava profundo

Sta-

quibus ea vertebantur: & nunc dextri, nunc sinistri solvebantur velorum sinus pro venti mutabilitate, & pro ut dextra vel sinistra adflaret. *Cornua* sunt extremitates antennarum. Facere ergo pedem, Belg. *De schoot vieren.* Obliquare sinus velorum, Belg. *'t Seyl aenstetten.* Sic obliquare cursum, Belg. *Laveeren.*

429. *Suppara, &c.*] Lintea supra antennam & acatium expansa. *topsailes.*

430. *Ut primum, &c.*] Melius Ms. P. *Et primum.* Sequitur enim *mox.* Et primum quidem, inquit, ferens fuit ventus: mox elanguit. *Grotius. Levior propellere.*] Parum crebrescens. *Levior propellere lintea.*] Venti flatus qui naves à terra deduxerat, remittit deficitque. *Mox reddita, &c.*] Ventis flare desinentibus, laxa malis hæsere, ac in mediam navim cecidere; imo ut tum ad enavigandum parum essent utilia. *Hortens.*

434. *Æquora lenta, &c.*] Jamque malacia æquor sternebatur, *becallend.* haud aliter quam gelu astringitur Pontus Euxinus, quem neque emittit Bosporus Thracius, neque impellit Ister influens septem ostiis.

436. *Bosporus.*] Duo Bospori sunt, angusta maris freta; quorum alter Thracius, alter Cimmerius appellatur. In Bosporo Thracio, ubi Bizantium est, os Pontici maris in angustias quatuor stadiorum contractum, in Propontidem, Euxinum exonerat. Cimmerius Bosporus inter Mæotim & Euxinum Europam alluit. *Hortens.*

438. *Comprimit undæ.*] Astringit, retinetque.

439. *Nec pervia velis, &c.*] Pontus & Mæotis palus, modo navigiis pervia, jam indurata, equitibus, curribus & plaustris solum præstant. *orbita* autem vestigium rotæ est, ipsa rota, *Synec.* currus.

440. *Fluctuque latente.*] Quia sub glacie est.

441. *Bessi.*] Bessorum pop. Thraciæ ad Æmum montem.

442. *Sæva quies pelagi, &c.*] Ista tranquillitas stagnantis maris Cæsari magis adversa & inclemens quam sævissima tempestas, instar glacialis maris, Pontique gelu constricti nec servantis cursus vicissitudines; non æstu fluit, non reciproco fluxu refluxuque æstuat, non

Stagna jacentis aquæ, veluti deserta rigente
Æquora natura cessant: Pontusque vetustas
445 *Oblitus servare vices non commeat æstu,*
Non horrore tremit: non Solis imagine vibrat.
Casibus innumeris fixæ patuêre carinæ.
Illinc infestæ classes, & inertia tonsis
Æquora moturæ; gravis hinc languore profundi
450 *Obsessis ventura fames. nova vota timori*
Sunt inventa novo, fluctus nimiasque precari
Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis, & sit mare. nubila nusquam,
Undarumque minæ: cœlo languente, fretoque
455 *Naufragii spes omnis abit. sed nocte fugata*
Læsum nube diem jubar extulit, imaque sensim
Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis.
Inde rapi cœpêre rates, atque æquora classem

Cur-

ex undarum motu solis splendorem & imaginem vibrat. *Solis imaginem interpretes Lunam esse volunt, referuntque hæc omnia ad Ionium mare & Cæsaris nocturnam navigationem. dispiciat Lector.*

443. *Jacentis aquæ, &c.*] Propter tranquillitatem immotæ. *Veluti deserta rigente.*] Tanquam relicta à natura quæ nunc rigere, & se non movere videtur. Vel quasi æquor à natura damnatum esset, ne fluctus suos moveret, ac consuetas vires commeandi reciprocas servaret. *Sulpit. Hortens.*

446. *Non horrore tremit.*] Sed jacet immota unda, ut ne Solis quidem imaginem huc agitatam ac tremulam in aquarum superficie vibret. *Solis imaginem* hoc loco Lunam intelligit, quæ lucem suam à Sole accipit: navigabat enim Cæsar nocte, ut modo dictum est. *Hortens.*

447. *Patuere carinæ.*]Obnoxiæ fuere.

448. *Infestæ classes.*] Hostiles, Pompejanæ, remigiis & celeritate præstantiores. *Tonsis.*] Remis:à tondendis fluctibus, sic dictæ. Virg. *Et in lento inclantur marmore tunsæ.*

449. *Gravis hinc, &c.*] Si diu maris tranquillitate detinerentur, gravis fames.

450. *Nova vota.*] Tempestates exoptantia.

452. *Dum se torpentibus, &c.*] Modo cesset inerti torpore stagnare, redeat in suam naturam excitetursque ventis.

454. *Cœlo languente.*] Ventis quiescentibus, nubibus nusquam apparentibus.

455. *Naufragii, &c.*] Invasitque metus famis.

456. *Læsum nube.*] Nubibus obductum.

457. *Movitque Ceraunia.*] Submovit ex oculis nautarum, agitatione fluctuum. *Hortens. Movitq; Ceraunia nautis.*] Ceraunia Epiri montes moveri videbantur, cum naves ventis agitarentur.

458. *Atque æquora, &c.*] Et fluctus sinuosi à puppi surgentes cœpere impellere classem.

460. *Pa-*

Curva sequi, quæ jam vento, fluctuque secundo
460 *Lapsa Palæstinas uncis confixit arenas.*
Prima duces vidit junctis consistere castris
Tellus, quam velucer Genusus, quam mollior Apsus
Circumeunt ripis. Apso gestare carinas
Causa palus, leni quam fallens egerit unda.
465 *At Genusum nunc sole nives, nunc imbre solutæ*
Præcipitant: neuter longo se gurgite lassat,
Sed minimum terræ vicino littore novit.
Hoc fortuna loco tantæ duo nomina famæ
Composuit: miserique fuit spes irrita mundi,
470 *Posse duces parva campi statione diremtos*
Admotum damnare nefas. nam cernere vultus,
Et voces audire datur: multosque per annos
Dilectus tibi, Magne, socer, post pignora tanta,

San-

460. *Palæstinas uncis confixit, &c.*] Quid Palæstinæ cum iis, qui ex Italia in Epirum navigant? lege, quamquam nihil juvantibus manuscriptis *Apamestinas*. Nam Apameste est in prominente parte Italiæ, quæ ad Epirum accedit, contrà Apsum flumen. Vide Plin. & Ptolemæum. *Grotius. Palæstinas.*] Palæste, urbs Orico vicina prope Ceraunia ad eum locum qui appellatur Pharsalus, omnibus navibus ad unam incolumibus milites exposuit. lib. 3. de bel. civ. *Uncis confixit arenas.*] Ancoris.

461. *Prima duces vidit, &c.*] Eo tempore Pompejus erat in Candavia. Audito vero Cæsarem advenisse & recepisse Oricum & Apolloniam; Dyrrhachio timens, adproperat. Cæsar ad fluv. Apsum castra posuit, Pompejus trans flumen.

462. *Genusus, quam mollior Apsus.*] Macedoniæ fluv.

463. *Apso, &c. fallens egerit unda.*] Apsus leniter fluens stagnat, ideoque navigabilis est.

464. *Causa palus.*] Causa cur navigabilis sit, quod palus leniter se in Apsum exoneret. *Hortens.*

465. *At Genusum, &c.*] Genusus torrentior est rapidiorque propter nives solutas quibus augetur.

466. *Neuter, &c.*] Neuter fluv. procul à mari oritur.

468. *Duo nomina.*] Cæsarem & Pompejum.

469. *Miserique fuit, &c.*] Jamque omnium expectatio incassum cessit: speraverant enim fore, ut duces isti, si quando in mutuum alter alterius conspectum venisset, nefarium hoc bellum improbarent.

471. *Admotum damnare nefas.*] In procinctu quasi, & ante oculos utriusque positum.

472. *Multosque per annos, &c.*] Ex quo enim inita cum Pompejo affinitate, tradita illi in matrimonium filia sua, Cæsar Gallias obtinuit, non contigit propius vidisse Pompejum quam hic, nisi quod in Ægypto postea caput ejus oblatum conspexerit.

473. *Pignora tanta, &c.*] Nuptias Pom-

Digitized by Google

Sanguinis infausti sobolem, mortemque nepotis,
475 *Te nisi Niliaca propiùs non vidit arena.*
Cæsaris attonitam miscenda ad prœlia mentem
Ferre moras scelerum partes jussêre relicta.
Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Jam tum civili meditatus Leucada bello.
480 *Illum sæpe minis Cæsar, precibusque morantem*
Evocat: O mundi tantorum causa malorum,
Quid Superos, & fata tenes? sunt cætera cursu
Acta meo, summam rapti per prospera belli
Te poscit Fortuna manum. num rupta vadosis
485 *Syrtibus incerto Libye nos dividit æstu?*

Num-

Pompeji & Juliæ, quæ gravida abortum fecit mortuaque est, ut diximus lib. 1. ℣. 113.

474. *Sanguinis infausti sobolem.*] Post affinitatem infelicis filiæ. *Mortemque nepotis.*] Fœtus immaturi. Ms. P. leg. *nepotum*, quod & Torrentius in Codice quodam optimo scriptum reperit: & multitudinis numero rem magis exaggerat. Tum *post pignora tanta*, legendum dicit, *post pignora rapta*; nam & sensus hoc suadere videtur. Nam profecto *sanguinis infausti sobolem*, Juliam, Cæsaris filiam intelligit; ac more suo iniquior Cæsari, *infaustum sanguinem* ait.

476. *Cæsaris attonitam, &c.*] Cæsar expositis militibus eadem nocte naves remiserat Brundusium, quibus reliquas legiones equitatusque transportaret Antonius, cujus tardior adventus Cæsarem in bella promum remorabatur.

477. *Ferre moras scelerum.*] Cessationem prælii & cædis. nam *moras scelerum*, suo more cladem civilem vocat. *Partes.*] Copiæ. *Relictæ.*] Brundusii; nam ibi exercitui præerat Antonius. *Sulpit. Hortens.*

479. *Jam tum civili, &c.*] Hic sub Julio Cæs. exercitatus edoctusque bellum tractare civile, quale & ipse postea moverit contra Octavium Augustum in quo victus est prope Leucad. lib. 1. ℣. 43. *Meditatus.*] Ridiculum hoc, ne dicam ἀδύνατον, quasi verò Antonius eventum belli præscire potuisset. *Leucada.*] Actiacam pugnam. Nam Leucas, insula est in sinu Ambracio; item promontorium Epiri; inter quod & Actium, Octavius Antonium & Cleopatram navali certamine vicit. *Meditatus Leucada.*] Meditatus civile bellum, quod postea ad Actium gessit. *Grotius.*

480. *Illum sæpe minis Cæsar.*] Cæsar, inquit poëta, indignabundus Antonii moram, hujusmodi verbis secum stomachatur.

482. *Quid Superos.*] Cur belli exitum remoraris? *Sunt cætera cursu, &c.*] Omnia nostro consilio, *cursu* & celeritate, feliciter & virtute sunt confecta: nihil igitur reliquum est, nisi id, quod fortuna abs te postulat, ut finem bello imponamus. *Hortens.*

483. *Summam manum.*] Summam manum rebus imponere dicimur, quum perficimus. *Sulpit.*

484. *Num rupta, &c.*] Num tibi iter est per mare periculosum longum aut inexploratum? non est.

485. *Libye nos dividit.*] Argumentatur à fa-

Nunquid inexperto tua credimus arma profundo?
Inque novos traheris casus? ignave, venire
Te Cæsar, non ire, jubet. prior ipse per hostes
Percussi medias alieni juris arenas.
490 *Tu mea castra times? pereuntia tempora fati*
Conqueror: in ventos impendo vota, fretumque.
Ne retine dubium cupientes ire per æquor:
Si bene nota mihi est, ad Cæsaris arma juventus
Naufragio venisse volet. jam voce doloris
495 *Utendum est: non ex æquo divisimus orbem.*
Epirum Cæsarque tenet, totusque Senatus:
Ausoniam tu solus habes. his terque, quaterque
Vocibus excîtum postquàm cessare videbat,
Dum se deesse Deis, at non sibi numina, credit:
500 *Sponte per incautas audet tentare tenebras,*
Quod jussi timuêre, fretum: temeraria prono

Exper-

à facili, ad transportandum exercitum. Nam Syrtes Libycæ nos non separant, sed sumus vicini: quum inter Calabriam, Brundusiumque & Dyrrhachium atque Epirum, fretum sit non multorum stadiorum latitudine. *Hort.*

486. *Nunquid inexperto, &c.*] Non ante à me tentato. Cæsar enim nuper admodum, cum septem legiones transvectaret, mare illud emensus fuerat: quare acerbe eum *ignavum* appellat, quod exemplum ejus imitari non audeat. *Hortens.*

487. *Venire.*] Sequi.

488. *Non ire jubet.*] Venitur ad amicos: itur ad hostes, aut in vacua. *Grot.*

489. *Percussi medias, &c.*] Appuli, fixique ancoras in litore ab hostibus occupato.

490. *Pereuntia tempora fati.*] Tua ignavia, quæ meam victoriam, mihi fato destinatam, remoretur, quam propè in manibus habeo. *Hortens.*

491. *In ventos impendo.*] Id est, frustrà preces consumo meas in fretum. *Hortens.*

493. *Ad Cæsaris, &c.*] Milites mei vel è certo naufragio enatantes ad me trajici gestiunt.

494. *Voce doloris.*] Quam mihi dolor extorquet.

495. *Non ex æquo divisimus.*] Cum ego & totus Senatus Epirum; tu solus Italiam possideas, tuoque imperio regas. Proinde inæqualiter orbis divisus est. *Hortens.*

497. *Terque.*] Sæpius.

498. *Vocibus excitum, &c.*] Antonium invocatum, quem interea Libo Pompeji præfectus cum classe L. navium, insula quæ contra Brundusinum portum est, occupata, egressu prohibuit.

499. *Se deesse Deis.*] Se negligere rerum bene gerendarum occasiones à Diis oblatas, Deos suis votis non deesse.

501. *Jussi timuere.*] Antonius Gabinius,

Digitized by Google

Expertus ceßisse Deo: fluctusque verendos
Claßibus, exigua sperat superare carina.
Solverat armorum fessas nox languida curas:
505 *Parta quies miseris, in quorum pectora somno*
Dat vires fortuna minor: jam castra silebant:
Tertia jam vigiles commoverat hora secundos,
Cæsar sollicito per vasta silentia gressu
Vix famulis audenda parat: cunctisque relictis,
510 *Sola placet Fortuna comes. tentoria postquàm*
Egressus vigilum, somno cedentia membra
Transiluit, questus tacitè quòd fallere posset;
Littora curva legit, primisque invênit in undis
Rupibus exesis hærentem fune carinam.
515 *Rectorem, dominumque ratis secura tenebat*
Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
Sed sterili junco, cannaque intexta palustri,
Et latus inversa nudum munita phaselo.

Hæc

binius, & Calenus cum suis, quos præter mandatum literis evocaverat. *Temeraria prono, &c.*] Multoties expertus feliciter sibi cessisse temeraria ausa.

502. *Fluctusq; verendos Claßibus, exigua, &c.*] Cum pars exercitus ob inopiam navium cum Antonio Brundusii relicta moram faceret, Cæsar moræ impatiens, tanquam nuncius, ad arcessendos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio navigio, solus ire tentavit. ait Florus lib. 4. cap. 2. lembo, Dio. 41. rati veloci, Appian. 2. de bell. civ. navi duodecim remorum. Plut. in Cæs.

504. *Solverat.*] Noctis notatio. *Armorum.*] Pro armatorum.

505. *In quorum, &c.*] Quorum, quo quisque fortuna est minori, eo arctiori compressus somno reficitur. ut infra vs. 527.

506. *Jam castra silebant: Tertia, &c.*] Altissima per castra quies, sub secunda noctis vigilia, è ternis in ternas horas relevatis singulis.

509. *Vix famulis audenda parat.*] Facinus, quod famulorum nemo ausus fuisset. Plutarchus refert Cæsarem servili habitu dissimulasse se. Appianus, præmisisse eum tres servos qui ratem appararent sibi tanquam Cæsaris nuncio.

511. *Somno cedentia, &c.*] Militum somno sopitorum.

512. *Questus tacite, &c.*] Inique tamen ferens vigilias adeo securas, imo neglectas.

513. *Legit.*] Lustrat, percurrit.

516. *Non ullo robore fulta.*] Nullis lignis fulta.

517. *Sterili junco.*] In sterili solo nato.

518. *Et latus, &c.*] Cujus latus inversa cymba muniebatur.

519. *Te-*

Hæc Cæsar bis terque manu quassantia tectum
520 *Limina commovit. molli consurgit Amyclas,*
Quem dabat, alga, toro. Quis nam mea naufragus, inquit,
Tecta petit? aut quem nostræ Fortuna coëgit
Auxilium sperare casæ? Sic fatus, ab alto
Aggere, jam tepidæ sublato fune favillæ,
525 *Scintillam tenuem commotos pavit in ignes,*
Securus belli: prædam civilibus armis
Scit non esse casas. O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique lares! ô munera nondum
Intellecta Deûm! quibus hoc contingere templis,
530 *Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu*
Cæsarea pulsante manu? tum poste recluso,
Dux ait: Expecta votis majora modestis,
Spesque tuas laxa juvenis, si jussa secutus
Me vehis Hesperiam, non ultrà cuncta carinæ
535 *Debebis, manibusque inopem duxisse senectam.*
Ne cessa præbere Deo tua fata, volenti
Angustos opibus subitis implere Penates.
Sic fatur: quanquam plebeio tectus amictu,

Indo-

519. *Tectum, &c.*] Tenui quippe adminiculo fultum.

520. *Amyclas.*] Navitæ nomen.

521. *Naufragus.*] E naufragio, cedo, enatans.

524. *Aggere.*] Thoro ex alga & ulva. *Jam tepidæ, &c.*] Suscepit funem in quo servabatur ignis, *arida circum Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.* Virg. 1. Æneid.

525. *Commotos pavit, &c.*] Nutrivit movendo, donec flamma eluxit.

527. *O vitæ tuta, &c.*] O paupertas, incolumitatis pignus! Deorum munus! cujus quanta sit utilitas nesciunt mortales. Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσον μέγ' ἄνειαρ, &c. Hesiod.

532. *Dux ait, &c.*] Onerat nautæ animum magnificis commodorum promissis, priusquam proponat, quid sit faciendum, quidque petat. *Hortens. Votis majora modestis.*] Majora præmia quam per modestiam optare liceat.

533. *Spesque tuas, &c.*] Dilata, ad sperandum amplissima.

534. *Me vehis Hesperiam.*] Pro in Hesperiam. *Non ultra, &c.*] Non erit cur posthac victum scapha sola quærites.

535. *Duxisse senectam.*] Ut meo beneficio tranquillam quietamque senectam sis in otio & lauta vita acturus. *Hortens.*

536. *Ne cessa præbere, &c.*] Quin laxas sinum ad capienda Mercurii & bonæ Fortunæ missilia, quin pandis fores tenuis laris repente & tanquam per somnium admissurus aureum imbrem.

538. *Quanquam, &c.*] Utcunque servili

Digitized by Google

Indocilis privata loqui. tum pauper Amyclas:
540 *Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.*
Nam sol non rutilas deduxit in æquora nubes,
Concordesque tulit radios: Noton altera Phœbi,
Altera pars Borean diducta luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio, languensque recessit,
545 *Spectanteis oculos infirmo lumine passus.*
Lunaque non gracili surrexit lucida cornu,
Aut orbis medii puros exesa recessus:
Nec duxit recto tenuata cacumina cornu,
Ventorumque nota rubuit: tum lurida pallens
550 *Ora tulit vultu sub nubem tristis ituro.*
Sed mihi nec motus nemorum, nec littoris ictus,
Nec placet incertus, qui provocat æquora, Delphin:

Aut.

servili habitu (teste Plutarcho) vel plebeio nuncium mentitus, non tamen potuit non magnifica & splendida loqui.

540. *Multa quidem, &c.*] Plurima hesterna tempestatum prognostica vetant *ne nocte per altum Ire neque à terra permittunt solvere funem.* Noster autem suo more signa omnia congerit è Virg. 1. Georg. accersitis quæ & ipse debet Arati σημείοις & φαινομένοις.

541. *Nam sol non, &c.*] Sol enim occidens si rutilus sit, aut rubescentibus circundatus nubibus, serenitatem crastini spondet. Arat. Virg. 1. Georg. Plin. lib. 18. cap. ult.

542. *Concordesque tulit radios.*] *Nec concordes tulit radios.* ut lib. 2. ✠. 35. monuimus. *Sed densa inter nubila sese Diversi erumpebant radii*, hinc ad Austrum, inde ad Boream sparsi.

543. *Diducta luce.*] Divisis radiis.

544. *Orbe quoque, &c.*] Medio concavus visus, & fulgore debilis.

545. *Lumine passus.*] Spectari se passus est, non læsa acie aspicientis. *Sulpitius.*

546. *Non gracili, &c.*] Non tenui, sed obtuso & crasso. Vel surrexit non lucida, cornu gracili: nam si cornu lunæ acuminatum, ventum præsagit. *Sulpitius. Non gracili surrexit lucida cornu.*] *Obtusis per cœlum cornibus ibat.* ἀμβλείαις κεραίαις. Arat. *Si nigrum obscuro comprenderis æra cornu, &c.* 1. Georg.

547. *Aut orbis, &c.*] Nec clara & nubeculis vacua in medio orbis sui recessu. *Puros exesa, &c.*] Continens in medio & concavitate nubem.

548. *Nec duxit, &c.*] Resupina Lunæ cornua pluviam ab Austro præsagiunt. ἐπιστρέφουσι δὲ νότιοι. Arat.

549. *Ventorumque nota rubuit.*] *Venta semper rubet aurea Phœbe.* ὅτ' μεγάλ' ἐρεύθῃς Πνεύματα σῆμα. rubicunda flat.

551. *Litoris ictus.*] *Resonantia longe Litora misceri, & nemorum increbrescere murmur.* Virgil. 1. Georg. οἰδαίνουσα θαλάσσα.

552. *Nec placet incertus.*] Certus Delphinorum lascivientium cursus ventum ab illa parte prænunciat: incertus, ventos diversos.

553. *Aut*

Aut siccum quod mergus amat: quodque ausa volare
Ardea sublimis penna confisa natanti:
555 *Quodque caput spargens undis, velut occupet imbrem,*
Instabili gressu metitur littora cornix.
Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,
Haud dubitem præbere manus: vel littora tangam
Jussa, vel hoc potius pelagus, flatusque negabunt.
560 *Hæc fatur, solvensque ratem dat carbasa ventis:*
Ad quorum motus non solùm lapsa per altum
Aëra dispersos traxêre cadentia sulcos
Sidera: sed summis etiam quæ fixa tenentur
Astra polis, sunt visa quati. niger inficit horror
565 *Terga maris: longo per multa volumina tractu*
Æstuat unda minax: flatusquè incerta futuri,
Turbida testantur conceptos æquora ventos.
Tunc rector trepidæ fatur ratis: Aspice sævum
Quanta paret pelagus: Zephyrosne intendat, an Euros
570 *Incertum est: puppim dubius ferit undique pontus.*

Nubi-

553. *Aut siccum quod, &c.*] *Quum medio celeres revolant ex æquore mergi Clamoremque ferunt ad litora.*

554. *Ardea sublimis, &c.*] *Notasque paludes Deserit atque altam supravolat ardea nubem.* καὶ ἀλ' ἂν ἐπὶ ξηρὴν ὅτ' ἐρωδιὸς, &c. Arat. *Natanti.*] *Metaph.* Leniter volanti.

555. *Quodqué caput, &c.*] *Cursans per litora cornix Demersit caput, & fluctum cervice recepit.* Cic. 1. divin. Arat. χέρσου ὑπαίνυσι κορώνη Ἠτοι καὶ πολιοῖο ἐβάψατο, &c.

557. *Sed si magnarum, &c.*] Licet ista præfagia dissuadeant navigationem, transinittam tamen, nisi id vel mare, vel venti adversi, me invitum cogant retrò vertere velum, & jussis tuis non obedientem esse. *Hortens.*

559. *Jussa.*] Italia. *Vel hoc potius pelagus.*] Per maris ventorumque rabiem stabit potius quam per me, quò minus trajicias.

561. *Ad quorum, &c.*] Vi ventorum sidera ac stellæ è zodiaco cadere visa sunt, quæ suo lapsu magnum sulcum traxere per aëra. *Hort. Non solum, &c.*] Non illæ, quas vocant transvolantes, deciderunt tantum, sed & fixæ stellæ labascere videbantur. *Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis Præcipites cœlo labi.* καὶ δὴ νύκτας μέλαινεν, ὅτ' ἀστέρες αὔσαιεν.

564. *Visa.*] *De cœlo stella sereno, Et si non cecidit, potuit cecidisse videri.* Ovid. Metam. 2. vide Meteorologos. *Quati.*] Propter venti intermedii motum.

566. *Flatusq; incerta futuri.*] Æquora diversis flatibus agitata testantur diversos ventos imminentes.

568. *Trepidæ fatur ratis.*] *Hypallage*, rector trepidus ratis.

Nubibus, & cœlo Notus est. si murmura ponti
Consulimus, Cori verrent mare. gurgite tanto,
Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.
Desperare viam, & vetitos convertere cursus
575 *Sola salus. liceat vexata littora puppe*
Prendere, ne longè nimium sit proxima tellus.
Fisus cuncta sibi cessura pericula Cæsar,
Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti
Trade sinum. Italiam si cœlo auctore recusas,
580 *Me pete. sola tibi causa hæc est justa timoris,*
Vectorem non nosse tuum; quem numina nunquam
Destituunt; de quo malè tunc Fortuna meretur,
Cùm post vota venit: medias perrumpe procellas
Tutela secure mea. cœli iste fretique,

Non

571. *Nubibus, & cœlo Notus est.*] Nubes aguntur Noto: mare murmurat Coro. Jo. Rutgersius lib. 1. var. lect. cap. 12. ita dispungit legitque, *Nubibus & cœlo Notus est: si murmura ponti Consulimus, Cori. Veniet mare gurgite tanto, Nec ratis Hesp.*

572. *Cori verrent mare.*] Conjectura vera ducentibus Ms. qui non *venient Cori in mare*, sed *Cori venient mare* præferunt: Virgilius 1. Æneid.

Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras. Grot.

Gurgite tanto.] Tempestate.

573. *Nec naufragus oras.*] Neque etiam naufragi appellemur oræ Italiæ, fluctibus & ventis adversantibus.

574. *Desperare viam.*] Una scil. superest salus, ut desperata navigatione, retrò unde venimus, cursum vertamus. *Hortens.*

576. *Nec longè nimium, &c.*] Licet haud procul à terra absimus. *Hortens.*

577. *Fisus cuncta sibi, &c.*] Cæsar fortunam multis antea bellis sibi benignam & faventem expertus, quum non dubitaret, quin ista etiam præsentia pericula feliciter evaderet, ad istum modum respondit nautæ. *Hortens.*

578. *Pelagi, &c.*] Hæc mari facta refert noster & Suetonius: sed Plut. Appian. Dio in flumine Anio. ad cujus ostia, cum æstum maris & fluctus occurrentes nulla vi aut arte gubernator superare posset, navim retro vertebat. quod conspicatus Cæsar, seipsum aperuit, & manum gubernatoris attoniti prehendens: *Agedum, inquit, bone vir, audacter perge, neque time quicquam: Cæsarem vehis & Cæsaris unà fortunam.*

579. *Sinum.*] Vela. *Cœlo auctore recusas.*] Vento prohibente.

580. *Me pete.*] Me jubente.

583. *Cum post vota venit.*] Cum expetitur atque expectatur, & vota mea antevertit semper, donatque semper, antequam opto aliquid.

584. *Tutela secure mea.*] Quem ego à periculis tutari possum. *Cœli iste fretique.*] Hoc periculum nihil curat nostrum navigium, sed ventorum ac maris quædam molestia est & infestatio.

Hor-

585 *Non puppis nostra labor est: hanc Cæsare pressam*
A fluctu defendet onus. nec longa furori
Ventorum sævo dabitur mora: proderit undis
Ista ratis. nec flecte manum: fuge proxima velis
Littora: tum Calabro portu te crede potitum,
590 *Cùm jam non poterit puppi, nostraque saluti*
Altera terra dari. quid tanta strage paretur
Ignoras? quærit pelagi, cœlique tumultu
Quid præstet Fortuna mihi. Non plura locuto
Avulsit laceros percussa puppe rudentes
595 *Turbo rapax, fragilemque supervolitantia malum*
Vela tulit: sonuit victis compagibus, alnus.
Inde ruunt toto concita pericula mundo.
Primus ab Oceano caput exeris Atlanteo,
Core, movens æstus: jam te tollente furebat
600 *Pontus, & in scopulos totas erexerat undas.*

Occur-

Hortens. Cœli iste fretiq; Non, &c.] Infestatur aër, plectitur pelagus, nostra puppi sospite, cui non intenditur à ventis periculum.

585. *Hanc Cæsare pressam.*] Hoc est, onus, quod vehis, defendet navigium, in quo ipsum Cæsarem vehis & ejus fortunam. Poëta nimiam confidentiam, sed poëticè, Cæsari tribuit; quasi verò ei in manus esset, fluctus regere, & ventis imperare. Quare arroganter addit: *Nec longa furori Ventorum sævo dabitur mora.* Hortens. *Hanc Cæsare pressam.*] Cæsar vector tutam tibi præstabit cymbam, quasi numen tutelare navis, vide Cl. V. I. Selden. de Diis Syris, Syntagm. 2. cap. 15.

586. *Nec longa furori.*] Nec durabit diu tempestas hæc.

588. *Proxima.*] Epiri lit.

589. *Calabro.*] Brundusino.

590. *Cum jam non, &c.*] Quia neque è re mea est, neque salute, ut repetamus litus oppositum, id est, Epiri, vel, aliud.

591. *Strage.*] Tempestate.

593. *Quid præstet Fortuna mihi.*] Ut præstet mihi incolumem navigationem, classibus Pompejanis per tempestatem non ausis deserere litora. *Præstet.*] Conferat. blanditur enim mihi, ostendens, quod quum possit nocere, conferat beneficium. *Sulpit. Non plura locuto, &c.*] *Talia jactanti stridens Aquilone procella Velum adversa ferit.*

596. *Sonuit alnus.*] Juncturis jam fatiscentibus crepuit navicula, ut quæ jam videretur dissilire. *Hortens. Alnus.*] Cymba.

597. *Inde ruunt, &c.*] Summatim undique statim congesta omnia pericula commemorat, quæ particulatim enarrando jam dilatabit. *Hortens. Toto concita pericula mundo.*] Ab omni cœli parte.

598. *Ab Oceano caput exeris Atlanteo.*] A mari Atlantico. Corus, flat ab Occasu solstitiali, adversus Aquilonem. *Atlanteo.*] Ab Atlante monte, quem alluit in extrema Africæ ora, sic dictum mare. Deinde Cori violentia quum

Digitized by Google

Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit:
Et dubium pendet, vento cui concidat, æquor.
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, & undas
Torsit, & abstrusas penitus vada fecit arenas.
605 *Nec perfert pontum Boreas ad saxa, summque*
In fluctus Cori frangit mare: motaque possunt
Æquora subductis etiam concurrere ventis.
Non Euri cessasse minas, non imbribus atrum
Æolii jacuisse Notum sub carcere saxi
610 *Crediderim: cunctos solita de parte ruentes*
Defendisse suas violento turbine terras,
Sic pelagus mansisse loco. nam parva procellis
Æquora rapta ferunt: Ægæas transit in undas
Tyrrhenum: sonat Ionio vagus Adria ponto.
615 *Ah quoties frustrà pulsatos æquore montes*
Obruit illa dies! quam celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit! non ullo littore surgunt

Tam

concitaretur mirum in modum maris æstus, fluctus in scopulos cum admirabili fremitu erecti fuerunt. *Hortensius.*

601. *Occurrit gelidus Boreas.*] Coro opponit Aquilonem ex adverso insurgentem, ut ventorum lucta & prælium inter se multò violentius æstum misceat. *Retundit.*] Significanter. Nam cum dicit Boream Coro occurrisse obviam, necessario æstum retrò disjecit; ut coarguat & ventorum inter se & undarum pugnam in medio Adriatico. *Hortens.*

602. *Cui concidat, æquor.*] Cui pareat, cui succumbat.

604. *Torsit.*] Retudit, retrò disjecit. *Abstrusas penitus, &c.*] *Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.*

605. *Ad saxa.*] Ad rupes litoris. *Summque, &c.*] Sed frangit fluctus à se impulsos ad undas à Coro inductas.

607. *Subductus, &c.*] Etiam cessantibus ventis.

609. *Sub carcere saxi, &c.*] Æolio in antro, ventorum carcere. inf. 7. in mari Siculo.

611. *Defendisse suas, &c.*] Ne ab adversis ventis percellerentur, ne à mari concitato obruerentur terræ, à quibus ipsi flant.

612. *Mansisse loco.*] Intra sua litora & metas coërcitum fuisse. *Nam parva procellis, &c.*] Non raro enim diversa maria ventis rapta miscentur aliis; uti Tyrrhenum Ægæo, Ionio Adriaticum.

615. *Ah quoties frustra, &c.*] Ah quoties tempestas illa conata est obruere fluctibus summos litoris montes, quum tellus quasi victa visa est in profundum demergere celsa cacumina à mari superata! sed frustra.

616. *Pessum, &c.*] Tmesis, pro *pessumdedit*, quum rabie fluctuum illisorum contecta vel jacuerint, vel prostrata fuerint. *Hortens.*

618. *Alia-*

Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti
A magnó venêre mari, mundumque coërcens
620 *Monstriferos agit unda sinus. Sic rector Olympi*
Cuspide fraterna lassatum in secula fulmen
Adjuvit, regnoque accessit terra secundo,
Cùm mare convolvit gentes, cùm littora Tethys
Noluit ulla pati, cœlo contenta teneri.
625 *Tunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,*
Ni Superûm rector pressisset nubibus undas.
Non cœli nox illa fuit: latet obsitus aër
Infernæ pallore domus, nimbisque gravatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.
630 *Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt*
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aër.

Tunc

618. *Alioque ex orbe, &c.*] Ab alia orbis parte, & Oceano qui terram ambiens immisit vastos fluctus; *H. Grotius*, plenos belluis.

620. *Sic rector Olympi Cuspide, &c.*] Neque minus intumuit mare, quam ubi quondam Jupiter fatigatus hominum sceleribus vindicandis fulmine, decreverat universum terrarum orbem diluvio perdere; advocatis *Cærulei fratris auxiliaribus undis, Ipse tridente suo terram percussit.*

621. *In sæcula.*] Per tot sæcula; & ob tot sæculorum perpetuum usum hebetatum. *Hortens.*

622. *Regnoque accessit.*] Hoc est terræ mare mixtum fuit, & mare cælo. Vel ut Cl. Grotius rectè exponit: Terra accessio facta est ejus sortis, quæ Neptuno obvenerat. *Regnoque accessit terra.*] *Mare & tellus nullum discrimen habebant. Secundo, &c.*] Mari (quod, in sortitione regnorum Saturni, Neptuno cesserat, ut Jovi cœlum, inferi Plutoni) terra accessio facta est. *Omnia pontus erant.*

623. *Convolvit gentes.*] Diluvio mersit. *Cum litora Tethys.*] *Detrant quoque litora ponto.*

624. *Cœlo contenta teneri.*] *Maria undique & undique cœlum.*

627. *Non cœli nox illa fuit.*] Non erant illæ simplices noctis ob interpositæ terræ umbram, tenebræ. *Nec una nox est: densa tenebras obruit Caligo.* Senec. Agam. 466. *Cæcaque nox premitur tenebris noctisque suisque*, Ovid. 9. Met. sed Tartareæ & infernæ. *Stygia modo nigrior unda.*

628. *Infernæ pallore domus.*] Nox enim illa ab inferis profecta videbatur; ob tenebras plus quam tartareas; quas densissimi nimbi inducebant in aërem, cum fontes omnes abyssi magnæ rupti essent, & cæli cataractæ apertæ forent, in quibus generatur pluvia. *Hortensius.*

629. *Fluctusque in nubibus, &c.*] *Fluctibus rigitur, cælumque æquare videtur Pontus, & inductas aspergine tangere nubes.*

630. *Lux etiam, &c.*] Fulgura nubibus & pluvia extinguuntur.

631. *Obscurum.*] Obscure.

Digitized by Google

Tunc Superûm convexa tremunt, atque arduus axis
Insonuit, motaque poli compage laborant.
Extimuit Natura chaos: rupisse videntur
635 *Concordes elementa moras, rursusque redire*
Nox manes mistura Deis. spes una salutis,
Quòd tanta mundi nondum perière ruina.
Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur; tantum nauta vidêre trementes
640 *Fluctibus è summis præceps mare: cumque tumentes*
Rursus hiant undæ, vix eminet æquore malus.
Nubila tanguntur velis, & terra carina.
Nam pelagus, qua parte sedet, non celat arenam
Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est.
645 *Artis opem vicêre metus: nescitque magister*
Quam frangat, cui cedat aqua. discordia Ponti
Succurrit miseris, fluctusque evertere puppim
Non valet in fluctus: victum latus unda repellens

Eri-

632. *Convexa.*] Cœlum. *Axis.*] Polus.

633. *Motaque poli compage, &c.*] Vix sustinent molem mundi.

634. *Extimuit Natura chaos.*] *Mundum revelli sedibus totum suis, Ipsosque rupto crederes cœlo deos Decidere, & atrum rebus induci Chaos.* Sen. Aga.479. & noster lib. 1. ✠ſ.74.

635. *Concordes elementa moras.*] Causas quibus conjunctæ sunt, moranturque in concordia. *Sulpit. Rursusque redire, &c.*] Dissolutis elementorum fœderibus, cœlo inferis confuso.

636. *Spes una salutis.*] Nec certior suæ salutis spes Cæsari, & Amyclæ superest, quam quod nondum perierunt mundi soluti fragore.

638. *Quantum Leucadio, &c.*] E dorso fluctus æquantis altitudinem Leucatæ promontorii Cæsar & Amyclas, ceu alii nautæ si qui tum in mari erant, modo despiciunt declivitatem undæ. *Et nunc sublimis veluti de vertice montis Despicere in valles, immumque Acheronta videtur. Nunc ubi demissam curvum circumstetit æquor, Suspicere inferno summum de gurgite cœlum.* 9. Metam.

643. *Nam pelagus, &c.*] *Qua unda dehiscit, Turam inter fluctus aperit, furit æstus arenis.* 1. Æneid.

644. *Exhaustum in cumulos.*] Congeritur mare in fluctus instar montium erectos.

645. *Artis opem vicere metus.*] *Ipsa parvet, nec se, quis sit flatus, ipse fatetur Scire ratis rector: nec quid jubeatve, velitve. Tanta mali moles, tantoque potentior arte est.*

646. *Frangat.*] Navigando secet. *Discordia Ponti, &c.*] Quippe fluctibus alternis utrinque repulsa navis non subsidere aut everti potuit.

648. *Non valet in fluctus.*] Mutavimus distinctionem, sensu aliter non constante. quo minus fluctus quis everat

Erigit, atque omni surgit ratis ardua vento.
650 *Non humilem Sasona vadis, non littora curvæ*
Thessaliæ saxosa pavent, oraque malignos
Ambraciæ portus: scopulosa Ceraunia nautæ
Summa timent. Credit jam digna pericula Cæsar
Fatis esse suis. tantusne evertere, dixit,
655 *Me Superis labor est: parvà quem puppe sedentem*
Tam magno petière mari? si gloria leti
Est pelago donata mei, bellisque negamur;
Intrepidus, quamcunque datis mihi numina, mortem
Accipiam. licet ingentes abruperit actus
660 *Festinata dies fatis; sat magna peregi.*
Arctoas domui gentes: inimica subegi
Arma metu: vidit Magnum mihi Roma secundum.
Jussa plebe tuli fasces per bella negatos:

Nulla

tat navem, obstant fluctus alii. Probat hanc distinctionem Ms. T. Etiam in aliis eadem distinctio: sed pro *fluctus*, est *fluctum*. Grotius.

650. *Non humilem Sasona vadis.*] Non metuunt jam ne allidatur ratis ad humilem Sasona inf. inter Epirum & Brundusium, neque littora Thess. aut Ambracii sinus portus Leucatæ scopuloso monti & nautis formidato subjacentes: sed ne in celsa Ceraunionum juga impingant, timent fluctibus in altum jactati.

652. *Ceraunia nautæ Summa timent.*] *Diæresis*, ceu Tmesis. Ἀνεφνεφωνία.

653. *Digna pericula Cæsar.*] In aquis perire grave lethum cur priscis visum sit, vide quæ nos ad Senec. Aga. ✠ f. 500.

654. *Digna Fatis esse suis.*] Tanti viri morti congrua. *Sulpit.*

655. *Parva quem puppe, &c.*] Ponit inter se per antitheton, magnum mare, & puppim parvam. Dein est πολιτικὸν à loco: cum gloriosius ducat in bello terra perire pugnando, quam in mari à piscibus devorari. Quod si tamen Diis ita visum, ut hic fluctibus obruatur, unum superest, quo se consolatur; fama honesta, & rerum gestarum gloria immortalis. *Hortens.*

657. *Bellisque negamur.*] Neque dabitur bella absolvere, vel gloriosa cum victoria vel pulchra morte.

659. *Licet ingentes, &c.*] Utcunque vitæ stamen mihi, nondum quod institueram consecuto inciderint fata, non tamen me totum in morte periisse, non me hic inutiliter fuisse, sed satis vel naturæ vel gloriæ vixisse accipient posteri. Dido Virgiliana, *Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi, &c.* Æneid. 4.

660. *Festinata dies.*] Nimis maturata à fatis, quum majora rerum opera patranda animo conceperim. *Hortens.*

661. *Arctoas domui gentes.*] Germanas, Gallicas, Britannicas. *Inimica subegi.*] Eorum qui honoribus meis invidi adversabantur, Pompeji, Marcelli, &c.

662. *Secundum.*] Qui modo neminem ferebat parem.

663. *Jussa plebe tuli.*] Coacta ut suffragia

Nulla meis aberit titulis Romana potestas.
665 *Nesciat hoc quisquam, nisi tu, quæ sola meorum*
Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum,
Et Dictator eam Stygias, & Consul ad umbras,
Privatum Fortuna, mori. mihi funere nullo
Est opus ô Superi: lacerum retinete cadaver
670 *Fluctibus in mediis: desint mihi busta, rogusque,*
Dum metuar semper, terraque expecter ab omni.
Hæc fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Invalida cum puppe levat: nec rursus ab alto
Aggere dejecit pelagi, sed pertulit unda,
675 *Scruposisque angusta vacant ubi littora saxis,*
Imposuit terræ. pariter tot regna, tot urbes
Fortunamque suam tacta tellure recepit.
Sed non tam remeans Cæsar jam luce propinqua,

Quàm

fragia ferret. *Fasces per bella negatos.*] Consulatum, qui in bellis mihi occupato negatus fuerat, non habita ratione absentis.

664. *Nulla meis aberit, &c.*] Honores Rom. omnes gessi, Flaminis Dialis sacerdotium, Quæsturam, Ædilitatem, Præturam, Consulatum, Dictaturam.

665. *Nesciat hoc.*] Non *nesciet.* Optantis enim est. *Grotius. Nisi tu.*] Apostrophe ad Fortunam.

668. *Privatum.*] De meo judicio privatum me mori, quamquam enim sum & Dictator & Consul, nihil tamen ista mihi sunt, qui regiam potestatem speravi, nec ulla minore contentus esse possum; hanc nondum adeptus, privatus mihi videor. Ita in Secundo:

Non privata cupit, Romana quisquis in Urbe
Pompejum transire parat.

Non privata, id est, regnum. Hic *privatum*, est, nondum Regem. *Grotius. Privatum.*] Privati hominis more. silenti morte.

670. *Desint mihi busta.*] Absit exequiarum & sepulchri pompa, mortem meam celari malo, quo reditum metuant hostes, sperent mei.

672. *Hæc fatum, &c.*] Hæc dicentem tollit ingens fluctus Decumanus. De quo vide quæ nos ad Senec. Agam. ✠. 496. qui cymbam in scrupeam terram exposuit.

673. *Ab alto aggere.*] Per Metaph. pro fluctu, qui aggeris in morem attollebatur.

674. *Sed pertulit unda.*] Scil. in terram.

675. *Scruposisque vacant, &c.*] Ubi littus nullis rupibus fuit aut saxis periculosum.

676. *Tot regna, &c.*] Quæ omnia in tempestate modo conclamarat.

677. *Tacta tellure recepit.*] In jus & ditionem suam, terram quam reliquerat, captas provincias & regna; tum autem & fortunam, quæ & illum in maris periculo videbatur destituisse, recepit. *Hortens.*

678. *Sed non tam.*] Non vero tam rediens quam exiens latebat suos. *Re-*

mansit

Digitized by Google

Quàm tacita sua castra fuga, comitesque fefellit.
680 *Circumfusa duci flevit, gemitusque suorum,*
Et non ingratis incessit turba querelis.
Quò te dure tulit virtus temeraria Cæsar?
Aut quæ nos viles animas in fata relinquens,
Invitis spargenda dabas tua membra procellis?
685 *Cùm tot in hac anima populorum vita, salusque*
Pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Sævitia est voluisse mori. nullusne tuorum
Emeruit comitum, fatis non posse superstes
Esse tuis? cum te raperet mare, corpora segnis
690 *Nostra sopor tenuit. pudet heu. tibi causa petendæ*
Hæc fuit Hesperiæ? visum est committere quenquam
Tam sævo crudele mari? sors ultima rerum

In

mens Cæsar, &c.] Tum Fortunam accusans, quod felicitati ejus invidisset, nautas retroverti jubet. Navis itaque aspirante vento facile compulsa, ad fluvii oram cita regreditur. Appian. 2.

680. *Circumfusa duci flevit.*] Cæsarem vero nonnulli ob audaciam admirabantur: alii querelis prosecuti sunt, quod facinus militari potius quam imperatoria laude dignum esset aggressus. App.

681. *Incessit.*] *Incessit*, ab *incesso*, id est, impetiit, incusavit.

682. *Quo te dure tulit, &c.*] Benevolentia à persona Cæsaris & ejus temeritate: quam ut mitiget ac leniat, vestit honesto vocabulo virtutis. *Hort.*

685. *Cum tot in hac, &c.*] Cum in tua tot populorum salus contineatur, & ex tua unius vita, nostra omnium pendeat. *Vitam tibi ipsi si negas, multis negas.* Sen. Thebais.

687. *Nullus ne tuorum, &c.*] Nemon' erat e tuis tam bene de te meritus, quem nolles tibi superstitem gravia omnia pati. nos quippe omnes de te pendemus, perituri certe si te rapuisset vis iniqua maris. *vel distinguas Interrogatorie, hoc sensu.* æquumne fuit te à rapido mari jactari, nos securos dormire?

690. *Pudet heu, &c.*] Dolentis exclamatio: quod cum per legatum Italicas copias evocare potuisset, ipse se in periculum tantum conjecerit. *Hortensius.*

691. *Hæc fuit Hesperiæ.*] Ut cæteras copias evocares. *Visum est committere quenquam.*] *Alii legunt hæc Interrogationis notis disjuncta, quarum unam mutare ausus, ita concipio sensum:* Crudele utique visum fuerat, si Imperator quemvis nuncium tam truci commisisset mari idque non nisi extrema urgente necessitate, quæ in mortis discrimina plerosque solet præcipitare: multo crudelius erat atque indignius, si hoc idem Imperatori suo permitterent milites. *Orationem illi per ἀποσιώπησιν deficientem esse volunt. Judicium sit penes lectorem.*

692. *Sors ultima rerum.*] Extrema necessitas & vitæ desperatio solet homines in extrema pericula præcipitare. Te nulla necessitas adegit; cur tuam vitam sævienti mari committeres. *Hortens.*

Digitized by Google

In dubios casus, & prona pericula mortis
Præcipitare solet. mundi jam summa tenentem
695 *Permisisse mari! tantum quid numina lassas?*
Sufficit ad fatum belli favor iste, laborque
Fortunæ, quòd te nostris impegit arenis?
Hinc usus placuere Deûm, non rector ut orbis,
Nec dominus rerum, sed felix naufragus esses?
700 *Talia jactantes, discussa nocte, serenus*
Oppreßit cum sole dies, fessumque tumentes
Composuit pelagus ventis patientibus undas.
Nec non Hesperii lassatum fluctibus æquor
Ut vidêre duces, purumque insurgere cœlo
705 *Fracturum pelagus Boream, solvêre carinas,*
Quas ventus, doctæque pari moderamine dextræ
Permistas habuêre diu: latumque per æquor,
Ut terrestre, coit, consertis puppibus, agmen.
Sed nox sæva modum venti, velique tenorem
710 *Eripuit nautis, excußitque ordine puppes.*
Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
Poturæ te, Nile, grues, primoque volatu

Essin-

695. *Lassas?*] Conservando te, toties spontaneis periculis expositum.

696. *Sufficit ad fatum, &c.*] Quin & hoc abunde lætum cape belli & victoriæ omen, quod te ex tanto periculo fortuna nobis reddidit incolumem.

698. *Hinc usus placuere Deûm.*] Itane potius uteris benignitate Deorum, ut eripiaris è naufragio temere provocato; quam ad summam Imperii consequendam?

699. *Felix naufragus.*] Ut mergendi periculo propinquus, evaderes. *Sulpitius.*

700. *Serenus, &c.*] Orto sole, remittunt venti, sedatur mare.

703. *Hesperii lassatum, &c. duces.*] Qui Brundusii erant, Antonius, Gabinius, Galenus, & Posthumius.

705. *Boream.*] At Cæsar non Boream, sed Austrum idoneum ventum fuisse navigantibus, ut Oricum peterent, scribit. *Hortensius. Boream, &c.*] Nacti Austrum naves solvunt, inquit com. 3. de bell. civ.

706. *Doctæque.*] Remigum & gubernatorum. *Pari moderamine, &c.*] Agmine conjunctas & æquatis procedentes velis.

709. *Sed nox sæva, &c.*] Sed ventus nocte remittens ordinem turbavit.

711. *Strymona sic gelidum, &c.*] Sic grues, ubi à Strymone fluv. Thraciæ hyemis frigus fugientes petunt Nilum tepidum, primo egressu exprimunt volando literam T vel Λ vel Δ: mox ventis attritæ & disturbatæ glomerantur confusæ.

714. *Mox*

Effingunt varias, casu monstrante, figuras.
Mox ubi percussit tensas Notus altior alas:
715 *Confusos temerè commista glomerantur in orbes,*
Et turbata perit dispersis littera pennis.
Cùm primùm redeunte die violentior aër
Puppibus incubuit, Phœbeo concitus ortu,
Prætereunt frustra tentati littora Lissi,
720 *Nymphæumque tenent, nudas Aquilonibus undas.*
Succedens Boreæ jam portum fecerat Auster.
Undique collatis in robur Cæsaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimina Martis
Jam castris instare suis: seponere tutum
725 *Conjugii decrevit onus, Lesboque remotam*
Te procul à sævi strepitu Cornelia belli
Occulere. Heu quantum mentes dominatur in æquas

Justa

714. *Mox ubi Notus altior.*] Ventus violentior verberaverit alas extensas, sine ordine convolant glomeratæ in orbes, ut nullas figuras præ se ferant elementorum. *Hortens.*

716. *Littera pennis.*] T. A. A. vel alia figura quam prius referebant. *Pennis.*] Ipsis gruibus.

717. *Violentior aër.*] Ventus qui est aër immissus.

718. *Phœbeo.*] Sole oriente.

719. *Prætereunt frustra, &c.*] Hæc aliter referuntur lib. 3. comment. de civ. bell. Q. Coponius qui Dyrrachii classi Rhodiæ præerat, naves à portu educit. & cum jam remissiore vento nostris appropinquasset, idem Auster increbuit, nostrisque præsidio fuit. usi itaque fortunæ beneficio, Dyrrhachium prætervecti, nacti portum qui appellatur Nymphæum ultra Lissum M. passuria, eo naves introduxerant qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus: incredibili mox felicitate Auster in Africum se vertit.

720. *Nudas Aquilonibus.*] Imo Nymphæum ab Austro non est tutum. Nec magis illud verum, quod sequitur:

Succedens Boreæ jam portum fecerat Auster.

Imo succedens Austro Africus Nymphæum fecerat portum, id est, tutum à ventorum injuria. Omninò aut quos nos habemus Cæsaris commentarios non legit Lucanus, aut non intellexit. *Grot.* *Nudas Aquilonibus undas.*] Non expositas Aquilonibus. Verum κατεφρονημένως. Proprie enim Austris patet Nymphæum, vel, portum in quem nullæ naves appellunt flante Aquilone.

722. *In robur Cæsaris armis.*] Ad belli vires firmas.

725. *Conjugii decrevit onus.*] Conjugem Corneliam. lib. 2. vs. 339. quam neque satis commode apud se retinere, neque citra molestiam à se segregare posset. *Lesboque remotam.*] In remotam inde Lesbum insulam ablegare, ne præsens spectatrix belli aleæ, utcunque caderet, adesset. *Hortens.*

727. *Æquas.*] Bonas, pias, facilis.

Gro-

Digitized by Google

Justa Venus! dubium, trepidumque ad prœlia, Magne,
Te quoque fecit amor: quod nolles stare sub ictu
730 *Fortunæ, quo mundus erat, Romanaque fata,*
Conjux sola fuit. mentem jam verba paratam
Destituunt, blandæque juvat ventura trahentem
Indulgere moræ, & tempus subducere fatis.
Nocte sub extrema, pulso torpore quietis,
735 *Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis*
Pectus, & aversi petit oscula grata mariti:
Humentes mirata genas, percussæque cæco
Vulnere, non audet flentem deprendere Magnum.
Ille gemens, Non nunc, vita mihi dulcior, inquit,
740 *Cùm tædet vitæ, lato sed tempore, conjux,*
Venit mœsta dies, & quam nimiumque, parumque,
Distulimus: jam totus adest in prœlia Cæsar.
Cedendum est bellis: quorum tibi tuta latebra
Lesbos erit, desiste preces tentare: negavi

Jam

Grotius. Æquas.] Mutuo amore connexas & ex æquo amantes, faciles, pias.

728. *Justa Venus.*] Amor conjugalis. *Dubium, &c.*] *Suspensum* (uti de Æneæ suo Virg 2. Æneid.) *& pariter comitique onerique timentem; quem dudum non nulla, &c.*

729. *Quod nolles, &c.*] Solam uxorem volebas poni extra tela & aleam fortunæ, cui obnoxia erat Roma & totus Romæ subjectus mundus. *Sub ictu.*] Conflictu & pugna.

731. *Conjux sola fuit.*] Ea sola fuit in causa, quod prælium distuleris. *Hort. Mentem jam verba, &c.*] Quibus conjugem verbis aggrediatur & quæ prima exordia sumat nescit. interea donec dentur tentandi aditus & mollissima fandi tempora, mora, qua licet dolorem prorogat.

733. *Subducere fatis.*] Subtrahere necessitati, quæ instabat. *Sulpit.*

734. *Extrema, &c.*] In diem prona, somnique experte.

736. *Pectus.*] Pompeji.

737. *Cæco Vulnere.*] Afflicto amore & solicitudine de amovenda uxore, quam animo versabat, nec dum cum illa communicaverat.

738. *Deprendere.*] Interpellare sermone, & quare fleret, interrogare?

739. *Non nunc, vita mihi dulcior.*] O omnis fortunæ mihi chara comes, neque lætæ minus olim quam præsentis adversæ.

741. *Mœsta dies, &c.*] Qua amovearis in tutiorem aliquem & commodiorem locum; quam nimium distuli quod ad tuam incolumitatem & Reip. gerendæ commoditatem spectat; parum, quod ad amorem nostrum.

744. *Negavi jam mihi.*] Ego id quod jucundissimum animo meo est, mihi negavi: tui scil. præsentia. tu idem in me facias.

745. *Non*

Digitized by Google

745 *Jam mihi: non longos à me patière recessus.*
Præcipites aderunt casus: properante ruina,
Summa cadunt. satis est audisse pericula Magni.
Meque tuus decepit amor, civilia bella
Si spectare potes. nam me jam Marte parato
750 *Securos cepisse pudet cum conjuge somnos,*
Eque tuo, miserum quatient cum classica mundum,
Surrexisse sinu. vereor civilibus armis
Pompejum nullo tristem committere damno.
Tutior interea populis, & tutior omni
755 *Rege late, positamque procul fortuna mariti*
Non tota te mole premat. si numina nostras
Impulerint acies, maneat pars optima Magni;
Sitque mihi, si fata premant, victorque cruentus,
Quò fugisse velim. Vix tantum infirma dolorem
760 *Cepit, & attonito cesserunt pectore sensus.*
Tandem ut vox mœstas potuit proferre querelas:

Nil

745. *Non longos, &c.*] Non longe tamen distabis. *Cum Lesbos alioqui inf. maris Ægæi procul absit.*

746. *Præcipites aderunt casus.*] In præcipiti, & quæ cito discernentur: namque fastigium consequutæ res, repente in ruinam vergunt.

747. *Satis est audisse pericula Magni. Meque tuus, &c.*] Sufficiat tibi audivisse mea pericula: non etiam vidisse. quod quamvis tu pro tuo, in me amore te exitus hujus civilis belli comitem & spectatricem præstare potes: ego tamen hoc tuo amore deceptus non rationem habuisse mei videor. cui pudori sit, in publica calamitate cum cæteri omnes sibi conjugibus & liberis interdixerint, non pari mœroris & damni conditione uti.

751. *Quatient cum classica.*] Cum omnes nationes mundi intentæ erunt in eventum instantis pugnæ. *Hortens.*

752. *Vereor civilibus armis.*] Puderet me in hoc civili bello, quo omnes conjugibus ac liberis carere debent, lætum ob uxoris præsentiam conspici. *Grotius.*

754. *Tutior interea populis.*] Regibus iis & pop. qui nostra castra & fortunam sequuntur, securius latebis & tutius.

755. *Positamque procul, &c.*] Si mihi in prælio sit occumbendum levior ad te semotam quam præsentem venturus est dolor. sin fusa acie sit fugiendum, te meliori mei parte incolumi, erit quo fugere velim.

756. *Non tota te mole premat.*] Ne luctu & dolore in totum te conficiat. *Hortens.*

758. *Si fata premant.*] Si adversa fortuna vexabor, & Cæsar me persequetur. *Sulpitius.*

759. *Vix tantum, &c.*] Cornelia vix sustinere valens dolorem ex his mariti verbis conceptum, primum stupuit, mox ubi ad se rediit, sic effata est.

762. *Nil*

Nil mihi de fatis thalami, Superisque relictum est
Magne, queri: nostros non rumpit funus amores,
Nec diri fax summa rogi: sed sorte frequenti,
765 *Plebeiaque nimis careo dimissa marito.*
Hostis ad adventum rumpamus fœdera tedæ:
Placemus Socerum. Sic est tibi cognita, Magne,
Nostra fides? credisne aliquid mihi tutius esse,
Quàm tibi? nonne olim casu pendemus ab uno?
770 *Fulminibus me sæve jubes, tantæque ruinæ*
Absentem præstare caput? secura videtur
Sors tibi, cùm facias etiam nunc vota, perisse,

Ut

762. *Nil mihi de fatis, &c.*] Oratio Corneliæ pathetica est. Estque hæc propositio. Indignè fero Magne, quod non morte, sed in vita abs te separor despecta. Et refutat simul caussas à Pompejo adductas. *Nil mihi de fatis thalami.*] Non est cur incusem Deos aut fata quod conjugium nostrum morte dissolverint: sed te, qui me amandas & quasi per divortium dimittis eo quod cæteri omnes per belli hujus civ. tempus sibi uxoribus interdixerint, modo ℣ſ. 749.

764. *Nec diri fax summa.*] Non ultima justa funebria, non sepulchrum. *Sorte frequenti.*] Vulgari admodum sorte, hoc est, divortio: quum alioqui verè amantes mors sola separet. Speciem autem divortii habet ista separatio. Ideo dicit *dimissa.* quæ vox divortio convenit. *Grotius.*

766. *Hostis ad adventum, &c.*] Quasi vero quia jam totus adest in prælia Cæsar (modo ℣ſ. 742.) nos oporteat illi gratificari, facto divortio.

767. *Placemus socerum.*] Mitigemus Cæsarem, qui turbatus est, quod simus conjuncti. *Sulpit.*

768. *Credisne aliquid, &c.*] Respondet ad illa ℣ſ. 743. *tibi tuta latebra Lesbos erit.* & ℣ſ. 754. *Tutior int.*

769. *Nonne olim, &c.*] Nonne, ex quo conjugium inivimus, communem etiam salutis atque periculi inimus sortem?

770. *Fulminibus me sæve jubes, &c.*] Me semotam cogis esse magis solicitam & miseram, quam si bello aut etiam ruinæ, quam timere videris, interessem: ipse interim securus & in utrunque paratus.

771. *Secura videtur, &c.*] Namque, cum mihi maxime in votis sit una tecum mori potius quam misera & malis obnoxia superesse tibi: tu me, sine te vivere, sine te mori cogis. quæ cum malim te ad manes comitari quam sequi, cogat tamen tandiu tibi superesse quoad tristis (quod omen avertant Dii) tuæ cædis ad me in Lesbon fama pervenerit.

772. *Cum facias etiam nunc vota, perisse.*] Aliter hæc distinguenda hunc in modum:

——— *secura videtur*
Sors tibi, cum facias etiam nunc vota perisse?
Ut nolim servire malis, sed morte parata
Te sequar ad Manes, feriat dum mæsta remotas
Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes,
Adde quod assuescis fatis, &c.

Dixe-

Ut nolim servire malis: sed morte parata,
Te sequar ad manes. feriat dum mœsta remotas
775 *Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.*
Adde, quòd assuescis fatis, tantumque dolorem
Crudelis me ferre doces. ignosce fatenti:
Posse pati, timeo. quòd si sum vota, Deisque
Audior, eventus rerum sciet ultima conjux.
780 *Sollicitam rupes jam te victore tenebunt,*
Et puppim, quæ fata feret tam læta, timebo.
Nec solvent audita metus mihi prospera belli,
Cùm vacuis projecta locis à Cæsare possim
Vel fugiente capi. notescent littora clari
785 *Nominis exilio, positaque ibi conjuge Magni,*
Quis Mitylenæas poterit nescire latebras?

Hoc

Dixerat Pompejus:

Tutior interea populis, & tutior omni
Rege late.

Regerit Cornelia, quomodo fieri possit, ut ipsa secura sit, quum Pompejus eo ipse loco se positum sentiat, ut mortuum se quam vivum malit. Nam & hoc dixerat:

—— non nunc vita mihi dulcior, inquit,
Cum tædet vita, læto sed tempore, conjunx.

Quomodo, inquit, ego secura eo, quum tibi mors in voto sit? Deinde fac me satis fortem futuram, ut tibi superesse nolim, tamen tamdiu saltem superero, donec nuncius cladis ad me advenerit. Jam verò & hoc ipsum metuo, ut satis fortis sim ad mortem capessendam, postquam à te seposita didicero te carere. *Grotius.* Vel ut Mycillus exponit: Cum facias mea vota perisse ac frustrà esse: quibus illud mocum constitui, ut nolim servire malis.

774. *Feriat dum mœsta, &c.*] Et tamen, inquit, non ero nimis præceps in accersenda mihi morte; sed tam diu superstes tibi vivam, dum fama de te victo in Lesbum ad me perveniat, id quod diversum à meis votis est. *Hortensius.*

776. *Assuescis fatis, &c.*] Assuefacis me tanto dolori ferendo, quantum metuo ut perferre possim; ne interea exanimer.

778. *Quod si sum vota.*] Quod si vota mea Dii exaudierint, ut vincas; lætus victoriæ tuæ nuncius ad me ultimus perveniet, solicitam ultra tempus & mœstam.

780. *Rupes jam te, &c.*] Lesbos insaspera rupibus.

781. *Fata feret tam læta.*] Victoriæ nuncium.

782. *Nec solent audita, &c.*] Neque tamen lætus ille nuncius me liberabit metu & periculo, ut quæ in locum præsidiis nullis munitum semota, ab hoste, vel fugiente possim intercipi.

784. *Notescent litora, &c.*] Non potest latere hostem recessus mei atque latebræ locus.

786. *Mitylenæas.*] Mitylene Lesbi urbs est.

787. *Si*

Digitized by Google

Hoc precor extremum, si nil tibi victa relinquent
Tutius arma fuga, cùm te commiseris undis,
Quolibet infausta potiùs deflecte carinam:
790 *Littoribus quarêre meis. Sic fata, relictis*
Exiluit stratis amens, tormentaque nulla
Vult differre mora. non mœsti pectora Magni
Sustinet amplexu dulci, non colla tenere:
Extremusque perit tam longi fructus amoris:
795 *Præcipitantque suos luctus: neuterque recedens*
Sustinuit dixisse vale, vitamque per omnem
Nulla fuit tam mœsta dies. nam cætera damna
Durata jam mente malis, firmaque tulerunt.
Labitur infelix, manibusque excepta suorum
800 *Fertur ad æquoreas, ac se prosternit, arenas,*
Littoraque ipsa tenet, tandemque illata carinæ est.
Non sic infelix patriam, portusque reliquit
Hesperios, sævi premerent cùm Cæsaris arma.
Fida comes Magni vadis duce sola relicto,
805 *Pompejumque fugis. quæ nox tibi proxima venit,*
Insomnis. viduo tum primùm frigida lecto,
Atque insueta quies uni, nudumque marito

Non

787. *Si nil tibi victa, &c.*] Si tibi ultima salus quærenda sit fuga per mare, quemlibet potius locum pete quam Lesbon, namque huc te insequentur hostes, notam mei secessus sedem.

790. *Sic fata, relictis.*] Ad eum modum locuta Cornelia exiluit è lecto amenti similis; neque osculo, neque amplexu dignata maritum, adeò graviter doluit; ut nulla mora interposita se inde abripuerit. *Hortens.*

791. *Tormentaque nulla, &c.*] Cruciatus doloris è discessu concepti.

794. *Extremusque.*] Ultimus complexus.

795. *Præcipitantque suos luctus.*] Præcipitantes accelerant, abrumpunt.

797. *Nam cætera damna, &c.*] Ad omnia anteacta damna, incommoda, miserias & calamitates, quæ perpessi fuerant, jam occalluerant.

799. *Labitur infelix, &c.*] Exanimata cadit. *auras Ægra fugit, suscipiunt famulæ.*

800. *Arenas.*] In quibus relinquendus erat vir.

801. *Tenet tandemque.*] Quoad licet, occupat, ægre avulsa.

802. *Non sic infelix patriam.*] Non tanto cum dolore fugiebas patriam urgente hoste, tuta scil. viro comite: à quo jam discedens videris tibi deserta, sola & meliori parte orbata.

806. *Vidno, &c. uni.*] Cubanti soli.

808. *Somno*

Non hærente latus. somno quàm sæpe gravata
Deceptis vacuum manibus complexa cubile est,
810 *Atque oblita fugæ quæsivit nocte maritum!*
Nam, quamvis flamma tacitas urente medullas,
Non juvat in toto corpus jactare cubili:
Servatur pars illa tori. caruisse timebat
Pompejo: sed non Superi tam læta parabant.
815 *Instabat, miseræ Magnum quæ redderet, hora.*

M. AN-

808. *Somno quam sæpe, &c.*] *Movet atque lacertos, Per somnum, corpusque petens amplectitur auras.* Alcyone Ovidiana 11. Metam.

809. *Deceptis manibus.*] Quas marito injicere voluit, qui non adfuit. *Hurt.*

811. *Quamvis flamma, &c.*] Licet ardenter amat, non tamen impatiens vacuo sua corpora lecto versat: sed pudibunda suam quasi præsenti viro adservat lecti partem.

813. *Servatur pars illa tori.*] Alteram partem tori servavit Pompejo intactam. *Caruisse timebat.*] Metuebat ne Pompejum non reciperet. Atqui recepit, sed victum: quod pejus quam non recipere. *Grotius. Caruisse timebat, &c.*] Metuebat illa solum ne Pompejum diutino bello detentum desideraret. de absentia illius solicita: sed tristius quippiam parabant fata, recepit quippe illum citius quam expectabat; victum scil. profugum, & brevi coram interficiendum.

M. Annæi Lucani
CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ,
LIBER SEXTUS.

Argumentum.

DYrrhachium in sexto, dum Magnus ab hoste tuetur,
Vallatur muro in campis & peste laborat.
Esurit & Cæsar, pugnaque erumpit aperta
Pompejus; Scævæ vires & nobile fatum,
Thessaliæque situs: mox quæ tulit illa, canuntur.
Hinc magicam Erechtho Stygias ut consulat umbras,
Sextus adit, ciet illa Deos, cogitque cadaver,
Tristia fata loqui, moritur quod carmine rursus.

POstquam castra duces, pugnæ jam mente propinqui,
Imposuêre jugis, admotaque comminus arma,
Parque suum vidêre Dei, capere omnia Cæsar
Mœnia

1. *Postquam castra duces.*] E castris ad Apsum fluv. ✝ſ. 461. lib. 5. uterque exercitum eduxerat eodem tempore; Pompejus noctu, ut Antonium interciperet; Cæsar interdiu, ut se cum Antonio conjungeret. Antonius de Pompeji insidiis certior per Græcos factus, castris se continuit, donec altero die ad eum Cæsar perveniret. Pompejus ne duobus exercitibus circumcluderetur, discessit & ad Asparagum Dyrrhachinorum pervenit, atque ibi castra posuit. eodem & Cæsar cum exercitu profectus, juxta eum castra posuit. *Pugnæ jam mente propinqui.*] Cæsar quidem rerum inopia & necessitate pressus conficiendæ rei cupidus ostentare aciem, provocare: Pompejus commeatu abundans, adversus hæc nectere moras, tergiversari: L. Florus.

3. *Parque suum.*] Metaph. ab arena seu Gladiatoribus sumpta. Spectatores & fautores Dii: Arena, Pharsalia: Par gladiatorum, Cæsar & Pompejus. Sic alibi: *sed par quod semper habemus, Libertas & Cæsar erunt.* Grotius. *Parq; suum videre*

Digitized by Google

Mœnia Grajorum spernit, Martemque secundum
5 *Jam nisi de genero fatis debere recusat.*
Funestam mundo votis petit omnibus horam,
In casum quæ cuncta ferat. placet alea fati
Alterutrum mersura caput. ter collibus omneis
Explicuit turmas, & signa minantia pugnam,
10 *Testatus nunquam Latiæ se deesse ruinæ.*
Ut videt ad nullos exciti posse tumultus
In pugnam generum, sed clauso fidere vallo,
Signa movet, tectusque via dumosa per arva
Dyrrhachii præceps rapiendas tendit ad arces.
15 *Hoc iter æquoreo præcepit limite Magnus,*
Quemque vocat collem Taulantius incola Petram,

Inse-

videre Dei.] Sic infra ℣. 91. & lib. 7. ℣. 690. & Seneca lib. cur bonis viris mala fiant. *Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum; vir fortis cum mala fortuna compositus. Capere omnia, &c.*] Non operæ precium ducit urbes Græcas expugnare, Pompejo soli intentus, victoriæ de illo inhians.

6. *Funestam mundo, &c.*] Quæ illum Dominum imponat victis gentibus non sine magna humani generis clade.

7. *Casum quæ cuncta ferat.*] Dubium eventum, ruinam. *Alea fati.*] Casus & periculum. Horat. *periculosæ plenum opus aleæ.* lib. 2. od. 1. *Placet alea fati.*] Hoc est, placet summam rerum in incertum eventum committere. Allusum est ad paræmiam, *Omnem jacere aleam*, pro eo, quod est, rem universam periclitari, & fortunæ arbitrio committere. *Hortens.*

8. *Alterutrum mersura caput.*] Pompeji vel Cæsaris. *Ter collibus omneis, &c.*] Postridie, eductis omnibus copiis, acie instructa, decertandi potestatem Pompejo fecit. ubi eum suis locis se tenere animadvertit; postero die magno circuitu, difficili angustoque itinere, Dyrrhachium profectus est, sperans Pompejum aut Dyrrhachium compelli, aut ab eo intercludi posse, quod omnem commeatum totiusque belli apparatum eo contulisset, &c. comment. 3. Cæs.

10. *Testatus nunquam, &c.*] Professus se promptum paratumque ad evertendum Rom. imperium. *Nunquam Latiæ se deesse ruinæ.*] Quasi verò id esset minari Italiæ ruinam, quum dignitatem suam armis tueatur; ac toties inimicos ad pacem faciendam cohortatus, ab armis discessurus fuisset. *Hortens.*

14. *Dyrrhachii præceps, &c.*] Ita Florus: *Expugnatione*, inquit, *Dyrrhachii irrita, quippe quam vel situs inexpugnabilem faceret.*

15. *Hoc iter æquoreo, &c.*] Pompejus primo ignoravit Cæsaris consilium: mox per exploratores certior factus, castra movit, expeditiori juxta litus via se antevertere eum posse sperans. Cæsar vero parvo noctis itinere intermisso, Pompejum antevenit.

16. *Taulantius incola Petram.*] Taulantii, pop. Macedoniæ, qui Dyrrhachii & Apolloniæ agros quondam tenuerunt. Strab. 7. Thucyd. 1.

Insedit castris, Ephyreaque mœnia servat,
Defendens tutam vel solis turribus urbem.
Non opus hanc veterum, nec moles structa tuetur,
20 *Humanusque labor, facilis, licet ardua tollat,*
Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis.
Sed munimen habet nullo quassabile ferro,
Naturam, sedemque loci. nam clausa profundo
Undique præcipiti, scopulisque vomentibus æquor,
25 *Exiguo debet, quod non est insula, colli.*
Terribiles ratibus sustentant mœnia cautes,
Ioniumque furens rapido cùm tollitur austro,
Templa, domosque quatit, spumatque in culmina pontus.
Hinc avidam belli rapuit spes improba mentem
30 *Cæsaris, ut vastis diffusum collibus hostem*

Cin-

17. *Insedit castris.*] Pompejus interclusus Dyrrhachio, edito loco, qui *Petra* appellatur, castra communivit. *Ephyreaq; mœnia.*] Dyrrhachium conditum à Corcyræis: Corcyra à Corinthiis. Vide Strabonem & Thucydidem. *Grotius. Ephyreaque mœnia servat.*] Dyrrhachium, à Phalio Corinthio conditore. Thucyd. Strab. lib. 6. & 7. Nec non à Corcyrensibus colonis ejus, qui & à Corinthiis oriundi fuerunt. Corinthus autem *Ephyra* dicta erat ab Ephyra nympha, Oceani & Tethyos filia, inf. ℣. 57.

18. *Defendens tutam, &c.*] Etiam sine exercitu satis sua natura munita.

19. *Non opus hanc veterum, &c.*] Neque tam propter mœnia, quæ plerumque in arduum quantumvis hominum manibus extructa, aut bello aut vetustate destruuntur, quam naturam & sedem loci.

23. *Nam clausa, &c.*] Nam in rupibus sitam & mari undique cinctam exiguus collis, quo continenti jungitur, eam facit peninsulam.

24. *Undiq; præcipiti, scopulisque, &c.*] Ms. P.

——— *nam clausa profundo*
Undique & illisum scopulis removentibus æquor.

Pro *removentibus*, rectius forte *revomentibus* legas. *Grotius. Vomentibus æquor.*] Allisos fluctus rejicientibus.

26. *Terribiles ratibus.*] Proinde mœnia in scopulis sita, periculum minantur appellentibus navibus: maximè, inquit, ubi Auster à meridie cœperit sævire, & vastum Ionium mare, in Hadriaticum effuderit. *Hortens.*

28. *Spumatque in culmina.*] Spumas spargit per summa tecta.

29. *Hinc avidam, &c.*] Ita melius quam *huc*. Est enim historiæ continuatio. *Grotius.* Describit magno verborum pondere studiumque conatumque Cæsaris in obsidendo Pompejum, quantaque industria fuerit usus in ducendis aggeribus ac fossis, ut undique illius castra arctissima obsidione premerentur. *Hortens.*

30. *Diffusum collibus, &c.*] Lego *diffusus.* Cæsar enim (quo sui minori cum periculo undique frumentum commeatumque supportare possent, coërcito Pompeji equitatu, simul ut Pom-

Digitized by Google

Cingeret ignarum, ducto procul aggere valli.
Metitur terras oculis: nec cespite tantùm
Contentus fragili subitos attollere muros,
Ingentes cautes, avulsaque saxa metallis,
35 *Grajorumque domos, direptaque mœnia transfert.*
Extruitur, quod non aries impellere sævus,
Quod non ulla queat violenti machina belli.
Franguntur montes, planumque per ardua Cæsar
Ducit opus: pandit fossas, turritaque summis
40 *Disponit castella jugis, magnoque recessu*
Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua,
Et silvas, vastasque feras indagine claudit.
Non desunt campi, non desunt pabula Magno,
Castraque Cæsareo circumdatus aggere mutat.
45 *Flumina tot cursus illic exorta fatigant,*
Illic mersa suos: operumque ut summa revisat,
Defessus Cæsar mediis intermanet agris.

Nunc

Pompejum pabulatione prohiberet autoritatemque ejus apud exteras nationes minueret) editos atque asperos colles circa Pompeji castra præsidiis tenuit, castellaque ibi communivit. Inde, ut loci cujusque natura ferebat, ex castello in castellum perducta munitione circumvallare Pompejum instituit.

31. *Ducto procul aggere valli.*] Producto è colle in collem.

34. *Ingentes.*] Sed ing. c. *Metallis.*] Fodinis, venis lapidum.

36. *Aries impellere sævus.*] De ariete, vide quæ ad ψ. 490. lib. 3.

38. *Franguntur montes.*] Editioribus locis dejectis, atque humilibus exaltatis æquavit opus.

39. *Pandit fossas.*] Præ muris ducit latas fossas. *trenches.*

40. *Magnoque, &c.*] XV. mille pass. ambitu aggeris. Metaph. à venatoribus sumpta.

41. *Nemorosaque tesqua.*] Sunt autem *tesqua*, loca dumosa, sylvestria & aspera.

43. *Non desunt pabula Magno.*] Tantum erat septi spatium, quantum sufficeret Pompejo ad pabula, ad castra subinde mutanda, ut quod multorum fluminum fontes, cursus, & ostia contineret & quantum lassitudine conficeret Cæsarem opera lustraturum.

45. *Flumina tot cursus.*] Et hoc non solum ad amplificationem spatii; verum etiam ad copiam rerum necessariarum, quas natura loci præbebat Pompejo, pertinet; quum flumina ibi orta, longis anfractibus viarum suis cursibus lassata, ibi rursum se in mare effunderent. *Hortens.*

47. *Intermanet agris.*] Opera Cæsaris tanta erant, ut cum mane ad ea revisenda exiret, vesperi defatigatus, in mediis agris remaneret, & pernoctaret defessus ambulando. *Hortens.*

Digitized by Google

Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Adscribatque Deis: fragili circumdata testa
50 *Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.*
En quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,
Assyriis quantum populis telluris Eôa
Sufficit in regnum, subitum, bellique tumultu
Raptum clausit opus. tanti perière labores.
55 *Tot potuêre manus adjungere Sestos Abydo,*
Ingestoque solo Phryxeum elidere pontum,
Aut Pelopis latis Ephyren abrumpere regnis,
Et ratibus longæ flexus donare Maleæ,

Aut

48. *Nunc vetus Iliacos, &c.*] Fabulosa jam & vana antiquitas jactet muros Trojæ XL. M. pass. in circuitu, quos Apollo & Neptunus à Laomedonte conducti struxisse feruntur. *Ironice.*

49. *Adscribatque Deis.*] Neptuno & Apollini. *Fragili circumdata, &c.*] Parthi, simulata fuga præliari soliti, pro miraculo habeant Babylonis muros è latere cocto, latos L. cubitos, altos quadruplo amplius, in circuitu habentes stadia CCCL. *Ironice.*

51. *Quantum Tigris, &c.*] Quantum areæ occupavit Babylon quam alluit Euphrates qui in Tigrim funditur, quantum Antiochia, quam interluit Orontes, quantum Ninos regni sedes & urbs regia Assyriæ, tantum raptim clausit Cæsar aggere suo.

52. *Telluris Eoæ.*] Asiaticæ. Sunt enim fueruntque omnes enumeratæ urbes, partim in minori, & partim in majori Asia. *Hortens.*

54. *Raptum.*] Raptim acceleratum. *Sulpit. Tanti periere labores.*] Tanta Nini, Laomedontis, Semiramidis, Seleuci opera victa sunt ab hoc Cæsariano; *vel*, hi tanti Cæsaris labores & ipsi brevi in cassum cecidere profligato Cæsare.

55. *Tot potuere manus adjungere.*] *Hæ possent & Athon capere dextra. Et magnum pelagus gementis Helles Intercludere ponte non natanti.* Via Domitiana Papinii libro 4. Sylvarum. *Adjungere Sestos, &c.*] Ad amplificandam industriam Cæsaris, enumerat aliquot loca, multis stadiis distantia, quæ conjungere pari conatu potuisset. Sestus enim & Abydus oppida sunt maritima Hellesponti, inter se objacentia. *Sestos Abydo.*] Vers. 674. lib. 2.

56. *Ingestoque solo, &c.*] Jactis in mare molibus obstruere Hellespontum, quem Phryxus transfretavit. lib. 4. ℣. 56.

57. *Aut Pelopis, &c.*] His *parvus, Lechæa nisi vetarent, Inous freta misceuisset Isthmos.* Papin. lib. 4. Sylv. hoc est, perfosso Isthmo, lib. 1. ℣. 1. Peloponneso abrumpere Ephyren, id est, Corinthum, supra ℣. 17. *Abrumpere.*] Tot etiam manus potuissent Isthmum perfodere, in quo Ephyra, hoc est, Corinthus sita est. *Hortens.*

58. *Et ratibus longæ, &c.*] Pervio facto Isthmo Corinthiaco, ne opus sit longa & periculosa navigatione circuire Maleam, promontorium Laconiæ, per L. millia pas. in mare protensum. *Flexus donare.*] Id est, facere rectam navigationem; & Maleam promontorium ipsum tollere.

60. *Coit*

Aut aliquem mundi, quamvis Natura negasset,
60 *In melius mutare locum. coit area belli:*
Hîc alitur sanguis terras fluxurus in omneis,
Hîc & Thessalicæ clades, Libycaque tenentur.
Æstuat angusta rabies civilis arena.
Prima quidem surgens operum structura fefellit
65 *Pompejum: veluti media qui tutus in arvis*
Sicaniæ rapidum nescit latrare Pelorum:
Aut vaga cùm Tethys, Rutupinaque littora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.
Ut primùm vasto septas videt aggere terras:
70 *Ipse quoque à tuta deducens agmina Petra*
Diversis spargit tumulis, ut Cæsaris arma
Laxet, & effuso claudentem milite tendat.
Ac tantum septi vallo sibi vendicat agri,
Parva Mycenæa quantum sacrata Dianæ
75 *Distat ab excelsa nemoralis Aricia Roma:*

Quo-

60. *Coit area belli.*] Clauditur à Cæsare campus area & quasi arena belli, intra quam septi sunt, qui sanguinem effundent in variis orbis partibus: alii in campo Pharsalico, in Africa alii.

63. *Æstuat.*] Furit ac sævit hic intrà eas angustias, ubi castra habebat Pompejus. *Hortens. Æstuat angustæ, &c.*] *Æstuat infelix angusto limite mundi.* Juven. de Alexandro, Sat. 10. *Arena.*] Spatio. Translat. ab arena theatrali, in qua committuntur gladiatores.

65. *Veluti media, &c.*] Uti qui in meditullio Siciliæ degit, non audit latratum Scyllæ & Charybdis in freto Siculo contra Pelorum promont.

67. *Aut vaga cum, &c.*] Ut qui in Britannia inf. versus Caledonios, Scotos, degunt, non audiunt æstum maris fervientis adversus litus Rutupinum in Cantio.

70. *Ipse quoque à tuta, &c.*] Pompejus neque à mari neque Dyrrhachio discedere volebat: quam plurimos itaque colles occupavit, & quam latissimas regiones præsidiis tenebat, Cæsarisque copias quam maxime posset, distinebat. *Petra.*] Supra ℣ſ. 16.

72. *Laxet.*] Destineat. quamplurimos enim colles occupaverat, ut copias Cæsaris destineret. *Tendat.*] Extenuet. *Hortens.*

73. *Ac tantum septi, &c.*] Tantum spatii introrsum complexus fuit Pompejus, in quo scil. dispertivit copias, quantum distat Aricia à Roma. *Hortensius.*

74. *Parva.*] Quantum Aricia oppid. Latii prope Albam, distat à Roma: & quanto spatio ostium Tibridis à Roma distat, recto limite non flexo ad cursus fluvii, hoc est, XIIII. M. pass. *Mycenæa, &c.*] Ab Oreste è Taurica translata, lib. 3. ℣ſ. 81.

75. *Aricia Roma.*] Ibid. ad ℣ſ. 86. lib. 3.

Digitized by Google

Quoque modo Roma prelapsus mœnia Tybris
In mare descendit, si nusquam torqueat amnem.
Classica nulla sonant, injussaque tela vagantur:
Et fit sæpe nefas, jaculum tentante lacerto.
80 *Major cura duces miscendis abstrahit armis.*
Pompejum exhausta prebenda ad pabula terræ,
Quæ currens obtrivit eques, gradibusque citatis
Ungula frondentem discussit cornea campum.
Belliger attonsis sonipes defessus in arvis,
85 *Advectos cùm plena ferant præsepia culmos,*
Ore novas poscens moribundus labitur herbas,
Et tremulo medios abrumpit poplite gyros.
Corpora tum solvit tabes, & digerit artus.
Traxit iners cœlum fluida contagia pestis

Obscu-

76. *Quoque modo Roma, &c.*] Quanto spatio Roma abest ab ostio Tibridis, ubi in mare Tyrrhenum effunditur, ut directum limitem metiamur, non obliquum. Quidam tradunt Ostiam ab Roma XIV. millia passuum abesse. *Hortens.*

78. *Classica nulla sonant, &c.*] Neutra ex parte datur signum pugnæ. Pompejus inquit Cæs. com. 3. totis copiis dimicare non constituerat, tamen suis locis sagittarios funditoresque mittebat, qui multos è nostris vulnerabant, &c.

79. *Nefas jaculum.*] Cædes extra belli copiam. *Tentante lacerto.*] In incertum mittente præ studio exercendi.

80. *Major cura duces, &c.*] Pompejum lues, Cæsarem fames *Acrior illum Cura domat.* Virg. 3. Georg.

81. *Pompejum exhausta, &c.*] Erat summa inopia pabuli in castris Pompeji adeo ut foliis ex arboribus strictis, & teneris arundinum radicibus contusis equos alerent. frumenta enim quæ fuerant intra munitiones sata, consumserant: & cogebantur Corcyra atque Acarnania, longo interjecto navigationis spatio, pabulum supportare. 3. com. civ. bell.

83. *Frondentem discussit, &c.*] Herbis nudavit campos.

85. *Cum plena ferant, &c.*] Malim *dum.* Moriuntur equi præ fame, dum pabulum ex Corcyra atque Acarnania exspectatur longo navigationis spatio. Vide Cæsarem lib. III. Belli Civil. Sensus forte est, culmorum aridorum satis fuisse in præsepibus: sed ab equis desideratas herbas virides. *Grot. Cum plena ferant, &c.*] Ego retineo *cum.* ut sit imitatio Ovid. 7. Metam. *Acer equus quondam, &c. Ad præsepe gemit morbo morituruus inerti.* quod & ipse debet Virgil. 3. Georg. *Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.*

86. *Novas poscens, &c.*] Aliunde advectas, *vel* è radicibus contusis. ut modo dict.

87. *Et tremulo medios abrumpit, &c.*] *Segnior cursu sonipes in ipsi Concidit gyro, dominumque prono Prodidit arvo.* OEd. Sen. 1. chor.

88. *Digerit artus.*] Dissipat, consumit.

89. *Traxit.*] *Principio cœlum spissa caligine*

90 *Obscuram in nubem. tali spiramine Nesis*
Emittit Stygium nebulosis aëra saxis,
Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.
Inde labant populi, cœloque paratior unda
Omne pati virus duravit viscera cœno.
95 *Jam riget atra cutis, distentaque lumina rumpit:*
Igneaque in vultus, & sacro fervida morbo
Pestis abit, fessumque caput se ferre recusat.
Jam magis atque magis præceps agit omnia fatum;
Nec medii dirimunt morbi vitamque, necemque:
100 *Sed languor cum morte venit, turbaque cadentum*
Aucta lues, dum mista jacent incondita vivis
Corpora: nam miseros ultra tentoria cives
Spargere funus erat. tamen hos minuêre labores
A tergo pelagus, pulsusque Aquilonibus aër,
105 *Littoraque, & plenæ peregrina messe carinæ.*

At

ligine terris Preßit: & ignavos inclusit nubibus æstus. Ovid. 7. Metam. *Sed gravis & aër incubat terris vapor, &c.* Sen. OEd. *Inevs cœlum, &c.*] Non motus.

90. *Spiramine.*] Exhalatione. *Nesis.*] Inf. in Campano littore. quam agnoscit Plin. lib. 19. cap. 8. Cic. ad Attic. sæpius. & Statius 3. sylv. alii leg. *Nessus*, & de Ozolis intelligunt.

91. *Stygium, &c.*] Tetrum, lethalem, infernum.

92. *Antraque letiferi, &c.*] Spelunca Inarimes insulæ impostæ Typhœo, qui sulfureos atque pestiferos vapores emittere dicitur. lib. 5. ℣ſ. 101. & Mela lib. 1. cap. 13.

93. *Unda, &c.*] *Constat & in fontes vitium venisse lacusque.*

94. *Duravit viscera cœno.*] Obstruxit alvum. *viscera torrentur primo.*

95. *Riget atra cutis.*] *Aret Pellis, & ad tactum tractanti dura resistit. Distentaque lumina rumpit.*] *Tum vero ardentes oculi.* & tument distentæ sanguine genæ.

96. *Igneaque in vultus.*] *Flammæque latentis Indicium rubor est & ductus anhelitus igni, &c. & ægro Rubor in vultu, &c.* Sen. OEd. *Sacro fervida, &c.*] Execranda peste, *vel* sacro igne, Erysipela. quem, quia è ferventi sanguine natus sit, pestis conitem addit Cels. lib. 5.

97. *Fessumque caput, &c.*] Præ gravedine se non sustinet.

98. *Præceps agit omnia fatum: Nec medii, &c.*] Subita mors, vix morbo interveniente vitæ necique.

100. *Turbaque cadentum Aucta lues.*] Quo plures moriebantur, eo sæviebat pestifera lues magis ac magis. *Hortens. Turbaque cadentum, &c.*] Cæsar ex perfugis cognoscebat, equos eorum vix tolerari, &c. ipsos valetudine non bona, cum angustiis loci & odore tetro & multitudine cadaverum, tum, &c. 3. com.

103. *Tamen hos, &c.*] Levarunt tamen pestem hanc ventus salutaris & omnium rerum copia navibus advecta.

Digitized by Google

At liber terræ spatiosis collibus hostis
Aëre non pigro, nec inertibus angitur undis:
Sed patitur sævam, veluti circumdatus arcta
Obsidione, famem. nondum surgentibus altam
110 *In segetem culmis, cernit miserabile vulgus*
In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, letumque minanteis
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas:
Quæ mollire queunt flamma, quæ frangere morsu,
115 *Quæque per abrasas utero demittere fauces,*
Plurimaque humanis antehac incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.
Ut primùm libuit ruptis evadere claustris
Pompejo, cunctasque sibi permittere terras:
120 *Non obscura petit latebrosa tempora noctis,*
Et raptum furto soceri cessantibus armis
Dedignatur iter: latis exire ruinis

Quæ-

107. *At liber terræ, &c.*] Cæsar autem non peste ex aëris aut aquæ contagione, sed frumenti inopia laborabat.

109. *Nondum surgentibus altam.*] Nondum spicas fundentibus, nedum maturescentibus.

110. *Cernit miserabile vulgus.*] Videt milites herbis, gramine, foliis vesci.

112. *Letumque, &c.*] Lethales.

113. *Radicibus herbas.*] Radicis genus inventum est, quod appellatur *Chara*, ex hoc effectos admisto lacte panes, cum in colloquiis Pompejani iis famem objectarent, vulgo in eos jaciebant. quo viso Pompejus, sibi cum feris rem esse dixit, &c. Cæs. comm. 3. & Sueton. in Cæs. cap. 68. Plutarch.

114. *Quæ mollire, &c.*] Quæcunque poterant coquere.

115. *Abrasas utero, &c.*] Asperitate esculentorum exulceratas, *plebeia radere beta.* Pers. 3. Sat. Audiebantur (inquit Cæsar, lib. 3. de bell. civ.) crebræ militum voces, prius se cortice ex arboribus victuros, quam Pompejum è manibus dimissuros.

117. *Saturum tamen obsidet hostem.*] Commeatu abundantem.

118. *Ut primum libuit, &c.*] Equis macie corruptis, conandum sibi aliquid Pompejus de eruptione existimavit, cujus rei expeditiorem dedere illi facultatem Allobroges duo fratres, qui à Cæsare transierunt, &c. Comm. 3. de bell. civ. prius autem facta erant uno die 6. prælia ad Dyrrhachium & munitiones, ubi Scæva tam strenue rem gessit.

120. *Non obscura petit, &c.*] Non clam & noctu, sed palam & interdiu, per vallum & munitiones Cæsaris erumpere parat.

121. *Et raptum.*] Non vult furtim fuga dilabi, id quod speciem ignaviæ ac timiditatis præ se ferret. *Hortens.*

122. *Laxis exire ruinis.*] Sed hoc fuit consi-

Digitized by Google

Quærit, & impulso turres confringere vallo,
Perque omneis gladios, & quà via cæde paranda est.
125 *Opportuna tamen valli pars visa propinqui,*
Quam Minuti castella vocant, & confraga densis
Arboribus dumeta tegunt. huc pulvere nullo
Proditus agmen agit, subitusque ad mœnia venit.
Tot simul è campis Latiæ fulsere volucres:
130 *Tot cecinêre tubæ. ne quid victoria ferro*
Deberet, pavor attonitos confecerat hostes.
Quod solum valuit virtus, jacuêre peremti,
Debuerant quo stare loco: qui vulnera ferrent
Jam deerant, nimbusque ferens tot tela peribat.
135 *Tum piceos volvunt immissæ lampadis ignes:*
Tum quassæ nutant turres, lapsumque minantur.
Roboris impacti crebros gemit agger ad ictus.
Jam Pompejanæ celsi super ardua valli
Exierant Aquilæ: jam mundi jura petebant.
140 *Quem non mille simul turmis, nec Cæsare toto*

Auser-

consilium, ut dejecta parte aggeris non exigua, suos in hostem emittere.

123. *Et impulso, &c.*] Disjecto machinis, vallo, ferro viam per Cæsarianos facere.

126. *Minuti.*] Ms. P. & T. *Numicè.* Grot. *Minuti castella vocant.*] Minutio (inquit Appianus) quam plurima tolerante, ferunt quippe clypeo ejus XX. supra C. inhæsisse sagittas, &c. Cæsar cum Scævam vocat ut noster & Florus. neque tamen Minutium Scævam dictum arbitror, ut volunt quidam: Cassium Scævam appellat Suetonius & M. Cæsium Scævam Val. Max. l. 3. c. 2.

127. *Huc pulvere, &c.*] Huc legionem ducit silentio, ne pulvis concursu militum excitatus humo, adventum peditum Pompejanorum proderet. *Hort.*

128. *Mœnia venit.*] Vallum.

129. *Volucres.*] Aquilæ signa.

130. *Tot cecinere tubæ, &c.*] Hæ tubæ tantam trepidationem attulerunt hostibus, ut nihil opus esset ferro, aut justo certe prælio decernere ad obtinendam victoriam. *Hortens.*

132. *Jacuere peremti.*] Quem quisque locum cepisset, ex eo non cessit, in eo cecidit fortiter pugnans.

133. *Ferrent.*] Acciperent.

134. *Nimbusque ferens.*] *Metaph.* tela instar grandinis ruentia. *Peribat.*] Cæsis dudum omnibus Cæsarianis.

135. *Piceos volvunt, &c.*] Sagittas & faces incendiarias. lib. 3. ✓ſ. 682. stupam picatam.

137. *Roboris, &c.*] Arietis. lib. 3. ✓ſ. 490.

139. *Jam mundi jura petebant.*] Mss. omnes *patebant.* ut sensus sit: Jam aditus erat ad libertatem. *Grot. Mundi jura petebant.*] Mundum in libertatem è tyrannide asserturæ.

140. *Cæsare toto.*] Quidam cum conditione

Auferret Fortuna locum, victoribus unus
Eripuit, vetuitque capi: seque arma tenente,
Ac nondum strato, Magnum vicisse negavit.
Scæva viro nomen: castrorum in plebe merebat
145 *Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multo*
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.
Pronus ad omne nefas, & qui nesciret, in armis
Quàm magnum virtus crimen civilibus esset.
Hic ubi quærentes socios jam Marte relicto
150 *Tuta fugæ cernit, Quò vos pavor, inquit, abegit*
Impius; & cunctis ignotus Cæsaris armis?
O famuli turpes, servum pecus, absque cruore
Terga datis morti? cumulo vos deesse virorum
Non pudet, & bustis, interque cadavera quæri?
155 *Non ira saltem juvenes, pietate remota,*
Stabitis? è cunctis, per quos erumperet hostis,

Nos

ditione locutum Poëtam volunt, videlicet tam fortiter pugnasse Scævam, ut etiam ipsius dux Cæsar, Pompejo multo acrior, si contra Scævam tetendisset, nihil eum omnibus copiis efficere potuisse. *Hortens.* *Cæsare toto.*] Totis Cæsaris copiis & viribus.

141. *Victoribus unus eripuit.*] Pompejanis jam pene victoribus eripuit victoriam.

144. *Castrorum, &c. ibi sanguine multo.*] Gregarius meruit miles ante bellum Gallicum, in eo ad Centurionis dignitatem evectus est. vide Valer. Max. lib. 2. cap. 2. cujus insigne est vitis quam ad castigandos milites gestabat Centurio. Plin. lib. 14. cap. 1. Juvenal. 8. Sat. & 14. Sat. *vs.* 194. Martial. l. 10. epigr. 26.

146. *Ordine vitem.*] Militum centuriam.

147. *Pronus ad omne nefas.*] Quod laudi vertitur, id crimen vocat Poëta, quod nesciverit in bellis civilibus virtutem esse magnum crimen, cum liceat omnem vim armorum virtute prohibere, nedum eam, quam civis civi infert. *Hortens.*

149. *Hic ubi quærentes, &c.*] Ubi vidit contubernales suos, abjectis hastis circumspicere tutum receptum ad fugam, hujusmodi verbis, ipsorum ignaviam insectatus fuit. *Hortens.*

150. *Tuta fugæ cernit.*] Loca & viam qua tuti fugerent. *Favor impius.*] In Cæsarem, cui non servatis fidem, sacramento militari datam. *Hortens.*

151. *Cunctis ignotis Cæsaris armis.*] In nullo Cæsaris bello hactenus notus.

152. *Servum pecus.*] *O imitatorum servum pecus*, inquit Horat.

153. *Cumulo deesse, &c.*] Vel, morti inter fortes, quorum hic sunt cadavera cumulata. *Sulpit.* *Cumulo vos deesse, &c.*] Annon vos pudet non mortem oppetere cum fortibus viris?

155. *Non ira saltem, &c. è cunctis, per quos, &c.*] Si nulla vos pietas in ducem retineat, sistat vos tamen ira & indignatio, namque nos visi sumus hostibus maxi-

Digitized by Google

Nos sumus electi. non parvo sanguine Magni
Ista dies iterit. peterem felicior umbras
Cæsaris in vultu. testem hunc Fortuna negavit:
160 *Pompejo laudante cadam. confringite tela*
Pectoris incursu, jugulisque retundite ferrum.
Jam longinqua petit pulvis, sonitusque ruinæ,
Securasque fragor concussit Cæsaris aures.
Vincimus ô socii; veniet, qui vendicet arces,
165 *Dum morimur. movit tantum vox illa furorem,*
Quantum non primo succendunt classica cantu:
Mirantesque virum, atque avidi spectare, sequuntur
Scituri juvenes, numero deprensa, locoque,
An plus quàm mortem virtus daret. ille ruenti
170 *Aggere consistit, primumque cadavera plenis*
Turribus evolvit, subeuntesque obruit hostes
Corporibus: totæque viro dant tela ruinæ,
Roboraque, & moles; hosti seque ipse minatur.
Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto

De-

maxime idonei & imbelles, per quos erumperent, verum non impune fe-rent.

158. *Peterem felicior, &c.*] Felicius me mori existimarem, si occumbere licuisset Cæsare inspiciente: hoc non contigit, ita me geram ut virtus mea vel ab hoste laudetur.

160. *Confringite tela, &c.*] Irruite in tela hostium, pectore & jugulo.

162. *Longinqua petit.*] Apparet longius. *Jam longinqua petit pulvis.*] Pulvis iste & fragor belli Cæsarem dudum inscium sistet huc mox cum subsidiis.

164. *Veniet qui vindicet, &c.*] Cæsar scil. qui asseret sibi castella. Verba sunt Scævæ ad suos, accendentisque suorum animos ad defensionem. *Hortensius.*

165. *Movit tantum vox illa, &c.*] Vox illa Scævæ tantum valuit ad pugnam, quantum nulla tuba suo cantu, quoties signum dat militibus ad ineundum prælium. *Hortens.*

166. *Succendunt.*] Accendunt militares animos, quando in procinctu stant, parati ad pugnam. *Hortens.*

168. *Numero deprensa, &c.*] An virtus numero hostium obruta & iniquo loco deprensa posset aliquid amplius dare quam mortem; gloriamne an victoriam?

169. *Ille ruenti, &c.*] Scæva in summo aggere, ruinam minitanti. *Hort.*

170. *Primumque, &c.*] Suorum cadaveribus, telorum saxorumque utitur loco adversus hostes.

172. *Totæque ruinæ, &c.*] Omnis materia erat ei telum.

173. *Moles.*] Saxa. *Hosti seque ipse minatur.*] Velle se præcipitem in illos demittere.

174. *Contraria.*] Hostium. *Conto.*] Pertica.

175. Te-

175 *Detrudit muris, & valli summa tenentes*
Amputat ense manus: caput obterit, ossaque saxo,
Ac male defensum fragili compage cerebrum
Dissipat: alterius flamma crinesque, genasque
Succendit: strident oculis ardentibus ignes.
180 *Ut primùm cumulo crescente cadavera murum*
Admovêre solo: non segnior extulit illum
Saltus, & in medias jecit super arma catervas,
Quàm per summa rapit celerem venabula pardum.
Tunc densos inter cuneos compressus, & omni
185 *Vallatus bello vincit, quem respicit, hostem.*
Jamque hebes, & crasso non asper sanguine mucro
Percussum Scæva frangit, non vulnerat, hostem.
Perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.
Illum tota premit moles, illum omnia tela.
190 *Nulla fuit non certa manus, non lancea felix:*

Par-

175. *Tenentes, &c.*] Ascendentium manus prehendentes valli summa.

177. *Compage.*] Galea.

178. *Flamma crinesque, &c.*] Stuppa picata, face.

179. *Oculis ardentibus.*] In quos telum ignitum immiserat. *Sulpit.*

180. *Ut primum, &c.*] Transit ad ea, quæ defensionem Scævæ sunt insequuta. Ubi, inquit, cæsorum tantus fuit acervus, ut muro æquaretur, saltu se in medios hostes dejecit. *Hort. Cumulo, &c.*] Fossam compleverunt; vallo vel castelli muro æquata cadaverum strue.

181. *Non segnior, &c.*] Ea celeritate insiluit super cadaverum struem qua pardus solet, in venabulorum aciem.

184. *Cuneos compressus.*] Cuneus proprie est multitudo peditum cuneum repræsentans, quæ juncta cum acie primum angustior, deinde latior procedit ad ordines hostium diffringendos. *Compressus.*] Oppressus. *Omni, &c.*] Omnibus copiis, adversus quas stetit, oppressus undique.

186. *Crasso non asper, &c.*] Obtusus cæde gelatoque sanguine perdiderat usum & officium ensis.

187. *Percussum Scæva frangit, &c.*] Vel sola vox *frangit* repetita satis ostendit horum duorum versuum alterum vacare. Ms. T. ex prima manu versum duntaxat priorem habuit: posteriorem ad marginem asscriptum. Contra in Ms. P. annotatum est priorem versum abundare. Puto hunc locum unum esse ex iis, quos in secunda editione, ut fieri solet, mutavit Lucanus; & priorem versum prius scriptum: postea ejus loco substitutum alterum, hunc in modum:

Jamque hebes & crasso non asper vulnere mucro
Perdidit ensis opus: frangit sine vulnere membra.

Est enim hoc argutius. *Grotius.*

188. *Perdidit ensis opus.*] Perdiderat usum gladii, id est, non secuit, sed fregit.

189. *Moles.*] Multitudo hostium.

191. *Par-*

Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum,
Atque virum. fortis crebris sonat ictibus umbo,
Et galea fragmenta cavæ compressa perurunt
Tempora: nec quicquam nudis vitalibus obstat
195 *Jam, præter stantes in summis ossibus hastas.*
Quid nunc vesani jaculis, levibusque sagittis
Perditis hæsuros nunquam vitalibus ictus?
Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat, aut vasti muralia pondera saxi:
200 *Hunc aries ferro, ballistaque limine portæ*
Summoveat: stat non fragilis pro Cæsare murus,
Pompejumque tenet: jam pectora non tegit armis:
Ac veritus credi clypeo, lævaque vacasse,
Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli
205 *Solus obit, densamque ferens in pectore silvam,*

Jam

191. *Parque novum.*] Inauditum certamen, quod in unum pugnarent innumeri. *Sulpit. Parque novum, &c.*] Supra ✠ſ. 3. *Bellum.*] Universas Pompeji copias, cum uno Scæva compositas.

193. *Et galea, &c.*] Et galea crebro ictu contusa fractaque caput ejus stringit.

194. *Nec quicquam, &c.*] Et tela hostium corpori illius fixa supplent locum fractæ loricæ & inerme pectus defendunt. *Nudis vitalibus obstat.*] Nihil prohibet quo minus feriatur in vitalibus, hoc est, in locis, in quibus est vitæ summa, ut in præcordiis, corde, &c. *Sulpit.*

196. *Quid nunc vesani jaculis.*] Aversio poëtæ ad Pompejanos, cum irrisione.

198. *Phalarica.*] Genus teli missile, quo utuntur ex Phalis, id est, ex turribus & editis locis. est autem in modum hastæ valido ferro præfixa intrà tubum, cujus hastile sulphure, resina, bitumine & stuppis convolvitur infuso oleo, quod incendiarium vocant, & è balista emittitur. *Sulpit. Phalarica.*] Libro 3. ✠ſ. 680.

199. *Muralia pondera saxi.*] Ingenti magnitudine.

200. *Aries ferro.*] Lib. 3. ✠ſ. 400. *Ballistaque limine, &c.*] Machina cujus brachia tenduntur funibus nervisque ad emittenda saxa, faces, jacula. cujus formam vide apud Marcellinum l. 21. & Veget. lib. 4. cap. 22.

201. *Stat non fragilis, &c.*] Pompeji copias sustinet, victoriamque moratur.

202. *Jam pectora non tegit armis.*] Et jam turpe ducens clypeo tegi, lævam corporis partem suis carere vulneribus, atque in vita ulterius manere, abjicit clypeum, & pectore occurrit telorum multitudini.

203. *Credi clypeo, lævaque vacasse.*] Fidere clypeo: ipsum ergò clypeum abjecit, ut sinistra etiam posset hostem ferire. *Sulpit.*

204. *Aut culpa vixisse sua.*] Statuerat enim illic pro Cæsare mori. *Sulpit.*

205. *Solus obit.*] Obire vulnera, pro eo, quod est, tot vulnera infligit solus & ac-

Jam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem,
Par pelagi monstris. Libycæ sic bellua terræ,
Getulus densis Elephas oppressus ab armis
Omne repercussum squalenti missile tergo
210 *Frangit, & hærentes mota cute discutit hastas.*
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
Confixæ stant tela feræ: tot facta sagittis,
Tot jaculis, unam non explent vulnera mortem.
Dictæa procul ecce manu Gortynis arundo
215 *Tenditur in Scævam, quæ voto certior omni*
In caput, atque oculi lævum descendit in orbem.
Ille moras ferri, nervorum & vincula rumpit,
Affixam vellens oculo pendente sagittam
Intrepidus, telumque suo cum lumine calcat.
220 *Pannonis haud aliter post ictum sævior ursa,*

Cùm

& accipit invicem, quot hostes, cum quibus res erat, dare poterant. *Sulpitius.*

206. *Jam gradibus fessis.*] Stando pugnandoque defatigatus, & ex uno corpore circumspectat aliquem ex hostium numero, in quem cum impetu corruat. *In quem cadat.*] Ut modo versu 173.

207. *Par pelagi monstris.*] Et hoc quoque libri nonnulli agnoscunt. At Ms. P. sic habet:

—— in quem cadat eligit hostem
Sic Libycus densis elephas oppressus ab armis, &c.

Quod & ipsum puto esse ex secunda & meliore Lucani editione. Neque immerito repudiavit illud de pelagi monstris, ut alienum ab hoc loco. *Grotius. Pelagi monstris.*] Cetis, balenis, quæ se immittentes, pondere & mole sua naves depressum eunt.

208. *Armis.*] Venatoribus, vel telis.

209. *Omne repercussum, &c.*] Corii duritie resistit telis, quod si quando penetrent, ea tamen non altius infixa mota cute discutit.

213. *Unam, &c.*] Unius Scævæ.

214. *Dictæa procul, &c.*] Cretensis. Dicte mons est, Gortyna urbs Cretæ, quæ claruit olim sagittarum & jaculorum mittendi studio. *Gortynis arundo*, est Cretensis sagitta. *Procul ecce manu, &c.*] Dilatatio narrationis ab ictu certo cujusdam sagittarii Cretensis, qui in Scævæ oculum contorsit sagittam; & qua ferocia hic eam, una cum oculo extraxerit. *Hortens.*

216. *Orbem.*] Oculum, ut l. 2. ✠. 184. *vel* sinum, in quo oculus. alterum illi excussum fuisse oculum meminere Plutarch. Suet. Appian.

217. *Moras ferri, &c.*] Oculum cui infixa erat sagitta, ruptis nervis cum ipso telo educit. *Vincula rumpit.*] Nervosas radices, quibus oculus continetur. *Sulpit.*

219. *Lumine calcat.*] Oculo.

220. *Pannonis.*] Austrica, Hungarica. *Haud aliter.*] Non secus inquit, ursa telum, quo vulnerata est, appetit. *Sulpit.*

221. *Li-*

Digitized by Google

Cùm jaculum parvà Libys amentavit habena,
Se rotat in vulnus: telumque irata receptum
Impetit, & secum fugientem circuit hastam:
Perdiderat vultum rabies: stetit imbre cruento
225 *Informis facies: lætus fragor æthera pulsat*
Victorum: majora viris de sanguine parvo
Gaudia non faceret conspectum in Cæsare vulnus.
Ille tegens alta suppressum mente dolorem,
Mitis, & à vultu penitus virtute remota,
230 *Parcite, ait, cives: procul hinc avertite ferrum:*
Collatura meæ nil sunt jam vulnera morti:
Non eget ingestis, sed vulsis pectore telis.
Tollite, & in Magni viventem ponite castris:
Hoc vestro præstate duci: sit Scæva relicti
235 *Cæsaris exemplum potiùs, quàm mortis honestæ.*
Credidit infelix simulatis vocibus Aulus:

Nec

221. *Libys.*] Venator peritus, quales habet Libye. *Amentavit.*] Hoc est, jecit ex amento seu ligula quæ telo innectitur. *Habena.*] Amento. *Sulp. Amentavit habena.*] Amento torsit.

222. *Se rotat in vulnus.*] Se rotans conatur evellere sagittam lateri hærentem.

223. *Impetit.*] Invadit. *Secum fugientem.*] Quæ secum convertitur: vel quam fugiens fert. *Circuit.*] Circuendo conatur apprendere. *Sulpit.*

224. *Perdiderat vultum rabies.*] Vultus Scævæ non præ se ferebat priorem rabiem. *Hypallage. Cruento imbre.*] Fluxu sanguinis.

226. *Victorum.*] Pompejanorum. *Majora viris, &c.*] Non minor ad æthera sublatus est clamor à Pompejanis jam se vicisse natis vulnerato Scæva, quam si ipsum Cæsarem vulnerassent.

228. *Ille tegens alta, &c.*] Hoc Appianus refert hunc in modum. Scæva, post multa & præclara facinora edita, oculum sagitta saucius, velut quippiam dicturus, in medium prosiliit. Pompeji ductorem quendam singulari virtute cognitum ad se vocans; Serva, inquit, tibi similem, serva amicum ac curatores mihi adhibe, quoniam vulnere affligor. Accurrentibus ad illum veluti transfugam duobus è Pompeji exercitu, unum aggressus occidit, alterius humerum ense trajecit, &c. lib. 3. de bell. civ.

229. *Et à vultu, &c:*] Composuit enim vultum ad misericordiam commovendam. *Sulpit.*

231. *Collatura meæ, &c.*] Nihil additura, non profectura ad mortem sunt tela injecta: evulsa potius emittent animam.

234. *Sit Scæva relicti, &c.*] Facite ut videar potius transiisse à Cæsare, quam pro eo mortem cum gloria oppetiisse.

236. *Aulus.*] Nomen illius ductoris, cujus opem imploravit.

Nec vidit recto gladium mucrone tenentem:
Membraque captivi pariter laturus, & arma,
Fulmineum mediis excepit faucibus ensem.
240 *Incaluit virtus: atque una cæde refectus*
Solvat, ait, pœnas, Scævam quicunque subactum
Speravit: pacem gladio si quærit ab isto
Magnus, adorato submittat Cæsare signa.
An similem vestri, segnemque ad fata putastis?
245 *Pompeji vobis minor est, causæque Senatus,*
Quàm mihi mortis amor. Simul hæc effatus, & altus
Cæsareas pulvis testatur adesse cohortes.
Dedecus hic belli Magno, crimenque remisit,
Ne solum totas fugerent te Scæva caterva:
250 *Subducto qui Marte ruis: nam sanguine fuso*
Vires pugna dabat. labentem turba suorum
Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet.
Ac velut inclusum perfosso in pectore numen,
Et vivam magnæ speciem Virtutis adorant:

Tela-

238. *Captivi, &c. ensem. Incaluit virtus.*] Scævæ.

244. *Similem vestri, &c.*] Imbellem & mortis timidum.

245. *Pompeji vobis minor est, &c.*] Vos non tam detinet amor Pompeji ac Senatus, quam me mortis desiderium: ita ut dulcius mihi sit pro Cæsare occumbere, quam superesse. *Hortens.*

247. *Cæsareas pulvis, &c.*] Excitatus à P. Syllæ adventantis militibus pulvis, honesti recessus prætextum dedit Pompejanis, ne Scævam solum fugere arguerentur.

248. *Dedecus hic belli, &c.*] Tum demum Pompejani magno dedecore liberati fuere: quum non Te, sed Cæsarem fugere videremur; quum pulvis procul exortus, hostis adventum testaretur. Sed falsi opinione fuere. *Hortens.*

250. *Subducto qui Marte, &c.*] Nam recipientibus se Pompejanis, quum non haberet in quos pugnaret, cecidit. *Ruis.*] Moreris. *Sulp. Subducto qui, &c.*] Qui receptui signo à Pompejanis dato, non habens in quos calidum & ministeria obeuntem sanguinem exerceas, deficis.

251. *Vires pugna dabat.*] Ex cædibus fortior evadebat. *Sulpit. Labentem turba suorum, &c.*] Deficientem socii tollunt, virtutem scil. illius venerati. cujus monimentum Deorum templis & imagini ipsius Martis suspendunt, tela illi infixa & arma viri. Vixisse eum testatur, Cæs. com. 3. Cum enim Scævæ capite, humero, femore saucii & oculo uno orbati scutum ad Cæs. ælatum esset, inventa sunt in eo foramina CCXXX. (sed ut alii referunt, CXX.) donavit eum MCC. æris, atque ab octavis ordinibus ad primipilum traduxit, &c.

257. *Fe-*

Digitized by Google

255 *Telaque confixis certant evellere membris,*
Exornantque Deos, ac nudum pectore Martem
Armis Scæva tuis. felix hoc nomine fama
Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset
Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.
260 *Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis*
Templa potes, non tu lætis ululare triumphis.
Infelix, quanta dominum virtute parasti!
Nec magis hac Magnus castrorum parte repulsus
Intra claustra piger dilato Marte quievit,
265 *Quàm mare lassatur, cùm se tollentibus Euris*
Frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti
Montis adest, seramque sibi parat unda ruinam.
Hinc vicina petens placido castella profundo
Incursu gemini Martis rapit: armaque latè
270 *Spargit, & effuso laxat tentoria campo:*

Mutan-

257. *Felix hoc nomine fama, &c. Non tu bellorum, &c.*] Multam & veram consecuturus gloriam, si pro patria pugnans hac usus fuisses virtute in Hispanis, Cantabris, Germanisque subjugandis. hic vero periit tibi virtus, quippe cui neque triumphum læta & licentiosa acclamatione prosequi, neque spolia Jovi Capitolino referre continget, quod bello civili vincentibus negatum est. Val. Max.

262. *Dominum virtute parasti, &c.*] Dion. πολλοὺς ἀπολλοὺς ὥστε πολὺ ὑπὲρ τὸ ἀλλοφυλίας, ἅτε τῶν τῷ τὸ ἐν Ῥωμαίων δουλείας ποιούμενοι. *Grot. Dominum virtute parasti.*] *Invidiose.* Cæsarem, cui per te Roma tuque ipse sis serviturus. Salust. 1. Hist. *Victor exercitus, cui per tot labores & vulnera nihil præter tyrannum quæsitum est.*

263. *Nec magis hac, &c.*] Pompejus hic repulsus non desistebat, magis quam fluctus maris à scopulo repercussi, quin sæpe crebro impulsu victores tandem scopulum evertunt.

264. *Intra claustra.*] Castra undique circumvallata.

267. *Adest.*] Adedit, exedit. *Seram ruinam.*] Hoc est, non subitam, sed tardam ac lentam.

265. *Frangentem fluctus, &c.*] Crebris ictibus & diutino insultu quassam.

268. *Hinc vicina, &c.*] Pompejus ab Ægo & Roscillo Allobrogibus transfugis edoctus, transversum inter geminum aggerem ad mare vallum nondum esse perfectum, sagittariis militibusque navi missis, qui munitionum defensores à tergo peterent, ipse prima luce cum copiis accessit. cohortes itaque Cæsaris, quæ ad mare excubuerant, terra marique pressæ terga vertunt, quas Pompejani non sine multa cæde insecuti sunt usque ad castra Marcellini. ubi Antonius cum XII. cohortibus descendere visus Pompejanos compressit. *Profundo.*] Mari. ut nota sup.

269. *Gemini.*] Terra marique, ibid.

270. *Spargit.*] Extendit, latius diffundit. *Effuso laxat tentoria campo.*] Prius circum-

Mutandæque juvat permissa licentia terræ.
Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas, & totos concutit agros.
Succubuit si quà tellus, cumulumque furentem
275 *Undarum non passa, ruit: tum flumine toto*
Transit, & ignotos aperit sibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt, donante Pado. vix prœlia Cæsar
Senserat, elatus specula quæ prodidit ignis.
280 *Invenit impulsos presso jam pulvere muros,*
Frigidaque ut veteris deprendit signa ruinæ;
Accendit pax ipsa loci, movitque furorem
Pompejana quies, & victo Cæsare somnus.
Ire vel in clades properat, dum gaudia turbet.
285 *Torquato ruit inde minax: qui Cæsaris arma*
Segnius haud vidit, quam malo nauta tremente
Omnia Circeæ subducit vela procellæ:

Agmi-

circumscriptus atque inclusus gaudet jam liberiore campo.

272. *Sic pleno Padus, &c.*] Expatiatur, non secus atque Padus exundans. *vel* superat aggeres oppositos; *vel*, si qua parte aggere eversus fatiscit, irruit ac longe lateque campos inundat. *Super aggere tutas, &c.*] Superegreditur ripas munitas aggeribus. *Sulpit.*

274. *Cumulumq; furentem.*] Magnam vim fluminis.

276. *Aperit sibi campos.*] Per ignotum campum fluit, quum hactenus naturalem suum cursum intrà alveos retinuisset. *Sulpit. Hortens.*

277. *Illos terra fugit dominos.*] Terra alluvione attrita decedit & aliis dominis atque aliis adjicitur.

278. *Vix prœlia Cæsar, &c.*] Neque multo post, Cæsar, significatione per castella fumo facta, deductis ex præsidiis quibusdam cohortibus, eodem venit, qui, cognito detrimento, cum animadvertisset Pompejum extra munitiones egressum, &c. 3. com. Cæs.

280. *Impulsos.*] Prostratos. *Presso.*] Sedato.

281. *Frigidaque, &c.*] Non à recenti pugna calentia.

282. *Accendit pax ipsa loci.*] Pompeji quietem partam ægris oculis vidit Cæsar.

283. *Ire vel in clades properat.*] Paratus se in perniciem certam præcipitare, modo illius pacem disturbet.

285. *Torquato ruit inde minax.*] Ruit inde minatus exitium Torquato, qui à Pompejo præfectus fuerat castello expugnato. *Qui Cæsaris arma, &c.*] Qui, viso Cæsare, suos intra aggerem interiorem (castellum enim inclusum erat maximis castris) recepit: non minus cauto quam providus nauta, tempestatem ad Circæum in mari Tyrrheno ingruentem advertit, velaque contrahit.

288. *Muro*

Digitized by Google

Agminaque interius muro breviore recepit,
Densius ut parva disponeret arma corona.
290 *Transierat primi Cæsar munimina valli,*
Cum super è totis emisit collibus agmen,
Effuditque acies obseptum Magnus in hostem.
Non sic Ætnæis habitans in vallibus horret
Enceladum spirante Noto, cùm tota cavernas
295 *Egerit, & torrens in campos defluit Ætna:*
Cæsaris ut miles glomerato pulvere victus
Ante aciem, cæci trepidus sub nube timoris
Hostibus occurrit fugiens, inque ipsa pavendo
Fata ruit. totus mitti civilibus armis
300 *Usque vel in pacem potuit cruor: ipse furentes*
Dux tenuit gladios. felix, ac libera legum

Roma

288. *Muro breviore recepit.*] Revocavit, in interiorem aggerem qui brevior erat, ut milites compressiores haberet Torquatus. *Hortens.*

290. *Transierat primi Cæsar munimina valli, Cum super, &c.*] Cæsar ejus diei detrimentum sarcire cupiens, legionem Pompeji in castellum eductam opprimere se posse sperans, cohortes XXXIII quam potuit occultissime duxit. & munitiones castrorum, tametsi erant magnæ, aggressus, Pompejanos ex vallo deturbavit. Pompejus re nunciata quintam legionem subsidio suis duxit. ibi Cæsaris equitatus, receptui suo timens, initium fugæ faciebat. cohortes cum ex vallo Pompejum adesse & suos fugere cernerent, ne utrinque ab hoste intercluderentur, sese in fossas fuga præcipitabant. omniaque erant tumultus, timoris, fugæ plena.

293. *Non sic Ætnæis, &c.*] Catinenses atque accolæ Ætnæ non ita horrent incendium & flammas montis Ætnæ, quam Encelado giganti fulmine icto injectam fabulantur, vento intra cavernas furente, ut Cæsariani jam trepidabant victi fugatique.

294. *Cavernas, &c.*] Lapides ignitos & globos flammarum eructat in subjectos campos.

297. *Ante aciem.*] Ante manum cum hoste consertam. *Cæci sub nube timoris.*] Quia qui timent quid sint acturi non provident. *Sulpit.*

298. *Inque ipsa, &c.*] In fatum, dum fugiunt, incidunt.

299. *Totus mitti, &c.*] Potuit hic tanta edi clades, ut Cæsarianis nulla vel spes, vel caussa rebellandi superfuisset. *Sulpit. Totus mitti civilibus, &c.*] Atque hic debellarum fuisset civile bellum magna cum Cæsarianorum cæde; nisi Pompejus vel fato vel metu suos repressisset à persequendo hostes. Adeo ut suis amicis ipse Cæsar dixerit: *Primes hostes hodie fuisset victoria, si ducem vincere scientem habuissent.*

300. *Ipse furentes, &c.*] Pompejus continuit suos in civilem cædem furentes. Neque enim ita apte de Cæsare intelligi potest qui à suis neq; autoritate, neque hortatu, neque minis, neque precibus impetrare potuit ut consisterent.

301. *Libera legum.*] Ita Silius lib. 2. *Et liber campi pastor.*

Roma fores, jurisque tui, vicisset in illo
Si tibi Sylla loco. dolet heu, semperque dolebit,
Quod scelerum Cæsar prodest tibi summa tuorum
305 *Cum genero pugnasse pio. Prô tristia fata,*
Non Uticæ Libye clades, Hispania Munda
Flesset, & infando pollutus sanguine Nilus
Nobilius Phario gestasset rege cadaver:
Nec Juba Marmaricas nudus pressisset arenas,
310 *Pœnorumque umbras placasset sanguine fuso*
Scipio: nec sancto caruisset vita Catone.
Ultimus esse dies potuit tibi Roma malorum:
Exire è mediis potuit Pharsalia fatis.
Deserit adverso possessam numine sedem
315 *Cæsar, & Emathias lacero petit agmine terras.*

Arma

302. *Vicisset in illo, &c.*] Institisset fortunæ suæ & victoriæ; fugientes insecutus hostes, vel ad internecionem cæsos, utcunq; cives debellasset, P.Cor. Sylla, melius sciens vincere quam Pompejus, sicubi illi contigisset par facultas.

304. *Scelerum summa.*] Maximum inter scelera tua, scilicet, quod pium generum oppugnaveris. *Sulpit.*

305. *Pio.*] Tam pie parcente tibi & civibus. *Prô tristia fata, &c.*] Quam occasionem nisi omisisset ille: Non ad Uticam Africa tot vidisset cædes Jubæ regis, Scipionis, Catonis, Labieni, Petreii, Faustì, Syllæ, &c. Non ad Mundam, de qua vide lib. 1. ✠ſ. 40.

307. *Et infando pollutus.*] Neque Pompejus ad ostium Nili Pelusiacum appellens, ibi periisset. lib. 8. ✠ſ. 465. *Sanguine Nilus.*] Pompeji, lib. 8. ✠ſ. 618. & deinceps.

308. *Phario, &c.*] Ptolomæo rege Ægyptio, cujus permissu jussuque interfectus est. Pharos insf. & turris ad portum Alexandrinum.

309. *Nec Juba.*] Nec Rex Juba, & Petreius, ne in manus hostis venirent, mutuis vulneribus concurrentes cecidissent. *Marmaricas, &c.*] Marmarica Africæ regio est, Ægyptum versus. *Marmaricas, &c.*] Lib. 3. ✠ſ. 293.

310. *Pœnorumque, &c.*] Neque Scipio Pompeji socer penes quem in Africa reliquiarum Pharsaliæ & imperii summa erat, ferro suo trajectus & in mare præcipitatus retulisset inferias umbris Pœnorum in secundo & tertio bello Punico gentis suæ auspiciis cæsorum.

✠ 311. *Nec sancto caruisset vita Catone.*] Neque è vivis discessisset vir integerrimus Cato, qui Uticæ sibi necem conscivit.

312. *Malorum.*] Belli civilis & libertatis oppressæ.

313. *Exire è mediis, &c.*] Potuit non fieri pugna Pharsalica. *Sulp. Exire è mediis, &c.*] Jamque in itinere medio incisus fuisset nervus Pharsalicæ victoriæ.

314. *Deserit adverso, &c.*] Cæsar castra & regionem in quibus infeliciter pugnarat, noctu deserens in Thessaliam se contulit.

315. *Lacero petit agmine terras.*] Duobus

Digitized by Google

Arma secuturum soceri, quacumque fugasset,
Tentavere sui comites divertere Magnum,
Hortati, patrias sedes, atque hoste carentem
Ausoniam peteret. Nunquam me Cæsaris, inquit,
320 *Exemplo reddam patriæ, nunquamque videbit*
Me, nisi dimisso redeuntem milite Roma.
Hesperiam potui, motu surgente, tenere,
Si vellem patriis aciem committere templis,
Ac medio pugnare foro. dum bella relegem,
325 *Extremum Scythici transcendam frigoris orbem,*
Ardentesque plagas. victor tibi, Roma, quietem
Eripiam, qui, ne premerent te prælia, fugi?
Ah potiùs, ne quid bello patiaris in isto,
Te Cæsar putet esse suam. sic fatus, in ortus
330 *Phœbeos convertit iter, terraque secutus*
Devia, quà vastos aperit Candavia saltus,
Contigit Emathiam, bello quam fata parabant.

Thes-

bus enim illis præliis desideravit Cæsar e suis, milites 900. equites 62. centuriones 30. tribunos mil. 10. signa militaria 32.

316. *Arma secuturum soceri, &c.*] Pompejum ab instituto Cæsarem insequendi frustra conati sunt amici divellere: hortati ut Italiam Romamque potius repeteret.

319. *Nunquam me Cæsaris.*] Non videbit me Roma armatum, ut Cæsarem: non revertar in patriam nisi dimisso exercitu.

322. *Motu surgente.*] Initio tumultus hujus civilis.

323. *Si vellem patriis, &c.*] Si placuisset illorum exemplum, qui cum civili hoste in medio foro dimicantes, templa & sacra Deorum impie contaminarunt.

324. *Dum bella relegem.*] Eg[illegible]pertè quo bellum à patria longe submoveam, adibo extremas regiones gelidæ Arcto vel zonæ torridæ subjectas. *Relegem.*] Abigam, prohibeam. *Sulpit.*

328. *Ne quid bello patiaris, &c.*] Sed potius Cæsar te possideat, quam ut per me detrimentum capias, ullumve incommodum accipias. *Hortens.*

329. *In ortus, &c.*] Pompejus Cæsarem insecutus ad Asparagum consedit. Cæsar in veteribus castris trans Genusium amnem tantisper constitit, quoad Pompejanos aliis rebus occupatos sensit. inde per Epirum & Acarnaniam in Macedoniam iter flexit. Secutus est Pompejus per Candaviam qui mons est Illyricum à Macedonia disterminans.

331. *Candavia.*] Mons Epiri, qui Illyricum à Macedonia dirimit.

332. *Contigit Emathiam.*] Pervenit in Thessaliam regionem, locum fatalem, in quo Pompejani funderentur à Cæsare. *Hort. Bello quam, &c.*] Pompeji cladi, à fatis destinatam.

Theſſaliam, qua parte diem brumalibus horis
Attollit Titan, rupes Oſſæa coërcet.
335 *Cùm per ſumma poli Phœbum trahit altior aſtas,*
Pelion oppanit radiis naſcentibus umbras.
At medios ignes cœli, rabidique Leonis
Solſtitialc caput nemoroſus ſubmovet Othrys.
Excipit adverſos Zephyros, & Iapyga Pindus,
340 *Et maturato præcidit veſpere lucem.*
Nec metuens imi Boreæ habitator Olympi
Lucentem totis ignorat noctibus Arcton.
Hos inter montes media qui valle premuntur,
Perpetuis quondam latuêre paludibus agri:
345 *Flumina dum campi retinent, nec pervia Tempe*
Dant aditus pelago, ſtagnumque implentibus undis

Cre-

333. *Theſſaliam, &c.*] Ab Ortu brumali mons Oſſa Theſſaliam terminat. vide Herodotum in Polymnia, unde hæc deſumpta eſt chorographia.

334. *Rupes Oſſæa.*] Deſcribit autem eam regionem, maximè à montibus quinque quibus cingitur ambiturque: Sunt autem Oſſa, Pelium, Othrys, Pindus & Olympus.

335. *Cum per ſumma, &c.*] Pelion mons adumbrat Theſſaliam ab ortu Solis juxta æquatorem; quem & Aſtrologi vocant *ſumma poli.*

337. *At medios ignes cœli, &c.*] Ad meridiem & notum (inquit Herodotus) Othryn habet. Solis itaque meridiani in æſtivo tropico Cancri & inde Leonis ſigno, ardorem, Othrys arcet.

339. *Excipit adverſos Zephyros, &c.*] Pindus mons ad Occaſum ſitus excipit Favonium & Iapyga ventum ex Apulia flantem, atque altitudine ſua Soli occidenti interjectus noctem præproperat.

340. *Præcidit lucem.*] Subtrahit lucem & inumbrat Theſſaliam.

341. *Nec metuens imi Boreæ, &c.*] Et qui radices Olympi ad Boream ſiti incolunt, ab Aquilonis ſævitia per montis altitudinem muniti, Cynoſuram & Helicen nocte lucentes non vident.

343. *Hos inter montes media, &c.*] Τῶν ὃ Θεσσαλίαν λέγω ἐς τὸ πελαῖον εἶναι λίμνην, αὖτε γε συμπελεσθείσαν πόθεν ἐπέρρηξεν ὄρος. Herod. Polym.

344. *Perpetuis quondam, &c. diſceſſit Olympo, &c.*] Stagnabat olim Theſſalia in paludem montibus undique clauſam, priuſquam Hercules divulſis Oſſa & Olympo, exitum Peneo fluvededit in mare, aperuitque amœniſſima Tempe. Herodotus à Neptuno terræ motu factum eſſe refert. vide Sen. Herc. En. ℣. 282. & Ælian. var. hiſt. lib. 3. cap. 1.

345. *Flumina dum campi, &c.*] Fluminum curſus non habentes exitum in mare, augebant paludem.

346. *Dant aditus pelago.*] Imo *pelagi*, ut habet Ms. P. & R. A. Maris aditus eran[illegible] intercluſi. *Grot. Stagnumque implentibus.*] In implenda Theſſalia occupatis.

347. *Cre-*

Digitized by Google

Crescere cursus erat. postquam discessit Olympo
Herculea gravis Ossa manu, subitaque ruinam
Sensit aquæ Nereus: melius mansura sub undis,
350 *Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis*
Eminet, & prima Rhœteia littora pinu
Quæ tetigit Phylace, Pteleosque, & Dorion ira
Flebile Pieridum; Trachin, pretioque nefandæ
Lampados Herculeis fortis Melibœa pharetris:
355 *Atque olim Larissa potens: ubi nobile quondam*
Nunc super Argos arant: veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias: ubi quondam Pentheos exul,
Colla, caputque ferens supremo tradidit igni,
Questa quod hoc solum nato rapuisset Agave.

Ergo

347. *Crescere cursus erat.*] Loco cursus crescebant. *Sulpit.*

348. *Subitaque ruinam, &c.*] Mare sensit impetum Penei emissi.

349. *Melius mansura sub undis.*] Atque utinam mansisset usque sub aquis potius, quam facta fuisset terra & arena, qua concurreret civ. bell. Rom.

350. *Emathis æquorei, &c.*] Thessalica Pharsalos regnata quondam Achilli filio Thetidis marinæ, eminuit ex aquis.

351. *Prima Rhœteia, &c.*] Eminuit Phylace urbs Pthioticæ regnata Protesilao qui in bello Troj. primus Græcorum emicuit in litus Trojanum. Rhœteum autem Troados promontorium est.

352. *Pteleosque.*] Thessaliæ urbs & nemus. *Dorion ira, &c.*] Oppidum, juxta quod Thamyris à musis in carminis certamen provocatis victus atque excœcatus fuit. Hom. 2. Iliad.

353. *Trachin.*] Thessaliæ opp. in aspero & saxoso loco conditum. τραχίν. Heraclea postea dicta. *Pretioque nefandæ, &c.*] Magnesiæ in Thessalia civitas, patria Philoctetæ, quem Hercules donavit sagittis, incensæ ab eo in OEta Pytæ precio.

354. *Fortis Melibœa.*] Philoctetæ patria, absque quo, sagittas Herculeas afferente, Troja capi non poterat. *Sulpit.*

355. *Larissa potens.*] Thess. urbs, patria Achillis fortissimi è Græcis olim ad Trojam. *Ubi nobile quondam, &c.*] Ubi quondam erat Argos nobilis civitas, nunc diruta aratro vertitur.

356. *Veteres ubi fabula Thebas.*] Atque hic etiam Thebæ sunt Phthioticæ, æmulæ Bœoticarum. Echion unus erat è terrigenis cujus opera usus Cadmus Thebas condidit. *nota sicq.*

357. *Monstrat Echionias.*] Hoc vult, Thebas Phthioticas dictas, à Thebis Bœoticis; ex eo quod Agave ibi exsilii sui sedem invenisset. *Grot. Exul.*] *Exul*, ab aliis exponitur, *mente alienata*, ab aliis, *exterminata à filio Baccharum ritus execrante.* Agave autem filium Pentheum per furorem, rata vitulum, interfecit, ad se reversa Thessaliam fuga petiit ubi filio justis persolutis, ex nomine veteris patriæ Thebas condidit. Virg. in Culice, *quo quondam victa furore Vinit Nyctileum fugiens Cadmeis Agave, Infandaq; scelerata manus, & cæde cruenta.*

359. *Questa quod, &c.*] Desiderans reliqua membra ad rogum.

360 *Ergo abrupta palus multos disceßit in amnes.*
Purus in occasus, parvi sed gurgitis, Æas
Ionio fluit inde mari: nec fortior undis
Labitur avecta pater Isidis, & tuus, Oeneu,
Penè gener craßis oblimat Echinadas undis:
365 *Et Meleagream maculatus sanguine Neßi*
Euenos Calydona secat. ferit amne citato
Maliacas Sperchios aquas: & flumine puro
Irrigat Amphrysos famulantis pascua Phœbi.
Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
370 *Aëra, nec tenues ventos suspirat Auauros.*
Et quisquis pelago per se non cognitus amnis
Peneo donavit aquas. it gurgite rapto
Apidanos: nunquamque celer, nisi mistus, Enipeus.
Accipit Asopos cursus, Phœnixque, Melasque.
375 *Solus in alterius nomen cùm venerit undæ,*

Defen-

360. *Ergo.*] *Thessaliæ fluvios recitat. Abrupta palus, &c.*] Emissa angustiis per montes ab Hercule vel Ennosigæo divulsos palus prius inclusa.

361. *Purus in occasus, &c.*] Æas flumine limpido & modico in mare Ionium labitur. *Æas.*] Variant Mss. Sed veram hanc esse lectionem, docent Strabo & Plin.

362. *Nec fortior undis, &c.*] Inachus pater Ius à Jove in vaccam mutatæ, mox sibi redditæ & in Ægyptum avectæ.

363. *Et tuus, Oeneu.*] Archelous, cui desponsata fuerat Deianira filia OEnei: sed Herculi victori nupta.

364. *Craßis oblimat Echinadas undis.*] Turbidus exit, limoque auget Echinadas insulas ostio suo, ante Ætoliam, objectas.

365. *Et Meleagream, &c.*] Et Euenos fluv. (juxta quem Nessus Centaurus ab Herc. quod Deianeiræ vim inferre conatus esset, cæsus fuit) per Calydoniam Meleagro olim regnatam labitur.

366. *Ferit amne, &c.*] Sperchius in Maliacum sinum exit.

367. *Et flumine puro.*] Ad Amphrysum fluv. Apollo Admeti armenta pavit.

369. *Quiq, nec humentes, &c.*] Thessaliæ fluv. nullas auras aut nebulas exhalans. quod & nomen indicat. Sed vide Turnebum lib. 3. Adv. cap. 2.

371. *Pelago per se non cognitus.*] Hoc est, qui nomen suum secum non defert in mare, sed Peneo, in ipso cursu miscetur. Alii legunt: *per se jam cognitus.* Hortens.

372. *It gurgite rapto, &c.*] Enipeus (inquit Strabo) accipit Apidanum. & juncti concitatiore cursu fluunt. Apollon. 1. Arg. Ovid. vero 1. Metam. *Irrequietus Enipeus, Apidanusque senex.*

374. *Accipit Asopos cursus.*] Asopos recepto Phœnice fluv. juxta Thermopylas in mare exit. Strab. 9. *Melasque.*] Thess. fluvius.

375. *Solus in alterius, &c.*] In Peneum incidit, neque tamen illius undis admi-

Defendit Titaresus aquas, lapsusque supernè
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem,
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
380 *Nolle pati, superumque sibi servare timorem.*
Ut primùm emissis patuerunt amnibus arva,
Pinguis Bœbicio discessit vomere sulcus:
Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum.
Æolidæ, Dolopesque solum fregêre coloni,
385 *Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis.*
Illic semiferos Ixionidas Centauros
Fœta Pelethroniis nubes effudit in antris.
Aspera te Pholoës frangentem Monyche saxa,

Teque

admiscetur. vult exprimere illud Homeri β. Οὐ δ' ὅγε πλωτῷ συμμείσγε δόρυ φόνῳ, Ἀλλά τό μιν κεφαλόπηθεν ἐπῤῥέῃ πότ' ἴλαιον, Ὄρκια γὰρ δεινῶν συγχεῖ ὑδωρ ὃς ἐπιορκῇ.

376. *Lapsusque superne.*] Superne innatat.

377. *Pro siccis arvis.*] Pro alveo.

378. *Hunc fama est.*] Describit Titaresum ab ejus origine, & fontibus, & natura; quod cum ex sacratis undis Stygis scaturiat, nolit vili fluvio commisceri, nec ab eo labefactari. *Hortensius. Stygiis manare, &c.*] Ita Homerus. verum è Citario monte oritur.

379. *Capitis memorem.*] Originis suæ è Styge. *Fluvii contagia vilis.*] Penei, quem influit.

380. *Timorem.*] Religionem jurisjurandi. namque Stygis *Dii juraré timent & fallere numen.* Virgilius Æneid. 6. ὅστις μέγας Ὅρκος, δεινότατος τε πέλει μακαρέσσι θεοῖσι. Iliad. 15. vide quæ nos ad Senec. Herc. Fu. ℣. 711.

381. *Ut primum, &c.*] *Thessaliæ incolas enumerat.*

382. *Bœbicio.*] Rescribe *Bebrycio* cum Mss. *Grot. Bœbicio.*] Alii, *Bœbiaco.* à Bœbe opp. Thess.

383. *Lelegum, &c.*] Thessaliæ opp. Plin. lib. 4. cap. 7. & Strab. lib. 7.

384. *Æolidæ.*] Thessali antiqui ab Æolo, Hellenis F. Sed & omnes Græci extra Isthmum præter Athenienses & Megarenses dicti erant diu Æoles. *Dolopesque solum, &c.*] Ætolorum pop. qui Magnesiam commigrarunt.

385. *Magnetes equis.*] Penei fluv. & Pelii montis accolæ equorum domitores optimi, ut & Centauri vicini. *Minyæ gens.*] Comites Jasonis in expeditione Colchica. *Cognita remis.*] Expeditione Argonautica.

386. *Semiferos Ixionidas, &c.*] Centauros Pelii montis accolas, quos ex nube sibi pro Junone à Jove supposita genuisse Ixion fingitur, forma superne humana, inferne equina: cum enim primi ab equis pugnarent, è longe biformes visi sunt, cum equi ora aquis immersa haberent. *Ixionidas.*] Ixionis filios & nepotes.

387. *Fœta nubes.*] Gravida Nephele, in antro Pelethronio. *Hortens. Pelethroniis.*] Pelethronium, mons Thess.

388. *Pholoës frangentem.*] Montis Arcadiæ. à Pholo centauro Herculis in Nemæum leonem proficiscentis hospite ibi

Teque sub Oetæo torquentem vertice vulsas
390 *Rhœce ferox, quas vix Boreas inverteret, ornos:*
Hospes & Alcidæ magni Phole: teque per amnem
Improbe Lernæas vector passure sagittas:
Teque senex Chiron, gelido qui sidere fulgens
Impetis Æmonio majorem Scorpion arcu.
395 *Hac tellure feri micuerunt semina Martis.*
Primus ab æquorea percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exiluit; primus chalybem, frænosque momordit,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.
400 *Prima fretum scindens Pagasæo littore pinus,*
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.
Primus Thessalicæ rector telluris Itonus

In

ibi sepulto. *Monyche saxa.*] Centaur. *quassos jaculetur Monychus ornos.* Juvenal. Sat. 1.

389. *Sub OEtæo, &c.*] Sub OEta monte, *evulsis truncis jaculator audax.*

392. *Improbe Lernæas, &c.*] Nesse, qui cum transvectæ à te Deianeiræ stuprum offerres, ab Hercule sagittis Hydræ Lernææ felle imbutis trajectus fuisti.

393. *Chiron.*] E Centauris justissime, qui in cœlum relatus, est Sagittarius. *Gelido qui sidere.*] A pedibus usque ad humeros in hyemali circulo collocatus: unde à poëta *gelido sidere fulgere* dicitur. Caput ejus solum extrà cum circulum apparere videtur. *Hortens.*

394. *Impetis Æmonio.*] Thessalico arcu videris petere præcedentem Scorpion. *Majorem Scorpion arcu.*] Occupantem duorum διδύμων ἡμιμορίων spatium.

395. *Hac tellure.*] *Ad inventa jam Thessaliæ transit. Feri micuerunt, &c.*] Thessali, pugnæ ex equis, frænorum & ephippiæ inventores erant, invicta manus & bello nata.

396. *Primus ab æquorea, &c.*] Hic percussa tridente petra Neptunus produxit bellatorem equum. cui nomen Scyphius. Pindari interp. in 4. Pyth. Non hic agitur de certamine Palladis & Neptuni, quod in Attica habitum fuit.

398. *Primus chalybem, &c.*] *Fræna Pelethronii Lapithæ, &c.* Virgilius 3. Georg.

400. *Prima fretum scindens.*] Lib. 3. ✱ſ. 193. *Pagasæo littore.*] E Pagaso Thessaliæ oppido, Argonautæ solventes, petebant Colchos. vide lib. 2. ✱ſ. 715.

401. *Terrenum hominem.*] Jasonem cum magna Argonautarum manu in undas projectum, hoc est, mare ingressum primum miratur ex Thessalia. *Hortensius.*

402. *Primus Thessaliæ, &c.*] Hic primum Itonus Thessaliæ rex Deucalionis F. invenit rationem conflandi æris, argenti & auri, signandæque monetæ. *Itonus.*] Ms. R. A. & T. *Ionus.* Alius *Hyonas.* Nomen hoc alibi adhuc quæro. *Grotius.*

403. *In*

Digitized by Google

In formam calidæ percuſsit pondera maſſæ,
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
405 *Fregit, & immenſis coxit fornacibus æra.*
Illic, quod populos ſcelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum eſt. hinc maxima ſerpens
Deſcendit Python, Cyrrhæaque fluxit in antra:
Unde & Theſſalicæ veniunt ad Pythia laurus.
410 *Impius hinc prolem ſuperis immiſit Aloeus,*
Inſeruit celſis propè ſe cùm Pelion aſtris,
Sideribuſque vias incumbens abſtulit Oſſa.
Hac ubi damnata fatis tellure locarunt
Caſtra duces; cunctos belli præſaga futuri
415 *Mens agitat, ſummique gravem diſcriminis horam*
Adventare palam eſt. propius jam fata moveri
Degeneres trepidant animi, pejoraque verſant.

Ad

403. *In formam percuſsit.*] Signavit in monetam. *Sulpit.*

406. *Illic, &c.*] Ibi primum nummi omnis ſceleris, ipſiuſque belli nefarii irritamenta.

407. *Hinc maxima ſerpens, &c.*] In Theſſalia ſerpens ille πύθων è putredine poſt diluvium natus eſt, quem Apollo interfecit, cujus corio tripus Delphicus contectus eſt, inque illius ſerpentis cæſi memoriam inſtituta Pythia certamina, quorum præmium laurus.

408. *Cyrrhæaq; fluxit in antra.*] Delphica. Cirrha opp. Phocidis haud procul à Delphis.

409. *Ad Pythia.*] Certamina, quorum præmium laurus. *Grotius.*

410. *Impius hinc prolem, &c.*] Hic Iphimedia uxor Aloei à Neptuno compreſſa peperit Otum & Ephialten, qui nonum ætatis annum ingreſſi, novem ulnas longi erant, & gigantibus contra Jovem opem ferentes, Pelio, quod per ſe prope contingit aſtra, impoſuere Oſſan, quæ cœli orbes ne volverentur impedit. *Prolem.*] Otum & Ephialten, gemellos fratres, qui ab Aloëo, *Aloïdæ* dicti fuerunt. Hi cum auxilium gigantibus ſuperis bellum facientibus ferrent, Apollinis & Dianæ ſagittis confecti fuere. Virg. VI. Æneid.

Hic & Aloïdas geminos immania vidi
Corpora, &c.
Hortenſ.

411. *Inſeruit celſis, &c.*] Ubi Pelion, inquit, propemodum ad cælum uſque vertice ſuo perveniret, Oſſa Pelio impoſita continuit orbes cæli ne verterentur, & ſtellæ vias ſuas curerent, & meatum naturalem retinerent. *Hort.*

413. *Damnata fatis.*] Deſtinata bello civili.

414. *Cunctos belli, &c.*] Omnes inter ſpemque metumque ſoliciti, exitum dubii expectant.

416. *Palam eſt.*] Certò enim conſtabat inſtare prælium, neque diu futurum, quin in pugnam deſcenderetur, atque de ſumma rei omnibus utrinque copiis dimicaretur. *Hortenſ.*

417. *Degeneres trepidant animi.*] *Degeneres animus timor arguit*, plerisque prona eſt

Digitized by Google

Ad dubios pauci præsumto robore casus
Spemque metumque ferunt: Turba sed mistus inerti
420 *Sextus erat, Magno proles indigna parente,*
Qui mox Scylleis exul grassatus in undis,
Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.
Qui stimulante metu fati prænoscere cursus,
Impatiensque moræ, venturisque omnibus æger;
425 *Non tripodas Deli, non Pythia consulit antra,*
Nec quæsisse libet, primis quid frugibus alerix
Ore Jovis Dodona sonet, quis noscere fibra
Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura cœli
Servet & Assyria scrutetur sidera cura,
430 *Aut si quid tacitum, sed fas, erat. ille supernis*
Detestanda Deis sævorum arcana Magorum
Moverat, & tristeis sacris feralibus aras,

Um-

ma est timori in pejus fides; pauci præsidenti animo meliora sperant.

418. *Ad dubios pauci, &c.*] Paucos fuisse dicit, qui benè de eventu futuræ pugnæ ominarentur. *Hortens.*

419. *Turba sed mistus, &c.*] Sextus Pompeji F. à patris virtutibus degenerans, cum ignava & pusilanima plebe timet; solicitatque artes magicas ad præcognoscendum belli eventum.

421. *Qui mox Scylleis, &c.*] Qui postea elapsus clade ad Mundam, piraticam exercuit in mari Siculo, & cum dedecore traduxit patris de piratis profligatis triumphos.

424. *Venturisq; omnibus æger.*] Pusilanimus ad bonam futurorum spem æger, *solaque libidine fortis.* Juven. Sat. 4.

425. *Non tripodas Deli, non Pythia consulit, &c. Assyria scrutetur, &c. ille supernis, &c.*] Neque tamen consulit divinationum honestiora genera, non Apollinis oraculum in Delo inf. De tripode dictum ad ✠f. 81. lib. 1. non oraculum Delphicum. de quo dictum lib. 5. ✠f. 71. & deinceps: non oraculum Jovis à columba seu muliere redditum è quercu Dodonæ in Chaonio Epiri nemore. *Herodot. Euterpe.* quæ sylva glande nobilis erat, qua vescebantur primi homines ante inventas fruges; non extispicia per fibras victimarum; non auspicia per aves oscines & præpetes; non auguria per tonitrua, fulmina, fulgetra: non Astrologiam, qua claruerunt Chaldæi Assyriæ pop. aut si qua alia divinatio tacita erat, sed licita: sed ille solicitabat, sacra magica, infernis, diis superis detestata: persuasumque habebat reddi à manibus Dæmoniisque per Necromantiam ea quæ Dii aut nescirent, aut præsciri nollent.

432. *Moverat.*] Ita rescripsi pro *Noverat.* Non enim vult Sexto cognitas artes magicas: sed implorasse illum τλιὸ νεκυομαντεῖον, ut omnibus aliis divinationibus certiorem. *Grotius.* *& tristes sacris feralibus.*] Moverat item aras umbrarum, horrorem facientes infernalibus suis & diris sacris, quibus mortui evocentur. Et *fidem* etiam *Ditis*, id est, Plutonis. *Miseroque* persuasum

Umbrarum, Ditisque fidem: miseroque liquebat
Scire parum Superos. vanum, sævumque furorem
435 Adjuvat ipse locus, vicinaque mœnia castris
Hæmonidum, ficti quas nulla licentia monstri
Transierat, quarum, quicquid non creditur, ars est.
Thessala quinetiam tellus herbasque nocenteis
Rupibus ingenuit, sensuraque saxa canentes
440 Arcanum ferale Magos. ibi plurima surgunt
Vim factura Deis. & terris hospita Colchis
Legit in Hæmoniis, quas non advexerat, herbas.
Impia tot populis, tot surdas gentibus aures
Cœlicolûm, diræ convertunt carmina gentis.
445 Una per æthereos exit vox illa recessus,
Verbaque ad invitum perfert cogentia numen,
Quod non cura poli, cœlique volubilis unquam

Avo-

sum erat, parvam admodum esse oraculorum fidem in Superis, & proinde nihil certi ab iis se accepturum. *Hortens.*

434. *Furorem*, *&c.*] Cupiditatem explorandi futura.

435. *Ipse locus.*] Thessalia, in qua multæ veneficæ. *Vicinaque mœnia, &c.*] Pharsalicis campis vicinæ urbes Thessalorum mul. veneficiis atque incantationis famosarum.

436. *Ficti quas nulla, &c.*] Quarum artium nihil tam licenter fingitur, quod non superet. Simile illud Claudiani:

—— *sed quamvis variis miracula monstris*
Inventisent tenueras vincturi carmine mentes,
Nil varia æquale dabant.
Grotius.

437. *Quarum, &c.*] Quarum artes incredibilia efficiunt, superantque fidem.

439. *Sensuraque saxa, &c.*] Et saxa quæ sentiant sagarum incantamenta. *Vivaque saxa sua, &c.* Medea Ovid. 7. Metam.

440. *Ibi plurima, &c.*] Nascuntur plurima quæ à Diis coactis extorqueant, quæ velint veneficæ; mox ✠ l. 446.

441. *Terris hospita Colchis.*] Medea è Colchis huc ab Jasone advecta colligebat hic herbas potentiores quam quas ipse à Ponto secum advexerat.

443. *Impia tot populis*, *&c.*] Deos minus audientes vota tot gentium & populorum, carmina Thessalidum sagarum flectunt, imo cogunt, penetrant quippe cœli penetralia. *Quibus obaudiunt Manes, turbantur sidera, cogunturque numina, servitant elementa.* Apul. 3. Met.

445. *Una per æthereos exit vox*, *&c.*] Sola vox carminum veneficarum penetrat cœlos & ad Deorum aures pervenit, quas ferit ac cogit, defertque carmina earum ad Deos, quos vel nolentes compellit pro suo arbitratu. *Hort.*

446. *Verbaque ad invitum, &c.*] Attentionemque expetit, imo exprimit vox Thess. Diis hoc agentibus neque hinc avocatis aut vacantibus gubernationi cœli & orbium.

447. *Quod non cura Poli*, *&c.*] Hoc est,

Avocat. infandum tetigit cùm sidera murmur,
Tunc Babylon Persea licet, secretaque Memphis
450 *Omne vetustorum solvat penetrale Magorum:*
Abducit superos alienis Thessalis aris.
Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor: flammisque severi
Illicitis arsere senes. nec noxia tantum
455 *Pocula perficiunt, aut cùm turgentia succo*
Frontis amaturæ subducunt pignora fetæ.
Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit. quos non concordia misti
Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ,
460 *Traxerunt torti magica vertigine fili.*
Cessavere vices rerum: dilataque longa
Hæsit nocte dies: legi non paruit æther.

Ter-

est, quod numen nunquam avocatur à cura gubernandi cæli & orbium cælestium; tamen viribus carminum Magicorum avertitur. *Hortens.*

448. *Infandum tetigit, &c.*] Ubi istæ incantationes solicitant Deos, non Chaldæi Astrologi, non sacerdotes Ægyptii (etiamsi omnes artes effundant, omnia sacra magica parent) morantur Deos, quo minus toti vacent Thessalicis sagis.

449. *Persea licet, &c.*] Assyriæ urbs, Chaldæis primo, inde Persis subdito; à Cyro sc. capta. *Memphis.*] Ægyptus.

451. *Abducit.*] Removet ab alienis sacris, & cogit sibi parere. *Sulpit. Thessalis aris.*] Mulier Thessala.

453. *Non fatis adductus amor.*] Non naturalis, sed vi veneficiorum immissus. Virgil. *Hæc se carminibus promittit solvere mentes Quas velit, ast aliis duras immittere curas.* Sulpit. *Non fatis, &c.*] Naturæ, ætati, votisque diversus amor.

454. *Nec noxia tantum, &c.*] Et plus ad amorem conciliandum valent carmina, quam philtra, quam hippomanes *nascenti equi de fronte revulsus, Et matri præreptus amor.* Virg. Æneid. 4. & Plin. lib. 8. cap. 42.

455. *Pocula perficiunt.*] Neque hoc præstant venena, sed sola carmina. *Grotius.*

456. *Amaturæ subducunt pignora fetæ.*] Catunculam hanc in fronte recens nati pulli, si quis prætripuerit equæ quæ peperit, mater non admittit fœtum ad ubera. pignus itaque amoris appellat.

457. *Mens hausti nulla, &c.*] Carmina dementant sæpe & in furorem vertunt, etiam citra pocula veneni haustra.

458. *Quos non concordia misti, &c.*] Quos non amor conjugalis, non forma devinxit: traxit in amorem rhombus, vertigo magica, girgillo, cui filum involvitur: traxere licia incantata & nominibus eorum quos cogere volebant veneficæ, nexa, *Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo.* & mox: *Nocte tribus nodis ternos, &c. Veneris dic vincula necto.* Virg. Ecl. 8.

461. *Cessavere vices rerum.*] Vicissitudines rerum è lege naturæ; ut noctis & diei,

Torpuit & præceps audito carmine mundus:
Axibus & rapidis impulsos Juppiter urgens
465 *Miratur non ire polos. nunc omnia complent*
Imbribus, & calido producunt nubila Phœbo:
Et tonat ignaro cœlum Jove. vocibus iisdem
Humentes latè nebulas, nimbosque solutis
Excussêre comis. ventis cessantibus, æquor
470 *Intumuit: rursus vetitum sentire procellas*
Conticuit turbante Noto: puppimque ferentes
In ventum tumuêre sinus. de rupe pependit
Abscissa fixus torrens: amnisque cucurrit
Non quà pronus erat. Nilum non extulit æstas:
475 *Mæander direxit aquas: Rhodanumque morantem*
Præcipitavit Arar: submisso vertice montes
Explicuêre jugum. nubes suspexit Olympus:

Soli-

diei, tempestatum anni, torpente carminibus cœlo nec revoluto. Saga, inquit Apulejus 1. Met. potens cœlum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, Deos infirmare, sidera extinguere, Tartarum ipsum illuminare.

463. *Torpuit.*] Non volvit se.

465. *Nunc omnia, &c.*] Splendente sole omnia pluviis mergunt veneficæ istæ. *Et evocavi nubibus fixis aquas.* Med. Sen.

467. *Et tonat ignaro cœlum Jove.*] Inscio Jove, sereno tonat æthere. *Vocibus iisdem, &c.*] His carminibus fretæ veneficæ, sacris nefandis operatæ, pedibus nudis passoque capillo vagantes nebulas inducunt aut fugant. *nubila pello, Nubilaque induco.*

469. *Ventis cessantibus, &c.*] *Sonuere fluctus, tumuit insanum mare Tacente vento.* Sen. Med. *concussaque sisto Stantia concutio cantu freta, &c. ventos abigoque, vocoque*, Ovid. Med. 7. Metam. Apul. 1. Met.

471. *Turbante Noto.*] In tempestate malaciam faciunt: in sereno iratum mare. *Grotius.*

472. *In ventum tumuere sinus.*] Contra ventum adversum plenis velis feruntur naves. *De rupe pependit, &c.*] De rupe proclivi præceps torrens sistitur. *Sistere aquam fluviis.* Virg. 4. Æneid.

473. *Amnisque cucurrit, &c.*] *Ripis morantibus, amnes In fontes redire suos.* Ovid. 7. Met.

474. *Nilum non extulit æstas.*] Nilus in æstivo solstitio solitus inundatione Ægyptum rigare, carminibus inhibetur neque excrescit.

475. *Mæander direxit aquas.*] Mæander fluv. alias sinuosus l. 3. ✠ f. 208. arte magica recto fertur cursu. *Rhodanumq; morantem, &c.*] Arar leni alioqui agmine præcipitat se in Rhodanum, qui rapidissimus alias, magico carmine tardatur lib. 1. ✠ f. 434.

476. *Submisso vertice, &c.*] Demisso in planum vertice descendunt montes campis æquati.

477. *Nubes suspexit Olympus.*] Olympus mons Macedoniæ, nubes cacumi-

Digitized by Google

Solibus & nullis Scythicæ, cùm bruma rigeret,
Dimaduêre nives. impulsam sidere Tethyn
480 *Reppulit Hæmonidum, defenso littore, carmen.*
Terra quoque immoti concussit ponderis axem,
Et medium vergens nisu titubavit in orbem.
Tantæ molis onus percussum voce recessit,
Prospectumque dedit circumlabentis Olympi.
485 *Omne potens animal leti, genitumque nocere,*
Et pavet Hæmonias, & mortibus instruit arteis.
Has avidæ tigres, & nobilis ira leonum
Ore fovent blando: gelidos his explicat orbes,
Inque pruinoso coluber distenditur arvo.
490 *Viperei coëunt, abrupto corpore, nodi:*
Humanoque cadit serpens afflata veneno.
Quis labor hic superis, tantus herbasque sequendi,
Spernendique timor? cujus commercia pacti
Obstrictos habuêre Deos? parêre necesse est,
495 *An juvat? ignota tantum pietate merentur?*

An

ne superans, demissus arte magica videt nubes se altiores.

478. *Solibus & nullis Scythicæ.*] Media bruma, è montibus Scythiæ nullo sole illustratis solutæ defluunt nives.

479. *Impulsam sidere Tethyn.*] Mare luna & sideribus tempestuosis Arcturo, Orione, Suculis orientibus sævire solitum, carminibus Thess. inhibetur & à litore arcetur.

481. *Terra quoque immoti, &c.*] Terræ motu intremuit axis: terrarum vero orbis subsidens & medio loco dimotus, mutuum supero atque infero cœlo conspectum dedit. permisitque unius loci incolis totius cœli prospectum.

484. *Prospectumque dedit.*] Terra in medio obstans vetat uno in loco videri supera cœli atque infera: quæ simul appareant, si illam è medio dimoveris. *Grotius.*

485. *Omne potens, &c.*] Omne serpentum genus utcunque noxium & lethiferum, timet tamen magica carmina, quibus incantatum, sopitum, ruptumque, à veneficis ad malas artes adhibetur. *Serpens, quærens quibus Mortifera veniat, carmine audito stupet.* Sen.

488. *Ore fovent blando.*] Insontes & innocuæ lambunt.

490. *Viperei coëunt.*] Vipera in partes concisa carminibus harum restituta coit.

491. *Humanoque, &c.*] Afflatu veneficæ rumpitur serpens.

492. *Quis labor, &c.*] Quærit cum admiratione atque indignatione poëta, unde veneficæ tantum apud Deos valeant, utrum ex pacto & sponte sua; an necessario & vi coacti exaudiant ipsarum carmina & veneficiis earum obnoxii velint nolintque, quod illæ petunt.

495. *Ignota tantum, &c.*] Nescio quæ; quam nemo novit mortalium. *Ironice.*

496. *Hoc*

Digitized by Google

An tacitis valuêre minis? hoc juris in omneis
Est illis superos? an habent hæc carmina certum
Imperiosa Deum, qui mundum cogere, quicquid
Cogitur ipse, potest? illis & sidera primùm
500 *Præcipiti deducta polo: Phœbeque serena*
Non aliter diris verborum obsessa venenis
Palluit, & nigris, terrenisque ignibus arsit,
Quàm si fraterna prohiberet imagine tellus,
Insereretque suas flammis cœlestibus umbras.
505 *Et patitur tantos cantu depressa labores*
Donec suppositas propior despumet in herbas.
Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis.
Effera damnârat nimiæ pietatis Erichtho,
Inque novos ritus pollutam duxerat artem.
510 *Illi namque nefas urbis submittere tecto*
Aut laribus ferale caput: desertaque busta
Incolit, & tumulos expulsis obtinet Umbris,
Grata Deis Erebi. cœtus audire silentum,

Nosse

496. *Hoc juris in omneis, &c.*] Utrum jus hoc & imperium habent in omnes deos? an unum certum?

499. *Illis & sidera, &c.*] *Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi.* Tibul.

500. *Phœbeque serena, &c.*] Et clara luna incantata expalluit turbida luce & terrena, non aliter atque ubi Eclipsim passa obscuratur interposita sibi Solique terra. *Facie livida mœsta, cum Thessalicis Vexata minis, cœlum freno Propiore legit.*

503. *Fraterna prohiberet imagine tellus.*] Solis illustratione.

505. *Deprensa labores, &c.*] Lectionem hanc prætulit olim H. Grot. Ego prætulerim vulgatam: *depressa*, ut habent optimi Mss. hoc est, tracta carmine, rhombo deducta, quo propior herbas sua saliva & spuma inficiat. *Quamvis Athracio lunam spumare venenis Scires.* Val. Flac. 6. Arg. *Lunam despumari, stellas evelli, diem tolli noctem teneri, &c.* Apul. Metam. 1.

507. *Gentis.*] Thessalidum cæterarum.

508. *Damnarat nimiæ pietatis.*] Improbat, rejicit, contemnit tanquam nimium in se haberent pietatis. sic lib. 8. v. 407. *Damnæ apud gentes sceleris, &c. Erichtho.*] Nomen veneficæ sumptum ex Ovid. epist. Sapphus; *ut quam furialis Erichtho Impulit.* Maga (ut ait Apulejus lib. 2. Met. de Pamphile) primi nominis, & omnis carminis sepulchralis magistra, quæ omnem istam lucem mundi sideralis in ima Tartara & in vetustum chaos mergit.

509. *Artem.*] Necromantiam scil.

510. *Illi namque nefas, &c.*] Neque enim urbes aut tecta subibat; sed sepulchra.

513. *Cœtus audire silentum.*] Illa sciebat jura inferorum abdita & operta

Digitized by Google

Nosse domos Stygias, arcanaque Ditis operti
515 *Non Superi, non vita vetat. tenet ora profanæ*
Fœda situ macies, cœloque ignota sereno.
Terribilis Stygio facies pallore gravatur,
Impexis onerata comis. si nimbus, & atræ
Sidera subducunt nubes, tunc Thessala nudis
520 *Egreditur bustis, nocturnaque fulgura captat.*
Semina fœcundæ segetis calcata perussit,
Et non letiferas spirando perdidit auras.
Nec superos orat, nec cantu supplice numen
Auxiliare vocat, nec fibras illa litanteis
525 *Novit: funereas aris imponere flammas*
Gaudet, & accenso rapuit quæ tura sepulcro.
Omne nefas Superi prima jam voce precantis
Concedunt, carmenque timent audire secundum.
Viventes animas, & adhuc sua membra regentes,
530 *Infodit busto: fatis debentibus annos*
Mors invita subit: perversa funera pompa

Ret-

terris, *res altas terra & caligine mersas*, quæ viventibus nosse nefas.

515. *Non vita vetat.*] Vivis enim illa nosse non licet. *Sulp.* *Profanæ.*] Erichthus.

516. *Cœloque ignota sereno.*] De die aut serena luce non uspiam visa.

517. *Stygio.*] Tristi, infernali.

519. *Sidera subducunt nubes.*] Obscurant Solem, Lunam, stellas. *Nudis.*] Vacuis quibus umbras expulerat. modo vſ. 5. 10. *vel* per Hypallagen, ipsa nuda.

520. *Nocturnaque fulgura captat.*] Divinationem ex ignibus nocturnis.

521. *Semina fœcundæ, &c.*] *Quacunque ingreditur, florentia proterit arva, Exuritque herbas.*

522. *Et non letiferas, &c.*] *Afflatuque suo populi urbesque, domosque Pollnit.*

524. *Litanteis.*] Quibus dii placantur.

525. *Funereas aris imponere, &c.*] Sacris operari infernis, quæ accendebantur igne tantum é rogis rapto.

527. *Precantis.*] Hujus veneficæ.

528. *Carmenque timent, &c.*] Horrent quippe repetitam excantationem.

529. *Viventes animas, &c.*] Eos, quibus fata diuturnioris vitæ usuram erant largitura, illa interficit. Epod. 5. Horat. de Canidia.

531. *Perversa pompa.*] Quia in funere vestis pervertitur & mutatur. *Dorleans.* *Perversa funera pompa, &c.*] A sepulchris, præpostero pompæ ritu Erichtho refert cadavera defunctorum, quos ad vitam revocat, in necyomantiæ usum. *Sed & bustis & rogis reliquiæ quædam, & cadaverum præsegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur.* Apul. 2. Met.

532. *Le-*

Digitized by Google

Rettulit à tumulis: fugêre cadavera letum.
Fumantes juvenum cineres, ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsamque, parentes
535 *Quam tenuêre, facem: nigroque volantia fumo*
Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes
Colligit in cineres, & olentes membra favillas.
Ast ubi servantur saxis, quibus intimus humor
Ducitur, & tracta durescunt tabe medullæ
540 *Corpora; tunc omneis avidè desævit in artus,*
Immersitque manus oculis: gaudetque gelatos
Effodisse orbes: & sicca pallida rodit
Excrementa manus: laqueum, nodosque nocenteis
Ore suo rupit: pendentia corpora carpsit,
545 *Abrasitque cruces: percussaque viscera nimbis*
Vulsit, & incoctas admisso sole medullas.
Insertum manibus chalybem, nigramque per artus
Stillantis tabi saniem, virusque coactum
Sustulit, & nervo morsus retinente pependit.

Et

532. *Letum.*] Alii leg. *lectum.* scil. funebrem.

533. *Fumantes juvenum, &c.*] Efficaciora scil. futura in suis veneficiis omnia, quod *fumantes*, quod *juvenum*, quod *ardentia*, quod *ipsis parentibus præreptam*, parentes autem filiorum rogum face accendebant.

536. *Feralis tori.*] Vel thorum feralem ipsam pyram vocat, in qua tanquam in thoro, mortuus imponebatur. *Hortens. Feralis fragmenta tori.*] Feretri, vestium, & membrorum reliquias semiustas.

538. *Ast ubi servantur saxis.*] Quod si quando incidat in corpora non cremata, sed Orientalium more, condita. *Humor Ducitur.*] Temperaturæ ille humor putrescens à calore ambientis educitur; quod in corruptione fit, *vel*, sanies aromatis elicitur.

539. *Ducitur.*] Educitur. *Tracta durescunt, &c.*] Extracta sanie, *vel*, per siccitatem contracta & arescente.

542. *Orbes.*] Oculos, vel sinus, in quibus oculi, ut supra ℣ſ. 216.

543. *Excrementa manus.*] Ungium sordes & præsegmina. *Hic irrescictum sæva dente livido Canidia rodens pollicem.* Hor. 5. epod. *Nocenteis.*] Alii leg. *nocentis*, hoc est, strangulati, suspensi.

545. *Cruces.*] Saniem è crucibus. *Percussaque, &c.*] Madefacta nimbis & pluvia.

546. *Incoctas.*] Induratas.

547. *Insertum manibus, &c.*] Clavos ferreos, quibus fixi, qui in cruce pendebant, quod est σφηνάλωτος. Joh. 20. 25. *Hic nares & digiti, illic carnosi clavi pendentium, alibi trucidatorum servatus cruor, &c.* Apul. 2. Met. Cathenas, manicas. infra ℣ſ. 797.

548. *Coactum.*] Collectum, congelatum.

549. *Nervo morsus retinente pependit.*]

550 *Et quacunque jacet nudum tellure cadaver,*
Ante feras, volucresque sedet: nec carpere membra
Vult ferro, manibusque suis, morsusque luporum
Expectat, siccis raptura è faucibus artus.
Nec cessant à cæde manus, si sanguine vivo
555 *Est opus, erumpat jugulo qui primus aperto.*
Nec refugit cædes, vivum si sacra cruorem,
Extaque funereæ poscunt trepidantia mensæ:
Vulnere sic ventris, non, quà Natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.
560 *Et quoties sævis opus est, ac fortibus umbris,*
Ipsa facit manes: hominum mors omnis in usu est.
Illa genæ florem primævo corpore vulsit,
Illa comam læva morienti abscidit ephebo.
Sæpe etiam caris cognato in funere dira
565 *Thessalis incubuit membris: atque oscula fingens,*
Truncavitque caput, compressaque dentibus ora

Laxa-

Mordicus pependit studio avellendi, sicubi nervus retineret quod illa dentibus corripuerat.

550. *Et quacunque jacet, &c.*] Ita emendavimus pro *quodcunque*. Ubicunque cadaver est, ibi ipsa ante vultures. *Grotius.*

551. *Ante feras.*] Antevertit feras & alites.

552. *Morsusque luporum, &c.*] Sed expectat morsu lup. ad majorem in veneficiis efficaciam. *Et ossa ab ore rapta jejunæ canis.* Epod. 5. Hor. *Et extorta dentibus ferarum trunca calvaria.* Apul. 3. Met.

554. *Nec cessant, &c.*] Neque cædi abstinet, si quando opus sit ad funesta sacra sanguine recens emisso, aut extis adhuc palpitantibus.

556. *Nec refugit cædes.*] Hic versus cum sequente deest in Ms. P. Forte & hoc ex emendatione Lucani, aut Argentariæ Pollæ. *Grotius.*

558. *Vulnere sic ventris.*] Per vulnus extrahit utero partum, quem aris imponat.

560. *Et quoties sævis opus est.*] Ubi opus est cruentis umbris; ibi ipsa interficit aliquem, cujus manes suscitet.

561. *Hominum mors, &c.*] Ad alia facinora alia utitur morte, cujusque ætatis: modo ephebi comas posituri, modo adolescentis primævo in flore juventæ.

562. *Florem primævo, &c.*] Lanuginem efflorescentem.

564. *Sæpe etiam caris, &c.*] Sæpe sub prætextu extremi osculi (de quo vide quæ ad ✠ſ. 710. lib. 3.) cognatis morientibus caput aliqua parte imminuit, præmordit linguam, insusurravit mandatum ad inferos. *Sagæ istæ ora mortuorum demorsicant: eaque sunt illis artis magicæ supplementa.* Apul. 2. Met.

565. *Thessalis.*] Erichtho. *Fingens.*] Alii *figens.*

567. *Laxa-*

Digitized by Google

Laxavit: siccoque hærentem gutture linguam
Præmordens, gelidis infudit murmura labris,
Arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras.
570 *Hanc ut fama loci Pompejo prodidit: alta*
Nocte poli, Titan medium quo tempore ducit
Sub nostra tellure diem: deserta per arva
Carpit iter. fidi scelerum, suetique ministri
Effractos circum tumulos, ac busta vagati
575 *Conspexêre procul prærupta in caute sedentem,*
Qua juga devexus Pharsalica porrigit Æmus.
Illa Magis, magicisque Deis incognita verba
Tentabat, carmenque novos fingebat in usus.
Namque timens, ne Mars alium vagus iret in orbem,
580 *Emathis & tellus tam multa cæde careret;*
Pollutos cantu, dirisque venefica succis
Conspersos, vetuit transmittere bella Philippos,
Tot mortes habitura suas, usuraque mundi
Sanguine: cæsorum truncare cadavera Regum
585 *Sperat, & Hesperiæ cineres avertere gentis,*
Ossaque nobilium, tantosque acquirere manes.

Hic

567. *Laxavit.*] Aperuit.

568. *Gelidis infudit murmura, &c.*] Aliquid in ore mortui immurmuravit, quasi negotium aliquod perferendum ad inferos arcanum mandaret. *Hortens.*

570. *Hanc ut fama loci, &c.*] Tandem aliquando ad ipsam veneficam transit; tempus & locum, in quo eam offendit; tum etiam quid moliretur refert. *Hortens. Pompejo.*] Sexto, Pompeji F. *Alta nocte.*] Concubia, media nocte qua Sol meridianus versatur apud Antipodas.

573. *Ministri.*] Famuli Sexti Pompeji.

575. *Sedentem.*] Veneficam Erichtho.

576. *Porrigit.*] In planum extendit. *Æmus.*] Mons Thraciæ, qui nostro aliisque autoribus pro monte Thessaliæ usurpatur. uti dictum est ad ✠ſ. 680. l. 1.

577. *Illa Magis, &c.*] Illa solicita ne alio transferretur bellum civile, adeoque ipsa careret usu ac fructu tot cadaverum, meditabatur carmina & artes quibus retineret illud in Thessalia.

580. *Emathis.*] Thessalia.

582. *Transmittere bella.*] In alias terras transferre. *Philippos.*] Urbem Thraciæ. quæ tamen confunditur cum Pharsalo uti adnotatum est ad ✠ſ. 680. lib. 1.

583. *Tot mortes habitura suas.*] Cadaveribus & fuso hic multarum gentium sanguine ad sua veneficia usura.

584. *Regum.*] Pompejo auxilium ferentium, *vel* principum.

585. *Hesperiæ.*] Italæ.

586. *Tantosq; acquirere manes.*] Tantorum

Hic ardor, solusque labor, quid corpore Magni
Projecto rapiat, quos Cæsaris involet artus.
Quam prior affatur Pompeji ignava propago.
590 *O decus Hæmonidum, populis quæ pandere fata,*
Quæque suo ventura potes devertere cursu,
Te precor, ut certum liceat mihi noscere finem,
Quem belli fortuna paret. non ultima turbæ
Pars ego Romanæ, Magni clarissima proles;
595 *Vel dominus rerum, vel tanti funeris hæres.*
Mens dubiis percussa pavet, rursusque parata est
Certos ferre metus. hoc casibus eripe juris;
Ne subiti, cæcique ruant: vel numina torque,
Vel tu parce Deis, & Manibus exprime verum.
600 *Elysias resera sedes, ipsamque vocatam,*
Quos petat è nobis, Mortem tibi coge fateri.
Non humilis labor est: dignum, quod quærere cures,
Vel tibi, quò tanti præponderet alea fati.

Im-

torum heroum manes suæ potestati atque imperio subjicere.

587. *Hic ardor, &c.*] Jam dudum gessit ac spe fruitur, meditata, quæ Pompeji, quæ Cæsaris occisi rapiat membra.

589. *Pompeji.*] Supra ✠ſ. 420.

590. *O decus Hæmonidum, &c.*] Petitoria oratio Sexti Pompeji. Orditur à captatione benevolentiæ ac persona veneficæ, dum illi præscientiam rerum tribuit, & plura etiam quam homini tribui debeant. *Hortens.* *Decus Hæmonidum.*] Thessalarum celebertima. *Populis quæ pandere fata.*] Quæ futura præsciire, impedireque ne eveniant, potes. *Quid ars magica valeat efficere, vide quæ nos ad Senecæ Medeam*, ✠ſ. 753.

591. *Devertere.*] Duo illi maximè adscribit, fatorum præscientiam, & potestatem impediendi fata. *Hortens.*

595. *Vel dominus rerum.*] Si vicerit pater. *Vel tanti funeris.*] Si occubuerit pater. *Hæres.*] Erat tamen Pompeji fil. minor natu.

596. *Dubiis percussa pavet.*] Exitus incerta. *Rursusque parata est, &c.*] Parata utique omnes perferre casus, certi modo sint priusque explorati.

597. *Hoc casibus eripe juris.*] Tu casibus iis præripe hanc in me potestatem, ne improvisi ruant in me jam ante à te edoctum.

598. *Vel numina torque.*] Compelle superos & extorque ex illis rerum certitudinem: vel exprime verum ex aliquo Manium. *Hortens.*

599. *Manibus exprimere verum.*] Carminibus & veneficiis coge ut verum prædicant.

600. *Elysias resera sedes, &c.*] Aut mitte Deos; atque per Necromantiam evoca manes ex Elysiis campis. sive malis ipsam Mortem muneris sui præsciam. De Elysiis campis vide quæ nos ad Senecæ Troada. ✠ſ. 942.

603. *Vel tibi.*] *Emphatice.* *Quo tanti, &c.*] Quo se inclinet belli hujus fortuna & victoria.

604. *La-*

Digitized by Google

Impia lætatur vulgatæ nomine famæ
605 *Thessalis, & contra: Si fata minora moveres,*
Pronum erat, ô juvenis, quos velles (inquit) in actus
Invitos præbere Deos. conceditur arti,
Unam cùm radiis presserunt sidera mortem,
Inseruisse moras: &, quamvis fecerit omnis
610 *Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.*
At simul à prima descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia fata laborant
Si quicquam mutare velis, unoque sub ictu
Stat genus humanum: tunc, Thessala turba fatemur,
615 *Plus Fortuna potest. sed si prænoscere casus*
Contentus, faciles aditus, multique patebunt
Ad verum: tellus nobis, ætherque, chaosque,
Æquoraque, & campi, Rhodopeaque saxa loquentur.
Sed pronum, cùm tanta novæ sit copia mortis,

Ema-

604. *Lætatur vulgatæ, &c.*] Gaudet artis suæ & nominis gloria apud Romanos celebrata.

605. *Si fata minora moveres.*] Si unius cujuslibet aut singulorum fata vel proferri vel mutari posceres: hoc quidem in nostra potestate esset, valet quippe ars nostra seni jam morti ab omnibus sideribus destinato vitam prorogare: & contra, longæ vitæ addictum, in medio ætatis cursu tollere.

608. *Cum radiis presserunt.*] Id veneficio nostro donatur, ut quum constellatio alicujus præfixerit certum mortis momentum, eam extrahamus, contemptis omnibus sideribus. *Hortens. Presserunt.*] Constituerunt mortem alicui. *Sulpit.*

611. *At simul à prima, &c.*] Verum fata illa majora è serie & ordine causarum ab æterno disposita non est artis nostræ mutare; & plus in iis valet una Fortuna quam nostræ omnium Thessalarum artes.

612. *Omnia fata laborant.*] Omnia obstant & periclitantur. *Sulpit.*

613. *Unoque sub ictu.*] Periculo & casu.

615. *Sed si præn scere, &c.*] Sed ad eventus belli præscientiam expedita & multiplex nobis patet ratio.

617. *Tellus nobis.*] Geomantia; ex signis raptim in terra factis. *Ætherque.*] Acromantia ex avium volatu, ex ventis, & imbribus, *vel* Pyromantia; ex fulgure, fulmine & igne. *Chaosque.*] Necromantia, evocata ab inferis umbra. Chaos, hiatus & vorago æternæ noctis, id est, mortis. confusa rerum moles lib. 1. ✓ſ. 74.

618. *Æquoraque.*] Hydromantia; ex aqua. *Et campi, &c.*] Aruspicina, ex observatione extorum in victimis & pecudibus camporum & montium. *Rhodopeaque saxa.*] Rhodope Thraciæ mons est.

619. *Sed pronum, &c.*] Expeditissimam tamen omnium rationem copia

620 *Emathiis unum campis attollere corpus,*
Ut modò defuncti, tepidique cadaveris ora
Plena voce sonent: ne membris sole perustis
Auribus incertum feralis strideat umbra.
Dixerat: & noctis geminatis arte tenebris,
625 *Mœstum tecta caput squalenti nube, pererrat*
Corpora cæsorum, tumulis projecta negatis.
Continuò fugêre lupi, fugêre revulsis
Unguibus impasta volucres, dum Thessala vatem
Eligit, & gelidas leto scrutata medullas
630 *Pulmonis rigidi stantes sine vulnere fibras*
Invenit, & vocem defuncto in corpore quærit.
Fata peremtorum pendent jam multa virorum,
Quem superis revocasse velit. si tollere totas
Tentasset campis acies, & reddere bello:
635 *Cessissent leges Erebi, monstroque potenti*
Extractus Stygio populus pugnasset Averno.
Electum tandem trajecto gutture corpus
Ducit, & inserto laqueis feralibus unco,
Per scopulos miserum trahitur, per saxa cadaver
640 *Victurum: montisque cavi, quem tristis Erichtho*
Damnârat sacris, alta sub rupe locatur.
Haud procul à Ditis cæcis depressa cavernis

In

cadaverum in Thess. campis affert Necromantiam: quorum unius umbra excitanda est.

621. *Modo defuncti.*] E cujus recens cæsi ore distincta & liquida vox percipiatur.

624. *Arte tenebris.*] Incantatione.

626. *Tumulis, &c.*] Insepulta.

628. *Vatem.*] Cadaver vaticinio aptum.

629. *Gelidas leto, &c.*] Explorans cui sint integerrima vocis organa.

632. *Fata peremtorum, &c.*] Incertum est, quis è tanta cadaverum strue in vitam sit revocandus.

634. *Tentasset campis acies.*] Quod si tentasset omnes cæsos vitæ & prælio restituere: oportuit inferorum leges de suo jure cedere: nec citra naturæ dedecus, potensque prodigium, tot vitæ restituti in pugnam rediissent.

637. *Trajecto gutture.*] Cujus guttur ipsa unco trajecerat. *Grotius.*

640. *Victurum.*] In vitam rediturum.

641. *Damnarat sacris.*] Damnatum destinarat magicis sacris.

642. *Haud procul, &c.*] Specus dehiscentis in præceps ad Tartarum prope profundæ, sylva taxea opacæ, unde evocanda

Digitized by Google

In præceps subsedit humus: quam pallida pronis
Urget silva comis, & nullo vertice cœlum
645 *Suspiciens, Phœbo non pervia taxus opacat.*
Marcentes intus tenebræ, pallensque sub antris
Longa nocte situs, nunquam, nisi carmine factum,
Lumen habet. non Tænareis sic faucibus aër
Sedit iners, mœstum mundi confine latentis,
650 *Ac nostri: quò non metuunt emittere manes*
Tartarei reges. nam quamvis Thessala vates
Vim faciat fatis, dubium est, quod traxerit illuc
Aspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.
Discolor, & vario furialis cultus amictu
655 *Induitur, vultusque operitur crine soluto,*
Et coma vipereis substringitur horrida sertis.
Ut pavidos juvenis comites, ipsumque trementem
Conspicit, exanimi defixum lumina vultu:

Poni-

canda erat umbra, descriptio; qualem vide apud Virg. 6. Æneid. Senec. OEd. ℣. 530. & Statium 4. Theb.

644. *Comis.*] Inclinatis ramis.

645. *Phœbo.*] Solis radiis impenetrabile nemus è funesta taxo obumbrat. *Taxus.*] Arbor venenata, à qua toxica, quasi taxica dicta sunt. *Sulpitius.*

646. *Pallens situs.*] Squalor ac lanugo in ipsis arboribus.

648. *Non Tænareis sic faucibus.*] Non adeo obscura est vallis Tænarea, unde ad inferos aditus. Vide Statium lib. 2. Theb. *Non Tænareis, &c.*] Tænarus, antrum ad radicem promontorii Malæ in Laconia: ubi propter vastum hiatum, tetrum vaporem atque auditum crepitum descensus ad inferos patere credebatur. *Tænareas etiam fauces, alta ostia Ditis.* Virg. 4. Georg. Senec. Herc. Fu. ℣. 661. *Aër iners.*] Obscurus, immotus, crassus. *Sulpit.*

649. *Mœstum mundi.*] Terminus, inter Inferos & nos.

650. *Quo non metuunt, &c.*] In quem Tænarum, *vel* in quam specum veneficæ Erichthus, reges inferni non dubitant emittere umbras, tanquam in locum vitæ mortisque medium, ambiguum.

652. *Dubium est, quod traxerit.*] Num evocarit huc umbram: an ipsa ad imos manes descenderit, id quod sequens versus declarat. *Hortens.*

655. *Operitur.*] Mss. P. & T. *vultusque aperitur crine remoto.* Hactenus scil. velaverat vultum crine: nunc eum nudat, quo sit terribilior. nam sequitur: *Et coma vipereis substringitur horrida nodis.* Grotius. *Operitur crine soluto.*] Grotius leg. *aperitur crine remoto.* sed minus probe. In sacris enim operiebantur, simulque promittebant capillos. *Nudis humeris infusa capillos* Medea. Ovid. 7. Metam.

656. *Et coma vipereis, &c.*] Serta adhibet viperis implicita, furiarum more. *Tibi hæc cruenta serta texuntur manu, Novena quæ serpens ligat.* Med. Senec.

657. *Juvenis comites.*] Sexti P.

660. *Jam*

Ponite, ait, trepida conceptos mente timores:
660 *Jam nova, jam vera reddetur vita figura.*
Ut quamvis pavidi possint audire loquentem.
Si verò Stygiosque lacus, ripamque sonantem
Igubus ostendam, si me præsente videri
Eumenides possent, villosaque colla colubris
665 *Cerberus excutiens, & vincti terga Gigantes;*
Quis timor ignavi metuentes cernere manes?
Pectora tunc primum fervenri sanguine supplet
Vulneribus laxata novis: taboque medullas
Abluit: & virus largè lunare ministrat.
670 *Huc quicquid fetu genuit Natura sinistro*
Miscetur. non spuma canum, quibus unda timori est,
Viscera non lyncis, non dira nodus hyænæ
Defuit, & cervi pasti serpente medulla;

Non

660. *Jam nova, jam vera, &c.*] Responsa dabit hic sub forma humana eademque placidissima vere sibi restitutus, quem vel timidissimi non horreatis.

662. *Si vero Stygiosque lacus.*] Quod si vobis ostendi possent horrenda quotquot in inferno sunt; non tamen esset vobis metuendum, me præsente, quam illa timent. *Ripamque sonantem.*] Pyriphlegethonta, lacus igneos Tartarum ambientes.

663. *Si me præsente videri.*] *Me præsente* rescriptum erat in Ms. T. quod probo. *Grot.*

664. *Eumenides.*] Furiæ. libro 7. ℣. 778. *Villosaque colla colubris.*] *Stygius canis, cujus sordidum tabo caput Lambunt colubræ: viperis horrent jubæ.*

665. *Vincti terga Gigantes.*] Terræ filii, qui Diis bellum inferre ausi à Jove fulminati in Tartarum dejiciebantur, catenis manus post terga revincti.

666. *Quis timor, ignavi, &c.*] Si ego ostenderem vobis omnia horrenda, quæ in inferno sunt, non esset vobis metuendum: quippe manes metuunt me præsentem. *Sulpit.*

667. *Pectora tunc primum, &c.*] Quibus artibus mortuo animam restituerit, & quæ monstra rerum ad id adhibuerit, nunc ostendit. *Hortens. Supplet.*] Implet.

668. *Laxata novis.*] Aperta ad recipiendum novum sanguinem.

669. *Virus large lunare ministrat.*] Spumam ceu salivam lunarem magnæ in magicis efficaciæ supra ℣. 105.

670. *Sinistro miscetur.*] Infelici, monstroso & damnato. *qualia multa enumerat.*

671. *Canum, quibus unda timori est.*] Rabidorum. namque & ipsi canes rabidi, & ii quos momordere, horrent aquæ conspectum. Plin. lib. 8. cap. 40. *Nec formidatis auxiliatur aquis.* Ovid.

672. *Nodus hyænæ.*] Spina. Hyænæ collum & juba continuitate spina portigitur. Plin. lib. 37. cap. 10.

673. *Cervi pasti serpente medulla.*] Cervi spiritu serpentes è latebris extrahunt, cornu elidunt & vorant. atque hinc

Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
675 *In mediis echeneis aquis, oculique draconum,*
Quæque sonant feta tepefacta sub alite saxa:
Non Arabum volucer serpens, inmataque rubris
Æquoribus custos pretiosæ vipera conchæ:
Aut viventis adhuc Libyci membrana cerastæ,
680 *Aut cinis Eoa positi Phœnicis in ara.*
Quò postquàm viles, & habentes nomina pestes
Contulit: infando saturatas carmine frondes,
Et, quibus os dirum nascentibus inspuit, herbas
Addidit, & quicquid mundo dedit ipsa veneni:
685 *Tunc vox Lethæos cunctis pollentior herbis*
Excantare Deos, confundit murmura primùm
Dissona, & humanæ multùm discordia linguæ.
Latratus habet illa canum, gemitusque luporum.

Quod

hinc juvenescere creduntur. ἴλαφος, ἀπὸ τῆς ἱλεῶν τῶν ὄφεων. Solin. 32. cap. Plin. lib. 11. cap. 83. vide quæ nos ad Martial. epigr. 29. lib. 12.

674. *Puppim retinens, &c. echeneis aquis.*] Piscículus, qui carinis adhærens, naves retinere creditur: unde & nomen ἔχειν τοῖς νῆας. Remora. in veneficiis quoque infamis, &c. Plin. lib. 9. cap. 15. & lib. 32. cap. 1. *Ruant venti licet, sæviant procellæ, &c.*

675. *Oculique draconum.*] Quibus melle tritis inuncti, oculi redduntur impavidi adversus nocturnas imagines.

676. *Quæque sonant feta, &c.*] Ætites, in aquilæ nido repertus lapillus, quasi prægnans, quassus quippe sonat. Plin. lib. 19. cap. 3. Aliis Gagates.

677. *Volucer serpens.*] Iaculus serpens, qui se ex arborum ramis vibrat. lib. 9. ✠ſ. 720. & Plin. lib. 8. cap. 23.

678. *Æquoribus custos pretiosæ vipera conchæ.*] Vipera in mari Erythræo, quæ conchas in quibus uniones sive margaritæ nascuntur observat.

679. *Membrana cerastæ.*] Exuvium serpentis. de quo Plin. lib. 8. cap. 23. & Nicander in Theriacis. *Squamea Cyniphei tenuis membrana chelydri*, Ovid. 7. Metam. noster lib. 9. ✠ſ. 716. & 851.

680. *Phœnicis in ara.*] Avis unicæ, è cujus ætate confectæ seque cremantis cineribus nova oritur. Plin. lib. 10. cap. 2. Ovid. Metam. 15.

681. *Quo postquam viles, &c.*] Ubi ad hunc specum, ista rerum monstra coëgit, quas *pestes* Lucanus nuncupat, κατ' ἀνάλυσιν. *Hortens. Et habentes nomina.*] Suspicor legendum *nec habentes nomina*, sic enim Ovidius, quem noster imitatus. Metam. 7. *His & mille aliis postquam sine nomine rebus Propositum instl. &c.* quadrabit simul cum præcedenti *viles.* ut *vile & sine nomine vulgus. Pestes.*] Venena & monstra.

682. *Saturatas.*] Excantatas.

683. *Os dirum, &c.*] Suum ipsius Erichthus.

687. *Dissona, & humanæ.*] Dissona, aliena à voce humana, composita sc. ex omnibus sonis, cantibus, sibilis, ululatibus, &c.

691. *Illi-*

Quod trepidus bubo, quod strix nocturna querunturr,
690 *Quod strident ululantque feræ, quod sibilat anguis*
Exprimit, & planctus illisæ cautibus undæ,
Silvarumque sonum, fractæque tonitrua nubis.
Tot rerum vox una fuit. mox cætera cantu
Explicat Hæmonio, penetratque in Tartara lingua.
695 *Eumenides, Stygiumque nefas, pœnæque nocentum,*
Et Chaos innumeros avidum confundere mundos,
Et Rector terræ, quem longa in secula torquet
Mors dilata deum, Styx, &, quos nulla meretur
Thessalis, Elysios, cœlum, matremque perosa
700 *Persephone, nostræque Hecates pars ultima, per quam*
Manibus & mihi sunt tacitæ commercia linguæ:
Janitor & sedis laxæ, qui viscera sævo
Spargis nostra cani: repetitaque fila sorores
Fracturæ: tuque ô flagrantis portitor undæ

Jam

691. *Illisæ cautibus undæ.*] Non *cautibus.* hanc etiam lectionem probant Mss. omnes. Sonum enim dicit illum inter alios, quem fluctus edunt impacti scopulis. Et propriè hic ponitur *planctus*: ut, *plangunt littora fluctus.*

693. *Tot rerum vox, &c.*] Clausula horrendarum vocum, quibus in necromantia venefica utebatur. *Hortens.*

694. *Penetratque in Tartara lingua.*] Exauditur ab inferis excantatio ejus. *Sulpit.*

695. *Eumenides.*] Invocatio furiarum, & quantum rerum damnatarum est apud inferos; ut in vota & preces adsint; ut corpus positum ad canendum eventura, animent. *Hortens. Eumenides, Stygiumque nefas, &c.*] Sic Sibylla 6. Æneid. Virgil. *Dii quibus imperium est animarum, umbræque silentes, Et Chaos & Phlegethon, &c.* Et Medea Senec. *Vos precor vulgus silentum, vosque ferales deos. Atque Chaos cæcum, &c.*

696. *Chaos innumeros.*] Lib. 1. ℣. 47.

697. *Rector terræ, &c.*] Pluto, Dis. Jupiter Stygie cui in sortitione regni Saturni contigit terra infera, cui vitæ tædium.

698. *Styx.*] Palus inferorum.

699. *Thessalis.*] Venefica. *Elysios, cœlum.*] Supra ℣. 600. *Matremque perosa Persephone.*] Ad superos redire nolens degustatis mali punici granis 7. *Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.* Virg. 1. Georg.

700. *Nostræque Hecates.*] Hecate, quæ in cœlo Luna, in terris Diana, in inferis es Proserpina: cujus beneficio mihi cum diis Manibus, murmuris commercia & colloquia.

701. *Tacitæ commercia linguæ.*] Murmurantis & susurrantis. Nam veneficis intima familiaritas fuit cum Hecate & Tisiphone. *Hortens.*

702. *Janitor.*] Cerbere, κρέας βορῶν, id est, *carnem vorans*, inferni janitor, umbrarum terror.

704. *Fracturæ.*] Grotius legendum autumat *Tractura*, hoc est, Parcæ iterum neturæ fila, quæ semel absolveratis, & revo-

705 *Jam lassate senex ad me redeuntibus umbris:*
Exaudite preces, si vos satis ore nefando,
Pollutoque voco, si nunquàm hæc carmina fibris
Humanis jejuna cano, si pectora plena
Sæpe dedi, & lavi calido prosecta cerebro:
710 *Si quis, qui vestris caput, extaque lancibus infans*
Imposuit, victurus erat, parête precanti.
Non in Tartareo latitantem poscimus antro,
Assuetamque diu tenebris, modò luce fugata
Descendentem animam: primo pallentis hiatu
715 *Hæret adhuc Orci. licet has exaudiat herbas*
Ad manes ventura semel. Ducis omina nato
Pompejana canat noti modò militis umbra,
Si bene de vobis civilia bella merentur.
Hæc ubi fata caput, spumantiaque ora levavit,
720 *Aspicit astantem projecti corporis umbram,*
Exanimes artus, invisaque claustra timentem
Carceris antiqui. pavet ire in pectus apertum,

Visce-

revocaturæ in vitam cadaver hoc. *Portitor undæ, &c.*] Charon, Stygis & Pyriphlegetontis portitor.

705. *Jam lassate senex.*] Aversio ad Charontem, quem crebrò trajiciendo lassatum fingit, propter laboris perpetui assiduitatem. *Hortens. Jam lassate senex, &c.*] Vehendis ultro citroque umbris, quas ego evoco.

706. *Nefando.*] Diris carminibus & carne humana depasto.

707. *Si nunquam, &c.*] Quin gustaverim prius carnem humanam.

708. *Pectora plena, &c.*] Prægnantis mulieris; *vel* alvo extracti fœtus, ut supra ✠ l. 558. & ✠ l. seq.

709. *Prosecta cerebro.*] Exta quæ Diis proscecentur.

710. *Si quis, &c.*] Si extractum alvo infantem & mox victurum aris vestris imposui. *Lancibus infans, &c.*] Vasis, quæ in sacris exta exciperent.

712. *Non in Tartareo, &c.*] Non peto ut redeat umbra diu retenta in imo Tartaro: sed recenter emissa, nec dum à Charonte transvecta, ita, ut licet, carmine meo & veneficiis excitetur, non tamen nisi semel Styga trajiciat.

716. *Ducis omnia nato.*] Umbra militis sui & modo defuncta canat Sexto patris sua fata & eventum.

717. *Noti modo militis umbra.*] Ms. P. & TH. & R A. *nostri modo militis umbra.* Recte. *Grotius.*

718. *Si bene de vobis, &c.*] Si modo in beneficium vestrum & rem cedant bella civilia.

721. *Invisaque claustra, &c.*] Trepidantem redire, è libertate qua frui jam cœperat in pristinum corporis carcerem, δέσμας, σῆμα.

722. *Carceris antiqui.*] In quo paulò ante anima condita fuerat. *Hortensius.*

724. *Ab*

Digitized by Google

Visceraque, & ruptas letali vulnere fibras.
Ah miser, extremum cui mortis munus iniquæ
725 *Eripitur, non posse mori. miratur Erichtho*
Has fatis licuisse moras, irataque morti
Verberat immotum vivo serpente cadaver:
Perque cavas terræ, quas egit carmine, rimas
Manibus illatrat, regnique silentia rumpit.
730 *Tisiphone, vocisque meæ secura Megæra,*
Non agitis sævis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam? jam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
Destituam: per busta sequar, per funera custos,
735 *Expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis.*
Teque Deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles, Hecate, pallenti tabida forma,
Ostendam, faciemque Erebi mutare vetabo.
Eloquar immenso terræ sub pondere, quæ te

Con-

724. *Ah miser.*] Commiseratio poëtæ. *Extremum, &c.*] Cui negatur libere in morte mori. *Cui mortis munus iniquæ.*] Imo: *cui mortis munus iniquè Eripitur, non posse mori.* Quomodo habent Mss. R. A. & T. *Grotius.*

726. *Has fatis licuisse moras.*] Quod licuerit animæ tamdiu detrectare imperium suum non extemplo corpus ingressæ.

727. *Vivo serpente cadaver.*] Flagello anguineo. more furiarum. *Angue ter excusso, &c. vivo manus aëra verberat hydro.* Statius & Senecæ Megæra in Thyeste.

728. *Perq; cavas terræ.*] Carminibus enim effecerat, ut terra se in hiatum diduceret, per quem cum manibus colloquia misceret. *Hortens. Egit carmine.*] Aperuit, rimas agere fecit.

729. *Manibus illatrat, &c.*] *Graviore manes voce & attonita ciet.* OEdip. Sen. ✠ſ. 568. *Atque hic Tiresias nondum adventantibus umbris, Testor ait, &c.* Stat. Theb. *Regnique silentia rumpit.*] Nam cum apud inferos nulla vox ab umbris audiatur, Erichtho eò vocem immittit. *Hortens.*

730. *Tisiphone.*] Furiæ. *Vocisque meæ secura.*] Negligens, non obsecuta meæ voci.

731. *Erebi per inane.*] Per regionem umbrarum, exilem Plutonis domum.

732. *Jam vos ego nomine, &c.*] Non vos ut priùs Eumenidas, Erinnys, ultrices pœnarum ciebo: sed infernas & Stygias canes: sed ἀφνείας, μεγαίλοιο Διὸς κυνίας Apollonius lib. 2. atque ita excitatas detinebo in luce neque ad inferos reverti patiar.

734. *Per funera custos.*] Custos sepulchrorum unde vos abigebo.

736. *Teque Deis, &c.*] Teque, Hecate, exhibebo Diis spectandam nativo vultu, quo palles apud inferos.

739. *Eloquar immenso, &c.*] Referam quam

740 *Contineant, Ennæa, dapes, quo fœdere mœstum*
Regem noctis ames, quæ te contagia passam
Noluerit revocare Ceres. tibi pessime mundi
Arbiter immittam ruptis Titana cavernis,
Et subito ferière die. Paretis? an ille
745 *Compellandus erit, quo nunquam terra vocato*
Non concussa tremit, qui Gorgona cernit apertam,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnym,
Indespecta tenet vobis qui Tartara; cujus
Vos estis superi; Stygias qui pejerat undas?
750 *Protinus astrictus caluit cruor, atraque fovit*
Vulnera, & in venas extremaque membra cucurrit.

Per-

quam vili cibo vescaris apud inferos. Δηλονότι τοῦτο ἐστὶν Ἑκάτης βράμματα, ἃ φησὶν ὁ τοῦ μαντίδας τὴν τελγλίδας. Antiphanes apud Athenæum lib. 7. cap. 18.

740. *Ennæa.*] Proserpina; ab Enna Siciliæ opp. ubi rapta est à Plutone. *Quo fœdere mœstum, &c.*] Incesto, erat enim filia Jovis & Cereris. Ceres autem ipsa filia Saturni & Opis.

741. *Contagia passam, &c.*] Cibi infernalis. Ascalaphi enim judicio cum insimulata esset gustasse apud inferos VII. grana mali punici, incisa est omnis spes revertendi ad superos.

742. *Tibi pessime mundi, &c.*] Gigantes θεομάχους, imo Tartaro emissos solutosque tibi injiciam, inferorum & tenebrarum rex; teque in lucem, quam hortes, extraham. vel per terram carmine meo fatiscentem immittam tibi solis radios.

744. *Paretis?*] Meis scil. carminibus magicis? an alius gravior ac truculentior accersendus erit, qui te cogat parere jussui meo? *Ille Compellandus erit.*] Dæmogorgon Deorum princeps, sive Demiurgus ille sit, (Platonis) Deus summus, omnium rerum creator, cujus nomen arcanum & ineffabile inter cætera Deorum nomina citare nefas, nisi summa urgente necessitate. Ita Tiresias in necyomantia I. Theb. Stat. *Scimus enim & quicquid dici noscique timetis, Et turbare Hecaten, ni te Tymbræ vereret, Et triplici mundi summum, quem scire nefastum est; Illum sed tacto.*

745. *Quo nunquam, &c.*] Cujus nomine vel citato, terra concutitur.

746. *Qui Gorgona cernit apertam.*] Qui clypeum in quo Medusæ caput est homines convertens in lapides, sine periculo cernit, ipse Demogorgon omni Gorgone quam cæteri timent, superior.

748. *Indespecta tenet vobis qui Tartara.*] Omnium scil. firmamentum, anima mundana, inaccessum incolens & Tartari abyssum summæ profunditatis, quo visus vester pertendere non valuit. *Cujus Vos estis superi.*] Qui vobis loco est inferior.

749. *Stygias qui pejerat undas.*] Neque legi adstrictus, ut timeat pejerare Stygem, quod cæteri Dii horrent. supra ℣. 378.

750. *Protinus astrictus, &c.*] Sic minata auditur venefica intratque anima cadaver.

Digitized by Google

Percussæ gelido trepidant sub pectore fibræ:
Et nova desuetis subrepens vita medullis,
Miscetur morti. tunc omnis palpitat artus:
755 *Tenduntur nervi: nec se tellure cadaver*
Paulatim per membra levat, terraque repulsum est,
Erectumque simul. distento lumina rictu
Nudantur. non dum facies viventis in illo,
Jam morientis erat. remanet pallorque rigorque;
760 *Et stupet illatus mundo. sed murmure nullo*
Ora astricta sonant. vox illi, linguaque tantùm
Responsura datur. dic, inquit Thessala, magna,
Quod jubeo, mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi præstabimus ævo
765 *Artibus Hæmoniis: tali tua membra sepulcro,*
Talibus exuram Stygio cum carmine silvis,
Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.
Sit tanti vixisse iterum: nec verba, nec herbæ
Audebunt longæ somnum tibi solvere Lethes,
770 *A me morte data. tripodas, vatesque deorum*

Sors

752. *Trepidant.*] Palpitant vitalia.

756. *Terraque repulsum est.*] Repente erigit se in pedes.

757. *Distento lumina rictu.*] Sinus oculorum aperiuntur. Catachresis in *rictu.* Sunt qui *nictu* legant.

759. *Jam.*] Alii leg. *Sed*; quid si, *Nec.* facies non erat viventis plane, nec tamen mortui, sed semivivi, intermortui.

760. *Murmure nullo.*] Compresso ore nondum vocem emittit.

761. *Ora adstricta.*] Nullam adhuc vocem edebat. *Tantum, &c.*] Ad interrogata veneficæ, non ultro secutura & libera.

763. *Nam vera locutum, &c.*] In æternum præstabo te liberum si modo vera referas, ne quis te magus in vitam revocet, tuamque interpellet quietem.

765. *Artibus Hæmoniis.*] Thessalicis veneficiis. *Tali tua, &c.*] Docet quibus artibus & qua ratione id præstabit.

766. *Talibus sylvis.*] Tali ligno rogum in quo comburaris, instruam, additis diris & horrendis carminibus, ut umbra tua excantata, omnes magos facile contemnat, & ad eorum veneficia obsurdescat. *Hortens. Talibus silvis.*] Lignis incantatis.

769. *Lethes.*] Quietæ pacis. Lethe fingitur amnis apud inferos, cujus aqua pota rerum oblivionem inducit.

770. *Tripodas, vatesque, &c.*] Phæbades & Deorum vates consulti, non reddunt oracula dilucidè, sed ambagibus suis, dubios & incertos auditores dimittunt. *Hortens.*

771. *Sors.*]

Digitized by Google

Sors obscura tenet. certus discedit, ab umbris
Quisquis vera petit, duraque oracula mortis
Fortis adit. ne parce, precor. da nomina rebus,
Da loca, da vocem qua mecum fata loquantur.
775 *Addidit & carmen, quo, quicquid consulit, umbram*
Scire dedit. Mæstum fletu manante cadaver,
Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,
Respexi, tacitæ revocatus ab aggere ripæ:
Quod tamen è cunctis mihi noscere contigit umbris,
780 *Effera Romanos agitat discordia manes,*
Impiaque infernam ruperunt arma quietem.
Elysias alii sedes, ac Tartara mœsta
Diversi liquêre duces: quid fata pararent,
Hi fecêre palàm. tristis felicibus umbris
785 *Vultus erat. vidi Decios, natumque, patremque,*
Lustrales bellis animas, flentemque Camillum,
Et Curios; Syllam de te Fortuna querentem.

Deplo-

771. *Sors.*] Responsum sive oraculum obscurum. *Tripodas, &c. Sors obscura tenet.*] Oraculorum responsa incerta sunt & ambigua. Necromantia vera & certa refert. de tripode vide quæ ad ✠ f. 81. sup.

772. *Oracula mortis.*] Manes consultos, necromantiam.

773. *Fortis adit.*] Fortis & intrepidus ex mortuis oracula petit. *Ne parce precor.*] Precor ne verearis vera proloqui. *Da nomina rebus.*] Ede fata nominatim, hoc loco, voce clara.

775. *Addidit & carmen.*] Et alio carmine præparavit umbram, præstititque illi facultatem sciendi quæcunque interrogarentur.

776. *Mæstum fletu, &c.*] Umbra lacrymis effusis respondit.

777. *Tristia non equidem, &c.*] Non datum est mihi novæ umbræ nec dum Stygem transvectæ, plane scire quid parent fata: quod vero ex aliis umbris nosse licuit, pandam.

779. *Quod tamen è cunctis, &c.*] Glareanus, desiderari hic verbum aliquod dicit: aut *dicam*, aut simile quid.

780. *Effera Romanos, &c.*] Civilis hujus belli furor ad Romanorum umbras devenit. quarum alias felices ex Elysio pulsas interturbata quiete: alias impias ex imo Tartaro ruptis catenis fugientes, Elysium capessentes novis scelestis cedentes. inf. 790. adverti testari quid fata parent.

783. *Diversi.*] Ex diversis emigrantes locis.

786. *Lustrales bellis animas.*] Expiatorias, eorum scil. qui se pro exercituum salute devoverant in bellis contra Samnites, lib. 2. ✠ f. 308. *Camillum.*] Lib. 2. ✠ f. 544.

787. *Curios.*] Curium Dentatum, hominem continentiss. pauperem, sed auro Samnium incorruptum, qui Pyrrhum Italia expulit, de Lucanis & Sabinis triumphavit l. 1. ✠ f. 169. *Syllam*

Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infaustam sobolem. major Carthaginis hostis,
790 *Non servituri mœret Cato fata nepotis.*
Solum te Consul depulsis prime tyrannis
Brute pias inter gaudentem vidimus umbras.
Abruptis Catilina minax, fractisque catenis
Exultat, Mariique truces, nudique Cethegi.
795 *Vidi ego lætantes popularia nomina Drusos;*
Legibus immodicos, ausosque ingentia Gracchos.
Æternis chalybum nodis, & carcere Ditis
Constrictæ plausêre manus: camposque piorum
Poscit turba nocens. regni possessor inertis

Pal-

de te Fortuna querentem.] De quo vide librum 2. ℣. 139. & deinceps, qui cum ubique Fortuna usus fuisset secunda, se Felicem cognominavit, filium Faustum. ut lib. 2. ℣. 221. cujus tamen umbra de fortunæ iniquitate queritur ob partes patricias à Cæsare oppressas, in quibus & filius suus Faustus cum suis interceptus periit, orta inter exercitus dissensione.

788. *Scipio terris, &c.*] Scipio Æmilianus vel Africanus deplorat L. Scipionem Pompeji socerum perituum in Africa, quam ipse debellaverat supra ℣. 311.

789. *Major Carthaginis hostis, &c.*] Cato Major (qui sicis ex Africa advectis & in senatu delatis, omni suæ de quacunque re sententiæ adjecit: *Videri sibi & delendam Carthaginem*) mœret fata Catonis Minoris, qui ne dominatum Cæsaris videret, sibi mortem conscivit Uticæ lib. 2. ℣. 247. & deinceps. & supra ℣. 311.

791. *Consul depulsis, &c.*] L. Junius Brutus regum exactor, primus cum Tarquinio Collatino Consul fruitur lata spe Cæsaris olim interficiendi à sua progenie M. & D. Brutis.

793. *Catilina minax.*] Seditiosus Reip. ruinam molitus. notus vel pueris è Salustio. *Catenis.*] Quibus vinctus erat in Tartaro.

794. *Mariique truces.*] C. Marius libro 2. ℣. 69. & deinceps; cum fratre M. & filio. *Nudique.*] Silius It. *Ipse humero exertus gentili more, &c. Nudique.*] Lib. 2. ℣. 543. *Cethegi.*] Catilinariæ coniurationis socii.

795. *Popularia nomina Drusus.*] Liv. Drusus trib. pl. populi & sociorum favorem emeriturus legem Agrariam & frumentariam perferre conatus est, & Socios ad spem civitatis erexit domi suæ postea occisus.

796. *Ausosq; ingentia Gracchos.*] Tib. & C. Gracchi fr. Trib. pl. seditionibus vexarunt Remp. promulgatis legibus Agraria, Frumentaria, Judiciaria.

797. *Æternis chalybum nodis.*] Ferreis vinculis in Tartaro coërciti Gracchi & cæteri.

798. *Plausere manus.*] Gratulati discordiæ & tumultui Reip. quia similes curæ, nec ipsa in morte recedunt. *Camposque piorum.*] Damnatorum manes poscunt sibi Elysium, ut novis è bello civili advenis locus sit.

799. *Regni possessor, &c.*] Pluto laxat Tartara lib. 3. ℣. 17. & parat arma in poe-

Digitized by Google

800 *Pallentes aperit sedes, abruptaque saxa*
Asperat, & durum vinclis adamanta, paratque
Pœnam victori. refer hæc solatia tecum,
O juvenis, placido manes, patremque, domumque,
Expectare sinu, regnique in parte serena
805 *Pompejo servare locum. nec gloria parvæ*
Sollicitet vitæ: veniet quæ misceat omneis
Hora duces. properate mori, magnoque superbi
Quamvis è parvis animo descendite bustis,
Et Romanorum manes calcate Deorum.
810 *Quem tumulum Nili, quem Tybridis abluat unda,*
Quæritur, & ducibus tantum de funere pugna est.
Tu fatum ne quære tuum cognoscere: Parcæ,
Me reticente, dabunt: tibi certior omnia Vates
Ipse canet Siculis genitor Pompejus in arvis:

Ille

in pœnas nocentum, saxa prærupta & obtusa asperat, adamantinas catenas refingit.

802. *Victori.*] Cæsari & suis libertatis Reip. oppressoribus.

803. *Patremque, domumque.*] Cæsarianis Tartara parari Pompejo Pompejanisque Elysium.

804. *Regnique in parte serena.*] In campo Elysio.

805. *Nec gloria parvæ, &c.*] Neque solicitus invideas Cæsari victori vitæ superstitis moram, brevem utique futuram; ut qui intra quadriennium in vestrum ordinem redigetur, & ipse cæsus ad vos descendet.

807. *Hora duces.*] Fatalis: qua acerrime inter se confligent Cæsariani & Pomp. *Properate mori, &c.*] Vos igitur libentes fatis obviam ite; qui, utcunque magni funeris pompa destituti fueritis; apud inferos tamen calcabitis umbras victrices, vos patriæ libertatis propugnatores in Elysio beati sub pedibus videbitis illos patriæ oppressores in imo Tartaro cruciatos.

809. *Romanorum manes calcate Deorum.*] Jul. Cæsaris & insequentium Imperatorum, per ἀποθέωσιν in Martio campo solenni funere relatorum in numerum Deorum, cujus pompam vide apud Herodianum lib. 4.

810. *Quem tumulum Nili.*] Et cum tellus æqua recludatur victori victisque; de modo tamen & loco omnis hæc est disceptatio uter in litore Ægyptio prope Nilum; uter in campo Martio ad Tiberim sit comburendus. illud Pompejo, hoc Cæsari continget. *Abluat unda.*] *Alluat* Ms. P. rectius. *Grot.*

811. *Ducibus tantum, &c.*] De ea re solum quæstio est, uter circà Nilum, hoc est, uter in Ægypto; rursum uter circà Tybrim Romæ exhalabit animam. *Hortens.*

812. *Tu.*] Sexte.

813. *Tibi certior omnia Vates.*] Umbra patris tui in somnis tibi apparens in Sicilia ostendet tibi tua fata, *venturaque bella, Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem, Expediet.* Fictio poëtica.

814. *Pompejus in arvis.*] *Oris* Ms. P.

815 *Ille quoque incertus, quò te vocet, unde repellat,*
Quas jubeat vitare plagas, quæ sidera mundi.
Europam miseri, Libyamque, Asiamque timete:
Distribuit tumulos vestris fortuna triumphis.
O miseranda domus, toto nihil orbe videbis
820 *Tutius Emathia. Sic postquam fata peregit;*
Stat vultu mæstus tacito, mortemque reposcit.
Carminibus magicis opus est, herbisque, cadaver
Ut cadat, & nequeunt animam sibi reddere fata
Consumto jam jure semel. Tum robore multo
825 *Extruit illa rogum: venit defunctus ad ignes:*
Accensa juvenem positum strue linquit Erichtho,
Tandem passa mori. Sextoque ad castra parentis
It comes: & cœlo lucis ducente colorem,
Dum ferrent tutos intra tentoria gressus,
830 *Jussa tenere diem densas nox præstitit umbras.*

M. An-

quod rectum puto. *Undis* babebat Ms. R. A. *Grotius.*

817. *Europam miseri, Libyamq;, &c.*] Nulla orbis pars erit vobis tuta; nulla vestra clade & ruina vacabit. Pater cadet circa Libyam in litore Alexandrino: filii; Gneius, in Europa, ad Mundam in Hispania, à Cæsare victus, Sextus, in Asia, interceptus ab Antonianis militibus interibit. Ita funera vestra dividentur in tres orbis partes à patre Pompejo triumphatas. *Pompejos juvenes Asia atque Europa, sed ipsum Terra tegit Libyes: si tamen ulla tegit. Quod mirum toto si spargitur orbe? jacere Uno non poterat tanta ruina loco.* Martial. epist. 7. lib. 1. *Et quasi non posset tot tellus ferre sepulchra, Divisit cineres.* Petron. Arbit. de Pompejo, Crasso, Cæsare.

819. *Toto nihil orbe, &c.*] E Thessalica enim clade elapsi omnes.

820. *Fata.*] Eventum belli, & Pompejorum fata. *Peregit.*] Mortuus iste in vitam revocatus.

821. *Mortemq; reposcit.*] Rursus mori petit.

822. *Carminibus magicis, &c.*] Reddendus jam morti ope veneficæ, cujus arte evocatus fuerat factusque juris sui, neque enim in jam semel defunctum Parcæ jus habuerunt.

824. *Robore multo, &c.*] E ligno pyram struit, juvenemque vitæ modo restitutum comburit.

828. *Cœlo lucis ducente colorem.*] Illucescentem jam Auroram Erichtho carminibus suis inhibuit tardavitque, donec Sextus cum suis in castra rediisset.

Digitized by Google

M. ANNÆI LUCANI CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ, LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

SEptimus ut Magni narravit ſomnia, plorat
Fata Ducis, mox turba omnis ſibi prælia poſcit:
Cenſet idem cupidus facundo Tullius ore:
Dux dat id invitus: ſcribit tum dira poëta
Prodigia, inſtructas acies, factura Ducumque
Verba ſuis animos, & prælia geſta, fugamque:
Invehitur poſthæc in te ſæviſſime Cæſar,
Damnans Pharſali completos ſanguine campos.

Egnior Oceano, quàm lex æterna vocabat,
Luctificus Titan nunquam magis æthera contra
Egit equos, currumque polo rapiente retorſit:
Defectuſque pati voluit, raptæque labores
Lucis:

1. *Egnior, &c.*] Pugnam Pharſalicam Poëta narraturus, initium ducit à Chronographia, hoc eſt ab exortus diei deſcriptione, quo prælium inituri erant. *Hortenſius. Egnior Oceano.*] Tardior quam æterna motus lege erat permiſſum, Sol ex Eoo mari videbatur oriri: vultu mœſtior quam alias contra primi motoris curſum niti, quaſi in ortum reverti à rapida contrarii curſus vertigine victus. libro 1. vſ. 543.

2. *Luctificus Titan.*] Sol, ſive dies ille fatalis, qui exercitibus Romanis luctum & calamitatem allaturus erat.

3. *Retorſit.*] Contrà mundum, à quo tamen ab ortu in occaſum raptus fuit. *Hortenſ.*

4. *Defectuſque pati voluit.*] Tanquam Eclipſin paſſurus deficere & laborare cœpit.

Digitized by Google

5 *Lucis: & attraxit nubes, non pabula flammis,*
Sed ne Thessalico purus luceret in orbe.
At nox felicis Magno pars ultima vitæ
Sollicitos vana decepit imagine somnos.
Nam Pompejani visus sibi sede theatri
10 *Innumeram effigiem Romanæ cernere plebis,*
Attollique suum lætis ad sidera nomen
Vocibus, & plausu cuneos certare sonanteis.
Qualis erat populi facies, clamorque faventis,
Olim cùm juvenis, primique ætate triumphi
15 *Post domitas gentes, quas torrens ambit Ibêrus,*
Et quæcunque fugax Sertorius impulit arma,
Vespere pacato, pura venerabilis æquè
Quàm currus ornante toga, plaudente Senatu,

Sedit

cœpit. *Raptæque labores.*] Interventu enim lunæ laborat Sol, ac lux nobis aufertur.

5. *Attraxit nubes.*] Aliud signum, cur Sol horruerit videre instantem cladem. *Hortens. Pabula flammis.*] Lib. 1. ℣. 415.

6. *Ne Thessalico purus, &c.*] Ne puris conspicuus radiis pugnæ Thessalicæ interesset.

7. *Nox.*] Pompejus per quietem sibi visus est theatrum à se extructum ingredi, applaudente populo & multis ornare spoliis templum Veneris victricis. Quo insomnio partim confirmatus est, partim territus, metuens ne Cæsari, qui ad Venerem genus suum referebat, gloriam ipse adferret. Plutarch. & Appian. & Florus. *Felicis Magno.*] Namque exinde prospera Pompeji fortuna deficere *ruere & sublapsa referri* cœpit.

9. *Pompejani, &c.*] A Pompejo extructi ad formam illius quod in Mitylene viderat. sed augustioris & capacioris. Tacit. lib. 14. & Plin. lib. 7. cap. 3. & lib. 36. cap. 15.

12. *Cuneos certare, &c.*] Spectatores, in ordinibus graduum ad formam cunei in angustum à fronte contractorum, sedentes. vide Lips. de Amphith. 13. & Buling de Circo cap. 34. *Certare sonanteis.*] Certatim applaudere.

13. *Qualis erat populi facies.*] Quali lætitia plausuque exceptus fuerat olim ex Hispania reversus, & de Sertorio triumphans ante legitimam ætatem permissu senatus.

14. *Juvenis.*] Annos 24. natus.

15. *Quas torrens, &c.*] Hispanas. libro 4. ℣. 23.

16. *Quæcunque, &c.*] Lib. 2. ℣. 549. *Fugax Sertorius.*] Exul & fugitivus ex urbe & Italia in Hispanias, quas ad arma concitavit. Proscriptus ergò in ulteriore Hispania bellum ingens excitavit. *Hortens.*

17. *Vespere pacato.*] Hispania, ad Occidentem sita. *Pura venerabilis, &c.*] Non minus conspicuus clarusve toga candida & pura; qua etiam dum novus pene tyro & primas juventutis metas ingressus induebatur, quam picta illa & palmata qua triumphant consules.

18. *Plaudente Senatu.*] *Emphatica.* Senatu scil. triumphum indulgente, atque

Sedit adhuc Romanus eques. Seu fine bonorum
20 *Anxia venturis ad tempora læta refugit:*
Sive per ambages solitas contraria visis
Vaticinata quies, magni tulit omina planctus:
Seu vetito patrias ultrà tibi cernere sedes,
Sic Romam fortuna dedit. Ne rumpite somnos,
25 *Castrorum vigiles, nullas tuba verberet aures.*
Crastina dira quies, & imagine mœsta diurna
Undique funestas acies feret, undique bellum.
Unde pares somnos populi, noctemque beatam?
O felix, si te vel sic tua Roma videret.
30 *Donassent utinam Superi, patriæque, tibique*
Unum, Magne, diem, quo fati certus uterque
Extremum tanti fructum caperetis amoris.
Tu velut Ausonia vadis moriturus in urbe:
Illa rati semper de te sibi conscia voti

Hoc

que applaudente juveni Pompejo equiti, nec dum ordinis Senatorii.

19. *Eques Romanus.*] Nondum Senatorii ordinis; quod nemini antea contigerat, ut eques Rom. juvenis XXIV. annos natus, ante legitimam ætatem permissu totius Senatus triumpharet. *Hortens. Seu fine bonorum, &c.*] Seu (inquit poëta somnii hujus causam anquirens) mens rerum lætarum adesse finem rata, per quietem recurrit ad solatium præsentium malarum ex memoria præteritarum.

21. *Sive per ambages, &c. Seu vetito patrias, &c. Sic Romam, &c.*] Sive, quod non raro fit, ut somnia repræsentent contrarium. ita hic Pompejo oblatus est plausus pro planctu; sive, cum non daretur Pompejo exinde Romam videre, voluit fortuna eam ab illo cerni; per quietem & somnii imaginem.

22. *Omina.*] Præsentiones magnorum malorum. *Hortens.*

24. *Ne rumpite somnos, &c.*] Apostrophe pathetica ad stationarios castrorum vigiles, ut cum silentio excubias agant, neque buccinæ vigilias distinguentis sonitu Pompejo somnum & somnium interrumpant: cum crastina dies abunde calamitatum sit allatura.

28. *Unde pares somnos populi.*] O utinam populo Rom. similis somnus & nox tam beata contingeret, qua te vicissim adspiceret ille talem, qualis tibi visus es per insomnium! *Grotius, vel*, unde tibi alius ejusmodi somnus imaginem populi referens concilietur, felici utique, si te vel ita somniantem Roma videret?

30. *Donassent, &c.*] O abunde felicem utrumque, si & Pompejo & Romæ, quamvis cladis suæ futuræ certis, unius diei moram indulsissent Dii, qua supremis mutui amoris officiis, extremis osculis & salutatione fruerentur.

33. *Tu velut Ausonia, &c.*] Tu proficisceris in bellum fiducia victoriæ plenus, & quasi è prælio Romam revertsurus & in urbe moriturus.

34. *Illa rati semper, &c.*] Roma assueta

35 *Hoc scelus haud unquam fatis hærere putavit,*
Sic se dilecti tumulum quoque perdere Magni.
Te misto flesset luctu, juvenisque, senexque,
Injussusque puer: lacerasset crine soluto
Pectora femineum, ceu Bruti funere, vulgus.
40 *Nunc quoque tela licet paveant victoris iniqui,*
Nuntiet ipse licet Cæsar tua funera, flebunt:
Sed dum tura ferent, dum laurea serta Tonanti.
O miseri, quorum gemitus edere dolorem,
Qui te non pleno pariter planxêre theatro.
45 *Vicerat astra jubar, cum misto murmure turba*
Castrorum fremuit, fatisque trahentibus orbem,
Signa petit pugnæ. miseri pars maxima vulgi

Non

sueta votis certis de te tuisque victoriis eandem jam fiduciam conceperat. neque enim putavit tam crudele fatum tibi impendere ut prælio victus fugeres, ut alibi quam in patria caderes, spoliareturque ipsa tuo busto & tumulo.

35. *Fatis.*] Transfert calamitatis caussam in fata, quibus ita visum fuit; ut ita misere post hanc unam adversam pugnam, tantus vir, princeps Reipubl. extinguereretur. *Hortens.*

37. *Te misto flesset luctu.*] Quod si tibi contigisset in patria mori; quam solenni omnis ordinis, sexus, ætatis, luctu & pompa funebri elatus fuisses.

38. *Injussusque puer.*] Scal. conjicit leg. *Investisque puer.*

39. *Bruti funere.*] T. Brutum liberatorem urbis, exactorem Tarquinii matronæ Rom. defunctum luxerunt per annum, ut parentem & violatæ pudicitiæ vindicem.

40. *Nunc quoque tela, &c.*] Et nunc vel invito Cæsare victore deflebunt te: idque in publica lætitia ac victoriæ gratulatione.

42. *Sed dum thura ferent, &c.*] Et tamen hac parte miseri, quod non publico luctu & planctu conceptum de te dolorem profiteri & persequi datur: sed illum alta mente supprimere, concoquere, & gemitu tantum testari. Nonnulli leg. *edere*, verum *edere*, hoc est, suppressere, concoxere. *Thura ferent, &c.*] Id quod in publico luctu & lætitia ob victoriam partam fieri solebat. *Hort.*

45. *Vicerat astra jubar.*] Sol oriens obscuraverat astra. *Cum misto murmure turbæ, &c.*] Pompejus pugnæ periculum formidabat, statuebatque tempore & inopia atterere & debellare homines armis invictos. Neque tamen diutius licebat illi per suorum & sociorum præcipitantiam tam salutari frui consilio. Milites ocium, socii moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prœlio sumpta est Thessalia, & urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt. Plut. & Florus.

46. *Fremuit.*] Dicit turbam castrensem fremuisse, pugnæque signa poposcisse, & Pompeji cunctationem incusasse. *Hortens.* *Trahentibus orbem.*] In perniciem.

47. *Signa petit pugnæ.*] Signum apud Romanos pugnæ committendæ erat peludamentum purpureum seu coccinum supra Prætorium expansum.

48. *Non*

Digitized by Google

Non totum visura diem, tentoria circum
Ipsa ducis queritur, magnoque accensa tumultu
50 *Mortis vicinæ properanteis admovet horas.*
Dira subit rabies: sua quisque, ac publica fata
Præcipitare cupit: segnis, paviduſque vocatur,
Ac nimium patiens ſoceri Pompejus, & orbis
Indulgens regno, qui tot ſimul undique gentes
55 *Juris habere ſui vellet, pacemque timeret.*
Nec non & reges, populique queruntur Eoi
Bella trahi, patriaque procul tellure teneri.
Hoc placet, ô Superi, cùm vobis vertere cuncta
Propoſitum, noſtris erroribus addere crimen.
60 *Cladibus irruimus, nociturque poſcimus arma:*
In Pompejanis votum eſt Pharſalia caſtris.
Cunctorum voces Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cujus ſub jure, togaque
Pacificas ſævus tremuit Catilina ſecures,
65 *Pertulit, iratus bellis, cùm roſtra forumque*
Optaret, paſſus tam longa ſilentia miles.
Addidit invalidæ robur facundia cauſæ.

Hoc

48. *Non totum viſuræ diem.*] Interitura ante noctem.

50. *Mortis vicinæ*] Rutgerſius legit, *Morti vicinæ.* lib. 1. Var. lect. cap. 12. *Admovet.*] Accelerat.

53. *Soceri Pompejus.*] Cæſaris. *Et orbis indulgens regno.*] Arguebatur ſegnis & à dignitate ad ambitionem declinans bellum protrahere, quo diutius cum imperio eſſet & tantis tamque illuſtribus imperaret viris. Appellabatur *Agamemnon, rex regum,* &c. Plut. & App.

55. *Pacemque timeret.*] Ne pace confecta imperium deponere cogeretur.

58. *Hoc placet, ô Superi, &c.*] Conqueſtio poëtæ expoſtulantis, cur ita Diis viſum ſit ut eos, quos errore cæcos in perniciem miſſuri ſint, etiam cladis ſuæ authores argui velint.

61. *In Pompejanis votum eſt Pharſalia caſtris.*] Dimicatio de rerum ſumma in campis Pharſalicis à Pompejanis expetitur votis ardentiſſimis.

62. *Cunctorum voces Romani, &c.*] Omnium nomine Pompejum allocutus eſt Cicero, dono quodam (ut ait Quintilianus) providentiæ genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur, qui Conſul nefarios Catilinæ Rempub. evertere aggreſſi conatus, prudentia advertit, conſilio ſuppreſſit, autoritate extinxit.

63. *Jure, togaque.*] Scholiaſtes Juvenalis citat hoc, legitque *jure togato.*

65. *Iratus bellis.*] Iniquo ferens animo conciones ſuas & forenſes cauſas deſtineri ſilereque inter bella.

67. *Addidit invalidæ robur.*] Cauſam

Digitized by Google

Hoc pro tot meritis solum te, Magne, precatur,
Uti se Fortuna velis, proceresque tuorum
70 *Castrorum, regesque tui cum supplice mundo*
Affusi, vinci socerum patiare rogamus.
Humani generis tam longo tempore bellum
Cæsar erit? meritò, Pompejum vincere lentè,
Gentibus, indignum est, à transcurrente subactis.
75 *Quò tibi fervor abit? aut quò fiducia fati?*
De Superis ingrate times? causamque Senatus
Credere Diis dubitas? ipsæ sua signa revellent,
Prosilientque acies. pudeat vidisse coactum.
Si duce te jusso, si nobis bella geruntur,
80 *Sit juris quocunque velint concurrere campo.*
Quid mundi gladios à sanguine Cæsaris arces?
Vibrant tela manus: vix signa morantia quisquam
Expectat: propera, ne te tua classica linquant.
Scire Senatus avet, miles te, Magne, sequatur,

An

sam infirmam per se probabilem sua facundia reddidit Cicero, de ineundo sc. prælio. *Hortens.*

68. *Hoc pro tot meritis, &c.*] Fortuna supplex invitat, ut velis pristina sua & assueta benignitate uti.

71. *Affusi.*] Ad genua tua prostrati, more supplicum. *Hortens.* *Patiare rogamus.*] Facta tantum pugnæ copia.

72. *Humani generis, &c.*] Ab indigno; quasi dicat, tam diu Cæsar humanas gentes bellis infestabit, ut nunquam sit futurus illi finis bellandi. *Hortens.*

73. *Merito, &c.*] Gentes olim à te summa celeritate & quasi in transcursu devictæ, eædemque sub te jam militantes queruntur, neque id injuria, tibi hanc tamdiu in manibus hærere victoriam.

76. *Superis ingrate times?*] Quorum propensam benignitatem tot prælii victor expertus es.

79. *Si duce te jusso.*] Non jubente. Posses & *justo* scribere, id est legitimo. *Si duce te jusso.*] Si tibi Senatus, non tu Senatui imperas, si te Senatus publicæ causæ & belli ducem creavit: permitte illi hoc juris ut suo arbitrio, ubi res, tempus, locus postulant, prælium conferat.

80. *Sit juris quocunque velint.*] Imo *velim*, ut habent Mss. Loquitur autem Cicero, non ex sua tantum, sed & ex Senatus persona. *Grotius.*

81. *Quid mundi gladios.*] Mora distines. *Arces? &c.*] Ne milites non imperium tuum morati, neque te cunctabundum expectantes revulsis signis prælium ineant. *vel*, ne te deserant, atque à te deficiant.

84. *Scire Senatus avet.*] Utrum imperium hoc à Senatu delatum absolute tibi arroges, tanquam sub te Senatus militet: an æquam potestatem Senatui impertias.

85. *Re-*

85 *Aut comes. Ingemuit Rector, sensitque Deorum*
Esse dolos, & fata sua contraria menti.
Si placet hoc, inquit, cunctis, si milite Magno,
Non duce tempus eget, nil ultrà fata morabor.
Involvat populos una Fortuna ruina,
90 *Sitque hominum magna lux ista novissima parti.*
Testor Roma tamen Magnum, quo cuncta perirent,
Accepisse diem. potuit tibi vulnere nullo
Stare labor belli: potuit sine cæde subactum,
Captivumque ducem violatæ tradere Paci.
95 *Quis furor, ô cæci, scelerum? Civilia bella*
Gesturi, metuunt, ne non cum sanguine vincant.
Abstulimus terras, exclusimus æquore toto,
Ad præmaturas segetum jejuna rapinas
Agmina compulimus, votumque effecimus hosti,
100 *Ut mallet sterni gladiis, mortesque suorum*
Permiscere meis. belli pars magna peracta est

His,

85. *Rector.*] Pompejus. *Deorum esse dolos, &c.*] Et animo quasi calamitatem præsagiente timuit, ne furore & belli ardore divinitus incitata multitudo, ipsum adversus institutum, rationes, & consilia ad bellum traheret.

87. *Si placet hoc, inquit, &c.*] Si eo ventum sit imprudentiæ & vecordiæ, ut obsequio meo quam imperio & ductu Senatus uti malit: per me non stabit, quo minus sibi fata sua accersant.

89. *Involvat populos.*] *Epirrope.*

91. *Testor Roma.*] *Apostrophe. Magnum, quo cuncta perirent.*] Me fatalem hunc prælii diem non è mente mea instituisse, non approbasse; sed ab aliis mihi obtrusum atque imperatum tulisse.

92. *Potuit tibi vulnere nullo.*] Potuit sine sanguine Cæsar debellari, tempore & rerum inopia ad deditionem & pacis conditiones impulsus.

94. *Captivumque ducem, &c.*] Cæsarem captum in nostram potestatem redigere, ac tradere in pristinam pacem, quam ipse prior violavit. *Hortens.*

95. *Civilia bella.*] Quod contra factum oportuit, ut civili sanguini parceremus.

97. *Abstulimus terras.*] Hostem victum fugavimus. *Exclusimus æquore toto.*] Maria late tenent nostræ classes, hoste navibus destituto.

98. *Ad præmaturas, &c.*] Rei frumentariæ inops hostis, segetes vix dum maturas rapit.

99. *Votumque effecimus hosti.*] In necessitatem pugnæ & illam desperationem redegimus, ut ferro quam fame emori malint, modo non moriantur inulti.

101. *Belli pars magna, &c. multos in summa, &c. fortissimus ille est, &c.*] Bonam jam belli hujus partem transactam videtis; ubi vel tirones nostri pugnam deposcant. sed videant, ne per temeritatem

Digitized by Google

His, quibus effectum est, ne pugnam tiro paveret:
Si modo virtutis stimulis, iraque calore
Signa petunt. multos in summa pericula misit
105 *Venturi timor ipse mali. fortissimus ille est,*
Qui promtus metuenda pati, si comminus instent,
Et differre potest. placet hac tam prospera rerum
Tradere Fortunæ? gladio permittere mundi
Discrimen? pugnare ducem, quàm vincere, malunt.
110 *Res mihi Romanas dederas Fortuna regendas:*
Accipe majores, & cæco in Marte tuere.
Pompeji nec crimen erit, nec gloria bellum.
Vincis apud Superos votis me Cæsar iniquis:
Pugnatur. quantum scelerum, quantumque malorum
115 *In populos lux ista feret! quot regna jacebunt!*
Sanguine Romano quàm turbidus ibit Enipeus!
Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
Si sine momento rerum, partisque ruina

Casu-

tatem potius & insolentiam imperiti rerum atque recenti victoria nimis elati hoc faciant, quam consulto & ex vera fortitudine, quæ præcipit mediocritatem servandam in adeundis declinandisve periculis, hosti itaque indulgeamus fugam sternamusque potius aureum fugienti pontem, quam eum desperatum lacessamus. Multos timor in extremum periculum ex desperatione rapuit. Magis itaque fortes nos præstabimus hostem instantem differendo, quam si prompte & cum fiducia formidabilia aggressi manum conseramus.

107. *Hæc tam prospera, &c.*] Res prosperas adeo certas exponere aleæ fortunæ?

108. *Gladio permittere, &c.*] Cruento Marti, cujus alea anceps.

110. *Res mihi Romanas, &c.*] Apostrophe ad Fortunam.

111. *Majores.*] Auctiores factas auspiciis consiliisque meis. *Et cæco in Marte tuere.*] Et tu, si rem bello temerario contra consilia & prudentiam geri velis, ipsa geras.

112. *Pompeji nec crimen erit.*] Nec mihi crimini detur clades accepta belli non ex animo meo suscepti, nec laudi victoria, si qua eveniat.

113. *Vincis apud Superos, &c.*] Faciliores expertus es deos ad exaudienda vota tua ô Cæsar iniqua, ut qui sanguine civili rem discerni cupis; quam mea, qui cunctando rem restituere citra cruorem voluerim. Impetrasti pugnam.

115. *Quot regna, &c.*] Quot reges in servitutem rediget, si vincat, Cæsar?

116. *Enipeus.*] Thessaliæ fluv. lib. 6. ℣. 373.

117. *Prima velim caput.*] Utinam ego primus in bello cadam, modo id fiat sine partium mearum damno & calamitate.

118. *Sine momento.*] Motu, mutatione, aut calamitate. *Sulpit.*

119. *Ne-*

Casurum est, feriat: neque enim victoria Magno
120 *Lætior. aut populis invisum, hac clade peracta,*
Aut hodie Pompejus erit miserabile nomen.
Omne malum victi, quod sors feret ultima rerum,
Omne nefas victoris erit. Sic fatur, & arma
Permittit populis, frænosque furentibus ira
125 *Laxat: & ut victus violento navita Coro*
Dat regimen ventis, ignavumque arte relicta
Puppis onus trahitur. trepido confusa tumultu
Castra fremunt, animique truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis. multorum pallor in ore
130 *Mortis ventura est, faciesque simillima fato.*
Advenisse diem, qui fatum rebus in ævum
Conderet humanis, & quæri Roma quid esset,
Illo Marte palàm est. sua quisque pericula nescit,
Attonitus majore metu. quis littora ponto
135 *Obruta, quis summis cernens in montibus æquor,*

Æthe-

119. *Neque enim victoria.*] Neque enim victoria è civium sanguine parta majori erit mihi lætitiæ quam mors.

120. *Aut populis invisum, &c.*] Victor, invidia carere non potero, ut qui effuso sanguine civium vicerim: victus, utique miser ero, causa damnabitur ex eventu. infra ℣ſ. 260.

122. *Omne malum victi.*] Victi calamitas recidet in scelus & dedecus victoris.

123. *Sic fatur, &c.*] *Sed audi Plutarchum.* Illi, inquit, Domitius, scil. Favonius, Afranius & alii hæc dictitantes, Pompejum existimationis retinendæ cupidum, amicorumque verecundia victum compulerunt, uti optimis consiliis omissis, voluntates ipsorum & spes sequeretur. Quod sane vel navis gubernatorem haud æquum erat facere, multo minus tot gentium atque exercituum imperatorem, qui tanquam malus medicus cupiditatibus male sanorum ducum indulsit, metuens scil. ne salutem afferendo molestus esset; *in vita Pompeji.*

125. *Coro.*] Corus, ventus qui adversus Aquilonem flat ab occasu solstitiali. *Coro.*] Lib. 1. ℣ſ. 406.

126. *Dat regimen ventis.*] Permittit.

129. *Ictibus incertis.*] Vario affectuum & consiliorum impulsu.

130. *Mortis ventura est.*] Ex mortis metu. *Fato.*] Morti.

131. *Advenisse diem, &c.*] Videntadesse diem & prœlium quo dimicabitur de rerum summa, reip. libertate, aut perpetua monarchia. in commune itaque timet quisque de se securus.

132. *Quid esset.*] Civitas ne libera mansura, an sub unius imperium redigenda?

135. *Quis summis, &c.*] Cui enim vacet sibi soli timere, cum videat universi machinam labascere ruereque, terris maria miscerí, & terras cælo?

139. *Nec*

Digitized by Google

Ætheraque in terras dejecto sole cadentem,
Tot rerum finem, timeat sibi? non vacat ullos
Pro se ferre metus: Urbi, Magnoque timetur.
Nec gladiis habuêre fidem, nisi cotibus asper
140 *Exarsit mucro. tunc omnis lancea saxo*
Erigitur: tendunt nervis melioribus arcus:
Cura fuit lectis pharetras implere sagittis.
Auget eques stimulos, frænorumque aptat habenas.
Si liceat Superis hominum conferre labores,
145 *Non aliter, Phlegra rabidos tollente Gigantes,*
Martius incaluit Siculis imudibus ensis:
Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis,
Spiculaque extenso Pæan Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in ægida crines,
250 *Pallenæa Jovi mutavit fulmina Cyclops.*
Non tamen abstinuit venturos prodere casus

Per

139. *Nec gladiis, &c.*] Quin & tela, tanquam parum acuta in civium cædem, subigunt cotibus.

140. *Exarsit mucro.*] Splenduit. *Lancea saxo.*] Cuspis lanceæ retusa acuminatur cote subacta.

143. *Stimulos.*] Calcaria.

144. *Si liceat Superos, &c.*] *Si parva licet componere magnis.*

145. *Non aliter, Phlegra, &c.*] Ita, ubi Gigantes Diis bellum indicebant in Phlegræis campis, quos alii in Italia fuisse volunt, inter Cumas & Neapolim, alii in Macedonia, quod innuit poëta in *tollente*, hoc est, montibus congestis, Pelio super imposita Ossa, &c. erigente. *Phlegra.*] Phlegræi campi intrà Cumas jacent & Neapolim. *Hort.*

146. *Martius incaluit Siculis, &c.*] Sicula fornace recoxit Cyclops Martis frameam, Neptuni tridentem, Apollinis sagittas in Pythone conficiendo hebetatas, anguineos crines in capite Medusæ quos Pallas gestabat in ægide, scuto ceu lorica sua; fulmina quibus mox Jupiter usurus erat contra Gigantes apud Pallenen opp. Macedoniæ, quam & Phlegram olim dictam Stephanus ex Eudoxio tradit, & Eustathius in catalogo.

150. *Pallenæa, &c.*] Pallene enim est oppidum Macedoniæ seu Thraciæ, quod & Phlegra aliquando dictum fuit; *Fulmina* ergo *Pallenæa* vocat Poëta, vel quibus mox Jupiter apud Pallenen contrà Gigantes usus est. *Hort. Cyclops.*] Quispiam è ministris Vulcani: *Brontes aut Steropes aut nudus membra Pyracmon.*

151. *Non tamen abstinuit, &c.*] De prodigiis quæ Pompejo cladem portendebant, vide quæ fusius referunt Plut. in Pomp. & Cæs. vitis, Appian. lib. 2. de bello civ. Dio lib. 31. Cæs. comment. 3. Val. Max. l. 1. c. 6. Cn. *inquit Val. Max.* Pompejum Jupiter omnip. abunde monuerat, ne cum C. Cæsare ultimam belli fortunam experiri contenderet: Egresso à Dyrrhachio adversa agmini ejus fulmina jaciens, examinibus apum signa obscurando, subita tristitia

Per varias Fortuna notas. nam Thessala rura
Cum peterent, totus venientibus obstitit æther:
Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes:
155 *Adversasque faces, immensoque igne columnas,*
Et trabibus mistis avidos typhonas aquarum
Detulit, atque oculos ingesto fulgure clausit.
Excussit cristas galeis, capulosque solutis
Perfudit gladiis, ereptaque pila liquavit:
160 *Æthereoque nocens fumavit sulfure ferrum.*
Nec non innumero cooperta examine signa,
Vixque revulsa solo, majori pondere pressum
Signiferi mersêre caput, rorantia fletu,
Usque ad Thessaliam Romana, & publica signa.

Ad-

stitia implicatis militum animis, nocturnis totius exercitus terroribus, ab ipsis altaribus hostiarum fuga, &c. die autem prœlii constat in delubris Deûm sua sponte signa conversa, &c. *Prodere.*] Significare variis portentis futuræ pugnæ eventum. *Hartens.*

153. *Obstitit æther.*] Terruit, ne procederent.

154. *Fregerunt fulmina nubes.*] Nubes refringebant fulmina in faciem & oculos adversos.

155. *Adversasque faces.*] Æther detulit ex adverso Meteora ignita λύχνοις instar facis in superiore parte accensos. *Immensoque, &c.*] Ignis perpendicularis exhalationes formam columnæ pyramidalis referentes; δίνοις, exhalationibus formam trabis repræsentantibus in longum porrectis.

156. *Avidos typhonas.*] Mss. habent *pythonas*: & exponunt scholiastæ, ignes forma serpentum. Fortè *siphonas* legendum. Plin. 11. 49. *Ex eodem genere & in longam veluti fistulam nubes aquam trahit.* Grotius. *Typhonas aquarum.*] Ventos vorticosos qui sine fulmine effringunt nubes; fulmina non ignita, Plin. lib. 2. cap. 48.

158. *Excussit cristas galeis.*] De effectibus ejusmodi fulminis subtilis, discutientis, & urentis, vide Philosophos meteorolog.

160. *Æthereoque nocens fumavit sulfure ferrum.*] Fulmine, quod sulfureæ est naturæ.

161. *Nec non innumero, &c.*] Vide quæ ad ℣. 132. supra.

162. *Vix revulsa solo.*] Signa vix è solo emovit signifer multa vi nixus & inclinatus, quod mali erat ominis. *Majori pondere pressum.*] Quo violentius extrahebat, hoc magis pronum caput in terram fuit. vel majori onere pressus, caput demittere cogebatur. *Hort. Sulp.*

163. *Rorantia fletu, &c.*] Maduere quasi fletu aut sudore simulachra deorum quæ secum ferebant Romani, adhuc publica, donec ea privati juris fecisset pugna Pharsalica.

164. *Publica signa.*] Anaphora est. nam vox *signa* præcessit eadem periodo, versu ante quarto. Dicit autem illa signa fuisse publica Populi Rom. usque ad pugnam Pharsalicam. Postea enim nulla in Cæsarem nisi privata arma. Similis locus Taciti: *Postquam Bruto & Cassio cæsis nulla jam publica arma.* Grot.

Digitized by Google

165 *Admotus Superis discussa fugit ab ara*
Taurus, & Emathios præceps se jecit in agros;
Nullaque funestis inventa est victima sacris.
At tu, quos scelerum Superos? quas ritè vocasti
Eumenidas Cæsar? Stygii quæ numina regni?
170 *Infernumque nefas? & mersos nocte furores?*
Impia tam sævè gesturus bella litasti?
Jam dubium monstrisne Deûm, nimióne pavori
Crediderint: multis concurrere visus Olympo
Pindus, & abruptis mergi convallibus Æmus,
175 *Edere nocturnas belli Pharsalia voces,*
Ire per Ossæam rapidus Bœbeïda sanguis:
Inque vicem vultus tenebris mirantur apertos,
Et pallere diem, galeisque incumbere noctem,
Defunctosque patres, & cunctas sanguinis umbras
180 *Ante oculos volitare suos. sed mentibus unum*

Hoc

165. *Admotus Superis, &c.*] Supra ad ✠ſ.152. & lib.1. ✠ſ. 613. Nunquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia, fuga victimarum, examina, insignes interdiu tenebræ. Florus lib.4 c.2.

167. *Nullaque funestis, &c.*] Quæ litaret, aut victoriam significaret.

168. *At tu, quos scelerum Superos?*] Infestus ubique Cæsari poëta Stygios illum Deos nefarii sceleris autores & Furias solicitasse insimulat; quem tamen Appianus refert nocte media perfectis sacris invocasse Martem, parentemque suam Venerem, templum Victoriæ faventi vovisse, &c.

169. *Eumenidas.*] Furias sic dictas κατ' ἀντίφρασιν, quasi quidvis potius quam propitias & benignas. *Hortens.*

172. *Jam dubium monstrisne Deûm.*] Dubium est apparuerintne illa prodigia, an Panico timore perterriti Pompejani sibi visi sint audire noctu clamorem strepitumque bellicum, videre concursus montium, lacus fluere sanguine, per tenebras aperte videri facies suorum, pallere diem, tenebras circumfundi galearum nitori, parentum & consanguineorum umbras sibi ob oculos versari.

173. *Concurrere.*] Concertare, ut mons monti illidereturr. *Sulpit.*

176. *Ossæam Bœbeïda, &c.*] Lacum Thessaliæ ad radicem Ossæ. *Bœbeïda.*] Mss. variant: Sed veram esse hanc lectionem, docet nos Strabo libri IX. *Grotius.*

177. *Mirantur apertos.*] Imò *opertos*, ut habet Mss. consensus. Vident alter alterius ora subitis tenebris obducta. *Grotius. Apertos.*] Insignes erant interdiu tenebræ, inquit, Florus.

178. *Incumbere.*] Circumfusam esse.

180. *Sed mentibus unum, &c.*] Quod qui utrinque scelesto & impio furebant voto interficiendi patres fratresque, non potuerunt terreri his monstris; quinimo fruebantur, & omen hinc capiebant perpetrandi sceleris quod conceperant.

181. *Voti*

Hoc solamen erat, quòd voti turba nefandi
Conscia, quæ patrum jugulos, quæ pectora fratrum
Sperabat, gaudet monstris, mentisque tumultu,
Atque omen scelerum subitos putat esse furores.
185 *Quid mirum, populos, quos lux extrema manebat*
Lymphato trepidasse metu? præsaga malorum
Si data mens hominî est, Tyriis qui Gadibus hospes
Adjacet, Armeniumque bibit Romanus Araxem:
Sub quocunque die, quocunque est sidere mundi,
190 *Mœret, & ignorat causas, animumque dolentem*
Corripit: Emathiis, quid perdat, nescit in arvis.
Euganeo, si vera fides memorantibus, Augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
195 *Venit summa dies, geritur res maxima, dixit:*
Impia concurrunt Pompeji & Cæsaris arma.

Seu

181. *Voti turba nefandi.*] Omnia hæc de Pompejanis militibus intelligenda sunt, quos extrema lux verè manebat. Nec obstat illud; *Quod* patrum jugulos, &c. In utroque enim exercitu, tum in fratres, tum in omnes paria vincendi erant desideria. *Hortensius.*

185. *Quid mirum, &c.*] Quid vero mirum, si hi, cum loci, tum mortis vicina (in qua multa præscire sæpe datur) mente correpti futurum cladem præsagierint: cum & Romani passim in extremis orbis partibus degentes, eo die mœsti fuerint, neque tamen mœroris causam scirent?

186. *Lymphato.*] Lib. 1. *pf.* 496.

187. *Tyriis qui Gadibus.*] Inf. extremæ Hispaniæ, in qua civitas colonia Tyriorum.

188. *Araxem.*] Armeniæ fluv.

189. *Sub quocunq; die.*] Sub quacunque cœli plaga.

191. *Quid perdat, &c.*] Libertatem suam, pugna hac in Pharsalicis campis oppressam.

192. *Euganeo, &c.*] Patavii, C. Cornelius, divinandi scientia nobilis, cum eo die quo depugnatum est auguria observaret, primo tempus ipsum pugnæ notavit, idque iis qui aderant significavit: deinde ad observanda signa iterum conversus, divino quodam furore afflatus exiluit, vociferatus, *Vincis ô Cæsar, &c.* Plut. in Cæs. Patavini autem dicti sunt Euganei, Henetis & Trojanis oriundi.

193. *Aponus terris, &c.*] Aliis, urbs in agro Patavino: Aliis, fluvius. Mihi fons videtur esse ex Suetonio in Tib. cap. 14.

194. *Antenorei Timavi.*] Fluv. in regione Venetorum, ad cujus fontem Antenor Troja profugus Patavium condidisse fertur. Virg. 1. Æneid. *Dispergitur unda.*] Septem, *aliis novem* ostiis in mare exire creditus, qui tamen ipse hodie vix extat.

Digitized by Google

Seu tonitrus, ac tela Jovis præsaga notavit:
Aëra seu totum discordi obsistere cœlo,
Prospexitque polos: seu lumen in æthere mœstum,
200 *Solis in obscuro pugnam pallore notavit.*
Dissimilem certè cunctis, quos explicat, egit
Thessalicum Natura diem: si cuncta perito
Augure mens hominum cœli nova signa notasset,
Spectari è toto potuit Pharsalia mundo.
205 *O summos hominum, quorum Fortuna per orbem*
Signa dedit, quorum fatis cœlum omne vacavit.
Hæc & apud seras gentes, populosque nepotum,
Sive sua tantùm venient in secula fama,
Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris
210 *Nominibus prodesse potest: cùm bella legentur,*
Spesque metusque simul, perituraque vota movebunt:
Attonitique omnes veluti venientia fata,
Non transmissa legent, & adhuc tibi, Magne, favebunt.
Miles ut adverso Phœbi radiatus ab ictu

Descen-

197. *Seu tonitrus, &c.*] Sive illud è tonitru & fulminibus adverterit, sive è sideorum dispositione, sive è tristi cœli, Solis, ætherisque facie. Fuit enim ille dies omnibus aliis dissimilis: quem si observassent periti ubique augures, non fuerat difficile cladem Pharsalicam in omni mundi parte sensisse.

198. *Aëra seu totum, &c.*] Sive animadvertit, cælestia corpora pugnare cum mundo; ac recusare naturæ lege cursum suum torquere. *Hortens.*

199. *Prospexitque.*] *Perspexitque* habent omnes Mss. *Grotius.*

205. *O summos hominum.*] Lucanus *summos homines* vocat, quos Maro *Romanos rerum dominos. O summos hominum.*] O quanti erant Romani, quantæ supra alias omnes gentes Diis curæ; ut quorum rebus notandis signandisque universum cœlum intentum caverit.

207. *Hæc & apud, &c.*] Atque bella hæc ubi posteri acceperint vel fama vel ex historiarum monimentis, carminis forte hujus mei labore, si modo is sit qui vitalitatem mereatur: varie afficientur, spe bona solicitisque votis (sat scio) Pompejo favebunt. Neque enim legent audientve tanquam transacta & præterita, sed cum studio & affectu tanquam præsentia & eventura.

208. *Sua fama, &c.*] Quæ multis post sæculis in rebus humanis erunt, & ad posteritatem fama hujus pugnæ ac cladis perveniet. *Hortens.*

211. *Perituraque vota movebunt.*] Id est, desiderabunt studiosè lectores, ut Pompejus victor futurus sit. *Sulpit.*

214. *Miles ut adverso, &c.*] Narrat Poëta, quo ordine Pompejus prior suam aciem instruxerit, & quos quibus cornibus præfecerit. *Hortens. Miles.*] Exercitus Pompeji qui importunitate omnium coactus contra animi sui sententiam

215 *Descendens totos perfudit lumine colles,*
Non temerè immissus campis: stetit ordine certo
Infelix acies. cornus tibi cura sinistri
Lentule, cum prima, quæ tum fuit optima bello,
Et quarta legione, datur: tibi numine pugnax
220 *Adverso, Domiti, dextri frons tradita Martis.*
At medii robur belli fortissima densant
Agmina, quæ Cilicum terris deducta tenebat
Scipio, miles in hoc, Libyco dux primus in orbe.
At juxta fluvios, & stagna undantis Enipei,
225 *Cappadocum montana cohors, & largus habenis*

Pon-

tentiam & consilium pugnare, eduxit copias, aciem instruxit. *Adverso Phœbi.*] Orientis Solis radii à fronte percusserunt Pompejanos instructos, Cæsari autem ab ortu Sol aversus profuit.

215. *Perfudit lumine, &c.*] Proinde Cæsar ortum; Pompejus occasum tenebat. *Lumine colles.*] Armorum fulgore.

216. *Non temere immissus campis.*] Prudenter & optimo consilio instructus. Quippe nihil temere facturus Pompejus videbatur. *Appian.*

217. *Infelix acies.*] Iniquo fato cessura, & vincenda. *Cornus tibi cura, &c.*] Lentulo quidem dextrum cornu tribuit Appianus, quod Pompejo Plutarchus, uti sinistrum Domitio. Cæsar autem refert Pompejum præfuisse sinistro cornu, in quo erant legiones duæ, Prima & Tertia sub initio dissensionis à Cæsare traditæ ex S. C. Quod verisimilius est, ut validissimum exercitus firmamentum objiceretur Cæsari, qui erat in dextro cornu cum Sylla & decima legione.

219. *Pugnax.*] Quam pugnax fuerit iste L. Domitius (nam Cn. Domitius à Cæsare stetit mediamque aciem tenuit) vide quæ ad ✠ſ. 479. lib. 2.

220. *Adverso, Domiti.*] Recte. Namque Corfinii obsessus, à suis militibus Cæsari traditus & ab eo demissus. l. 2. Massiliensi classi præfectus & inde victus aufugit. lib. 3. hic victus cæsusque est. infra ✠ſ. 600. *Dextri frons, &c.*] Cornu dextrum.

221. *At medii robur, &c.*] Mediam aciem tuebatur Scipio Pompeji socer, cum 8. legionibus, quas secum habuerat in Syria cui præfuit. advocatus inde à Pompejo per literas. Adjuncta Cilicensi legione, & cohortibus quas ex Hispania traduxerat Afranius.

223. *Miles in hoc, &c.*] Hic militabat sub Pompejo, sed æquo classicorum & prætoris honore, pugnæ mox Pharsalicæ reliquias in Africam traduxit, atque ibi dux creatus est contra Cæsarem.

224. *At juxta fluvios, &c.*] Robur & fiducia belli in Italis erat. Sociorum copiæ hinc inde ad ostentationem prolatæ. Dextrum cornu muniverat Pompejus Enipeo amne, cui Cappadocas & Ponticos equites adjecisse videtur.

225. *Cappadocum, &c.*] Quorum regem fulsse Ariarathem, paulo antè demonstravimus. Ipsa regio montosa est, unde opinor poëtam Cappadocum *cohortem montanam* appellare; sive adeo, quod castra sua in collibus, unde descendebant, habuerint. *Hortens. Largus habenis.*] Laxis usus loris.

Digitized by Google

Ponticus ibat eques. ficci sed plurima campi
Tetrarchæ, regesque tenent, magnique tyranni,
Atque omnis Latio quæ servit purpura ferro.
Illuc, & Libye Numidas, & Creta Cydonas
230 *Misit: Itureis cursus fuit inde sagittis:*
Inde truces Galli solitum prodistis in hostem:
Illic pugnaces commovit Iberia cetras.
Eripe victori gentes, & sanguine mundi
Fuso, Magne semel, totos consume triumphos.
235 *Illo fortè die Cæsar statione relicta,*
Ad segetum raptus moturus signa, repentè
Conspicit in planos hostem descendere campos,
Oblatumque videt votis sibi mille petitum
Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus.
240 *Æger quippe moræ, flagransque cupidine regni,*
Cœperat exiguo tractu civilia bella
Ut lentum damnare nefas. discrimina postquam

Adven-

227. *Tetrarchæ.*] Tetrarcha, qui quartam regni partem tenet. *Regesque tenent.*] Omnes purpurati dynastæ & principes auxiliares.

228. *Quæ servit purpura ferro.*] Summatim omnes purpurati Reges, dynastæ ac principes subjecti imperio Rom. *Hortens.*

229. *Creta Cydonas.*] Sagittarios misit Creta inf. cujus Cydon urbs.

230. *Itureis cursus fuit inde sagittis.*] Iturei pop. Cœl. Syriæ. Plin. lib. 3. cap. 23. Strab. lib. 16. Flav. Vopis. Virgil. Georg. 2. *Ityreos taxi torquentur in arcus.*

231. *Galli.*] Allobroges qui à Cæs. ad Pomp. profugerant lib. 6. ✗ſ. 268. & alii forte. *Solitum prodistis in hostem.*] Cæsarem, contra quem in Gallia olim pugnabatis.

232. *Iberia.*] Hispania. *Cetras.*] Scuta brevia lunata.

233. *Eripe victori gentes.*] Collatas huc omnes undique gentes objice Cæsari, ô Pompei, internecione delendas; ita non erunt quibus imperet, de quibus triumphet.

235. *Illo forte die Cæsar, &c.*] Cæsar, desperata belli copia eâ nocte tres legiones emiserat frumentatum. ubi vero aciem Pompeji longius à vallo progressam videret, suos convocari jussit, & lætus pugnam apparat.

239. *In extremos casus, &c.*] Quo tempore de summa rei dimicaret. *Hortensius.*

240. *Æger quippe moræ.*] Moræ impatientem & certaminis de rerum summa studio ardentem tædere cœperat belli protracti.

241. *Exiguo tractu.*] Parvo momento; vel parvo spatio quo pugna differebatur. *Sulpit.*

242. *Discrimina postquam, &c.*] Verum ubi in procinctu ultimum discrimen adesse vidit, subsedit illi aliquantum

Adventare ducum, supremaque prœlia vidit,
Casuram & fati sensit nutare ruinam,
245 *Illa quoque in ferrum rabies promtissima, paulum*
Languit, & casus audax spondere secundos
Mens stetit in dubio, quam nec sua fata timere,
Nec Magni sperare sinunt: formidine mersa,
Prosilit hortando melior fiducia vulgo.
250 *O domitor mundi, rerum fortuna mearum,*
Miles, adest toties optatæ copia pugnæ.
Nil opus est votis: jam fatum accersite ferro.
In manibus vestris, quantus sit Cæsar, habetis.
Hæc est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
255 *Promissam memini, cujus spe movimus arma,*
In quam distulimus vetitos remeare triumphos.

Hæc

tum ferox animus. *Sed hæc maligne in Cæsarem, ut omnia noster, neque enim illi unquam major alacritas & fiducia, ut testantur omnes historici.*

245. *In ferrum.*] In pugnam. quasi Cæsar delectatus fuisset rabie pugnandi. *Hortens.*

247. *Nec sua fata timere.*] Neque enim sua felicitas permisit illi desperare; neque Pompeji advertenti felicitatem, erat cur valde speraret.

248. *Formidine mersa, &c.*] Quoniam vero ducis sciebat esse, secum metuere omnia; coram milite, nihil: suos oratione cohortaturus, *Spem vultu simulat, premit altum corde timorem.*

249. *Melior fiducia.*] Dubius erat spei metusque: sed metu suppresso, spem aperit, ut quæ utilior incitandis militum animis. Dux secum metuere omnia debet; coram milite, nihil. *Grot.* Vel *fiducia.*] Qui melius videret suis rebus, quam vulgus militum, quos ad pugnam hortaretur. *Hortens.*

250. *O domitor, &c.*] Oratio Cæsaris ad milites, generis deliberativi, hortatoria est, ad prælium fortiter ineundum. Captat benevolentiam, reddit attentos: narrat: perstringit adversarium. Hortatur à spe commodorum, & primum quidem à præcedentibus promissis. Perorat aptè. *Hortens. Mundi, &c.*] Galliæ, Germaniæ, Britanniæ, Hispaniæ C C C C. fere nationibus patriæ additis. ut habet Appianus in oratione quam Cæsari affingit, quam si placet cum hac conferas.

251. *Adest toties optatæ, &c.*] Copia pugnæ quam toties optavimus data, non ociosis votis, sed strenuis gladiis fabricanda est nobis fortuna nostra.

253. *In manibus vestris.*] Fortunam, virtutem, liberalitatem, fidem Cæsaris, totum denique Cæsarem, quantus est, habetis.

254. *Mihi quam Rubiconis.*] Lib. I. ✠ 359.

256. *In quam distulimus, &c.*] Quæ fortiter & prospere gesta dabit, nobis dilatos negatosque triumphos. Vel qui dies non solum nobis dabit victoriam, sed belli civilis finem: distulimus enim triumphos superiores de bello Gallico & Britannico, quos inimici nobis negarunt. *Hortens.*

Digitized by Google

Hæc eadem est hodie, quæ pignora, quæque penates
Reddat, & emerito faciat vos Marte colonos.
Hæc, fato quæ teste probet, quis justius arma
260 *Sumserit, hæc acies victum factura nocentem est.*
Si pro me patriam ferro flammisque petistis,
Nunc pugnate truces, gladiosque exolvite culpa.
Nulla manus belli, mutato judice, pura est.
Non mihi res agitur, sed vos, ut libera sitis
265 *Turba, precor, gentes ut jus habeatis in omneis.*
Ipse ego privatæ cupidus me reddere vitæ,
Plebejaque toga modicum componere civem:
Omnia dum vobis liceant, nihil esse recuso.
Invidia regnate mea. nec sanguine multo
270 *Spem mundi petitis: Grajis delecta juventus*

Gymna-

257. *Quæ pignora, &c.*] Quæ vos hostes declaratos restituat patriæ, conjugibus, liberis: quæ vos stipendiis defunctos debellatoque bello militiæ eximat, agrisque donet.

258. *Et emerito.*] Ita melius quam *emeritos*. Hæc dies bello debellato, colonos vos faciet. *Grot. Emerito.*] Alii, *emeritos*.

259. *Hæc fato teste.*] Hodie fatum, hoc est, prædestinatio divina testabitur præsenti nostra victoria; nostrane caussa justior sit, an inimicorum. *Hortens. Fato quæ teste, &c.*] Ita Cic. pro Ligario de hac ipsa causa. *Nunc melior certe ea judicanda est, quam etiam Dii adjuverunt.* lib. 1. ✠ f. 128. & Cæsar apud Appianum. *Hæc dies cunctorum adferet judicium.*

261. *Si pro me, &c.*] Lib. 1. ✠ f. 378.

262. *Gladiosque.*] Justitiam causæ gladiis adstruite. *Exolvite culpâ.*] Si enim Dii victoriam dederint, ea testabitur culpam in inimicis esse, ac vos juste gladios strinxisse, *Hortens.*

263. *Mutato judice.*] Sub adversario judice.

266. *Ipse ego privatæ cupidus, &c.*] Intrà urbem enim nec Dictatores, nec Coss. nec alii magistratus in alia veste quam in prætexta fuere: extrà urbem paludati. Quoties ergò Dictatores propter negotia urbana creati, ii prætexta more reliquorum. Sylla deposita Dictatura, & ejus insigni toga prætexta, togæ communi, id est, puræ reddidit; quod & Cæsar de se hic ait. *Ferrarius. Privatæ, &c. Plebeiaque toga.*] Me in ordinem redigere.

269. *Invidia regnate mea.*] Vestra licentia cedat in invidiam meam. mihi invideatur, modo vos regnetis. *Nec sanguine multo.*] Non difficile est (inquit Cæsar apud Appianum) tyrones inexpertosque viros ab his, qui laboribus ac præliis assueti sunt, superari, &c. & hæc de Italis loqui me putare. Sociorum quippe nulla cura aut ratio habenda est, neque enim cum illis pugnandum credite. Mancipia sunt è Syria, Phrygia & Lydia ad fugiendum continuo serviendumque parata, &c.

270. *Grajis delecta juventus.*] Delicati ac molles Græci, lingua & ludis quam manu & armis promptiores.

272. *Vix*

Gymnasiis aderit, studioque ignava palæstræ,
Et vix arma ferens, & mistæ dissona turbæ
Barbaries; non illa tubas, non agmine moto
Clamorem latura suum. civilia paucæ
275 *Bella manus facient: pugnæ pars magna levabit*
His orbem populis, Romanumque obteret hostem.
Ite per ignavas gentes, famosaque regna,
Et primo ferri motu prosternite mundum:
Sitque palam, quas tot duxit Pompejus in urbem
280 *Curribus, unius gentes non esse triumphi.*
Armeniosne movet, Romana potentia cujus
Sit ducis? aut emtum minimo vult sanguine quisquam
Barbarus Hesperiis Magnum præponere rebus?
Romanos odêre omnes, dominosque gravantur,
285 *Quos novêre, magis. sed me Fortuna meorum*
Commisit manibus, quorum me Gallia testem
Tot fecit bellis. cujus non militis ensem
Agnoscam? cœlumque tremens cùm lancea transit,

Di-

272. *Vix arma ferens, &c.*] Imbelles Barbari linguis confusi, disciplinæ inexperti & inepti, neque laturi ipsa concurrentium agminum signa & clamores. *Mistæ dissona turbæ.*] Turba barbarorum confusa diversarum gentium linguis, quæ res vehementer in prælio victoriæ obest; ubi nulla gens in pugna alterius linguam intelligit. *Hortens.*

274. *Civilia paucæ, &c.*] Non adeo multi cives sunt adversus quos dimicandum est, maximus pugnæ labor versabitur in conficiendis gentibus externis, levandoque orbe his populis Rom. nominis hostibus.

277. *Ite per ignavas gentes.*] Sternite ac proculcate ignavas has & infames gentes promiscue hic collectas.

280. *Curribus.*] Triumphis. *Unius gentes non esse triumphi.*] Non dignas esse, de quibus unus agatur triumphus.

281. *Armeniosne movet, &c. Romanos odêre omnes.*] Creditisne gentes has externas curare quis Rom. Imperio præsit? aut sanguinis sui vel minima impensa laboraturos ut Pompejus rebus Italicis præficiatur? Imo odere Romanos, quibus gravate serviunt: & eos quam nos impensius; quos meminerunt sibi servitium hoc imposuisse.

282. *Aut emptum minimo.*] Ita Ms. non *nimio.* An externi vel minimum sanguinis impendere velint rei ad se non pertinenti? *Grotius.*

285. *Sed me Fortuna meorum.*] Pompejus se hostibus victis: at ego me amicis victoribus, quorum virtus, fides, probitas toties mihi spectata est in Gallicis bellis, credidi.

287. *Cujus non militis.*] Tela propc singulorum meorum novi.

288. *Lancea transit cælum.*] Velut per aëra. *Sulpit.*

Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto.
290 *Quòd si signa ducem nunquam fallentia vestrum*
Conspicio, faciesque truces, oculosque minaces:
Vicistis. videor fluvios spectare cruoris,
Calcatosque simul Reges, sparsumque Senatus
Corpus, & immensa populos in cæde natantes.
295 *Sed mea fata moror, qui vos in tela ruentes*
Vocibus his teneo. veniam date bella trahenti:
Spe trepido: haud unquam vidi tam magna daturos,
Tam prope me Superos: camporum limite parvo
Absumus à votis. ego sum, cui Marte peracto,
300 *Quæ populi, Regesque tenent, donare licebit.*
Quone poli motu, quo cœli sidere verso,
Thessalicæ tantum, Superi, permittitis oræ?
Aut merces hodie bellorum, aut pœna paratur.
Cæsareas spectate cruces, spectate catenas,
305 *Et caput hoc positum rostris, effusaque membra,*
Septorumque nefas, & clausi prœlia campi.
Cum duce Syllano gerimus civilia bella.
Vestri cura movet. nam me secura manebit

Sors

290. *Ducem.*] Me.

292. *Vicistis.*] Jam dudum certa vobis in manu est victoria.

295. *Mea fata.*] Victoriam meam.

297. *Trepido.*] Gestio, exulto.

298. *Tam prope me Superos.*] Tam quasi in procinctu præsentes & propitios.

299. *Votis.*] Victoria expetita. *Ego sum, &c.*] *A spe amplissimorum præmiorum eos accendit.*

301. *Quone poli motu, &c.*] Duplex interrogatio. Simile loquendi genus in decimo; *quantosve tumores Mente gerit famulus Magni cervice revulsa.* Grotius. *Quone poli motu, &c.*] Qua cœli facie & influxu permissum est Thessaliæ, ut sit tanti certaminis area? infra, ✠ſ. 847. Quo ne, id est, quonam, ut lib. 10. ✠ſ. 99.

304. *Cæsareas spectate cruces.*] *A metu pœnarum*, quæ me & vos pœnæ & cruciatus manent, si victi fuerimus.

305. *Caput hoc positum rostris.*] Caput hoc meum affixum rostris, qualia Syllanis temporibus facta vidimus.

306. *Septorumque nefas.*] Hoc est, Comitii, in quo stans populus Rom. suffragia ferre solebat. *Septa* hæc loca vocabantur in Campo Martio inclusa tabulatis, specie ovilium. Hinc & *septa* pro ovilibus subinde ponuntur. quare per epexegesin addit, *clausum campum.* Hortens. *Septorumque nefas.*] Vide quæ ad ✠ſ. 196. lib. 2.

307. *Duce Syllano.*] Pompejo crudelitatem Syllæ, cujus magister equitum fuerat, referenti. lib. 1. ✠ſ. 326.

308. *Nam me secura, &c.*] De vobis soli-

Digitized by Google

Sors quæsita manu: fodientem viscera cernet
310 *Me mea, qui nondum victo respexerit hoste.*
Dii, quorum curas abduxit ab æthere tellus,
Romanusque labor, vincat, quicunque necesse
Non putat in victos sævum distringere ferrum,
Quique suos cives, quòd signa adversa tulerunt,
315 *Non credit fecisse nefas. Pompejus in arcto*
Agmina vestra loco vetita virtute moveri
Cùm tenuit, quanto satiavit sanguine ferrum!
Vos tamen hoc oro juvenes, ne cædere quisquam
Hostis terga velit: civis, qui fugerit, esto.
320 *Sed dum tela micant, non vos pietatis imago*
Ulla, nec adversa conspecti fronte parentes
Commoveant: vultus gladio turbate verendos.
Sive quis infesto cognata in pectora ferro
Ibit, seu nullum violabit vulnere pignus,
325 *Ignoti jugulum tanquam scelus imputet hostis.*

Ster-

solicitus sum. quid de me faciam, certum est. namque hæc dextra, si non victoriam mihi, necem certe dabit.'

311. *Dii.*] O Dii, Romano huic discrimini intenti, illi è nobis concedite victoriam qui majorem clementiam in victos exerciturus sit. *Quorum curas tellus, &c.*] Qui curatis terrena & Romanum imperium. *Abduxit ab æthere.*] Removit, ut non solum cælestia consideretis. *Sulpit.*

312. *Quicunque necesse, &c. Quique suos cives.*] Qui non sævit in eos cives qui contra se arma induerint. qui victis & in suam potestatem redactis parcit. Quod ego usque feci.

315. *Pompejus in arcto.*] Pompejus vero, cum ad Dyrrhachium vos gemini valli angustiis clausos & fortitudinem vestram exercere loco iniquo impeditos oppressisset, ad satietatem cives cecidit. lib. 6. pf. 163.

318. *Ne cædere quisquam, &c.*] Nolite hostes fugientes tam insequi, quam oppositos & pertinaciter in acie resistentes invadere.

319. *Civis, qui fugerit, esto.*] Fugientes civium loco habere. Cæsar quippe multo ante Romæ testatus fuerat, se inter amicos habiturum eos qui neutram partem sequerentur. Pompejus vero discedens ab urbe in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui in castris Cæsaris fuissent.

320. *Sed dum tela micant.*] Adversis autem & repugnantibus ne parcite. etiamsi fuerint cognati, fratres, verendi patres.

322. *Gladio turbate verendos.*] Ferite faciem venerandorum patrum. *Sulpit.*

325. *Ignoti jugulum tanquam scelus imputet hostis.*] Ita legit H. Grotius ex M. S. hoc sensu: Etiamsi quis propinquum nullum invenerit quem occidat, cædem ego ignoti cujusvis tanto in beneficio accipiam, quam si mea causa parti-

Digitized by Google

Sternite jam vallum, fossasque implete ruina,
Exeat ut plenis acies non sparsa maniplis.
Parcite ne castris: vallo tendetis in illo,
Unde acies peritura venit. vix cuncta locuto
330 *Cæsare, quemque suum munus trahit, armaque raptim*
Sumta viris: celeres capiunt præsagia belli;
Celeratisque ruunt castris: stant ordine nullo,
Arte ducis nulla: permittunt omnia fatis.
Si totidem Magni soceros, totidemque petentes
335 *Urbis regna suæ funesto in Marte locasses,*
Non tam præcipiti ruerent in prœlia cursu.
Vidit ut hostiles in rectum exire catervas
Pompejus, nullasque moras permittere bello,
Sed Superis placuisse diem: stat corde gelato
340 *Attonitus: tantoque duci sic arma timere*
Omen erat. premit inde metus, totumque per agmen

Sub-

parricidium fecisset. *vel*, pro scelere habeat externi hostis jugulum petere, cum propinqui ad manum. Cæteri leg. *impetat*, hac mente: Quicunque contra stabit resistetque, ejus jugulum petite, nullo discrimine, cognatus ne an alienus sit, habito. Micyl.

326. *Sternite jam vallum, &c.*] *Cæsar apud Appianum.* Ad pugnam exeuntes diruite mœnia, fossas opplete, ut nihil nisi victores abeamus. Videant nos hostes ipsi destitutos castris, sciantque nobis ex necessitate injunctum esse, eorum castris potiri, aut in prœlio cadere.

328. *Vallo tendetis in illo.*] Tentoria figetis intra vallum Pomp. castrorum.

331. *Celeres capiunt præsagia belli.*] Festini demoliuntur vallum castrorum, tanquam victoriæ omen capientes suprema Cæsaris verba: *Vallo tendetis in illo, unde, &c.*

332. *Ordine nullo, Arte ducis nulla.*] Imo instructis opt. consilio ordinibus procedebant. Dextro enim cornu ubi erat decima legio præfuit Sylla, & ipse Cæsar contra Pompejum (supra versu 217.) restitit: Antonius sinistrum cornu tenebat, ubi legio Nona adjuncta Octava: in media acie erat Cn. Domitius. Ne vero à multitudine equitum circumveniretur, celeriter ex tertia acie singulas cohortes detraxit, atque ex his quartam instituit, equitatuique opposuit, &c. comment. civ. bell. 3.

334. *Si totidem Magni soceros.*] Ea celeritate ruebant in prœlium, ac si singuli fuissent Cæsares; singuli sibi hac pugna regnum appetiissent.

335. *Locasses.*] Nostra emendatio est. antea *locasset*. Si *locasses*, hoc est, si quis locasset: *In cœlum jusseris, ibit.* Si tamen cum Mss. malis *locasset*, refer ad Cæsarem. Si, inquit, Cæsar totidem alios Cæsares in acie constituisset, non poterant magis ad pugnam calere. *Grot.*

337. *In rectum, &c.*] Recta ex adverso in se tendere.

339. *Gelato.*] Formidine. sic supra de Cæsar. *vs.* 242.

341. *Omen erat.*] Inauspicatum. *Premit*

Sublimi provectus equo: Quem flagitat, inquit,
Vestra diem virtus, finis civilibus armis,
Quem quæsistis, adest. totas effundite vires;
345 *Extremum ferri superest opus, unaque gentes*
Hora trahit. quisquis patriam, carosque penates,
Qui sobolem, ac thalamos, desertaque pignora quærit,
Ense petat: medio posuit Deus omnia campo.
Causa jubet melior Superos sperare secundos:
350 *Ipsi tela regent per viscera Cæsaris, ipsi*
Romanas sancire volent hoc sanguine leges.
Si socero dare regna meo, mundumque paravent,
Præcipitare meam fatis potuêre senectam.
Non iratorum populis urbique Deorum est
355 *Pompejum servare ducem. quæ vincere possent*
Omnia contulimus. subiêre pericula clari
Sponte viri, sacraque antiquus imagine miles.
Si Curios his fata darent, reducesque Camillos

Tem-

mit inde metus.] Supprimit, dissimulat. *premit altum corde timorem.*

342. *Quem flagitat.*] In discrimen rerum.

343. *Finis civilibus armis.*] Ultimus belli labor.

345. *Una hora trahit.*] Unius horæ prælium tot gentes orbis vocat in periculum vitæ; ut vel succumbant; vel victores patriæ, conjugibus & liberis suis restituantur. *Hort. Quisquis patriam.*] Sibi quisque reditum ad suos ense, in hoc prœlio struat.

349. *Causa jubet melior, &c.*] Conscientia (inquit Pompejus apud Appianum) causæ nobis optima, pro libertate enim & patria pugnamus, jure legum freti, opinione recta, totque præcellentibus stipati viris, &c.

351. *Sancire leges.*] Leges per Cæsarem propè eversas rursum stabilire & confirmare. *Hort. Hoc sanguine.*] Cæsaris. *Leges.*] Libertatem.

352. *Si socero dare, &c.*] Si orbis imperium in Cæsarem conferre statuissent Dii; me certe patriæ libertatis defensorem è vita sustulissent: Me vero propitii in vivis retinere voluerunt.

355. *Quæ.*] Tanta præterea potentia, tam ingentes apparatus, &c. Pompejus apud Appianum. *Vincere possent.*] Victoriam conferre.

356. *Subiere pericula, &c.*] Totque præcellentibus stipati vitis, quorum pars Senatorii ordinis est, pars equestris, &c. Pomp. apud Appian. Reges item, tetrarchæ, dynastæ, multique alii nobilitate & gravitate venerandi.

357. *Sacraque imagine miles.*] Veteani milites; quique illustribus majoribus orti sunt; quorum imagines recensere possent. *Hortens.*

358. *Si Curios his fata darent, &c.*] Si jam Curius Camillus, Decii (de quibus dictum lib. 2. ℣. 544. lib. 6. ℣. 787. & lib. 2. ℣. 308.) in vivis essent, continentissimi

Digitized by Google

Temporibus, Deciosque caput fatale voventes,
360 *Hinc starent. primo gentes oriente coactæ,*
Innumeræque urbes, quantas in prœlia nunquam
Excivêre manus. toto simul utimur orbe.
Quicquid signiferi comprensum id limite cœli
Sub Noton, & Borean hominum sumus, arma movemus.
365 *Nonne superfusis collectum cornibus hostem*
In medium dabimus? paucas victoria dextras
Exigit: at plures tantum clamore caterva
Bella gerent. Cæsar nostris non sufficit armis.
Credite pendentes è summis mœnibus urbis
370 *Crinibus effusis hortari in prœlia matres.*
Credite grandævum, vetitumque ætate Senatum
Arma sequi, sacros pedibus prosternere canos:
Atque ipsam domini metuentem occurrere Romam.
Credite, qui nunc est, populum, populumque futurum
375 *Permistas afferre preces. hæc libera nasci,*
Hæc vult turba mori. si quis post pignora tanta
Pompejo locus est, cum prole, & conjuge supplex,
Imperii salva si majestate liceret,
Volverer ante pedes. Magnus, nisi vincitis, exul,
380 *Ludibrium soceri, vester pudor, ultima fata*

Depre-

nentissimi illi viri & constantissimi patriæ assertores, à nostra parte starent.

360. *Primo gentes.*] Ultima ex Asia adsunt auxiliares.

362. *Toto simul utimur orbe.*] Totius orbis viribus.

363. *Quicquid signiferi, &c.*] Ex omni pop. subjecto Zodiaco, ab extremo Noto ad ultimum Boream degentes habemus auxilia.

365. *Nonne superfusis collectum, &c.*] Annon facile erit expansa acie & equitatu circumvenire hostes nobis numero longe cedentes? Cæsar habuit cohortes 80. quæ summa erat 22000. quem numerum Pompejus duplo superabat, præter externos. Cæsari erant 1000. equites, Pompejo 7000.

369. *Credite pendentes, &c.*] Credite matronas Romæ & Senatores per ætatem arma sequi impotentes, ipsam urbem timentem ne libertatem amittat, cives jam viventes & postmodo nascituros, me denique cum conjuge & liberis supplicem, si fas est, implorare operam vestram hodie strenue navatam.

375. *Hæc libera nasci.*] Futura postera.

376. *Hæc vult.*] Præsens. *Pignora tanta.*] Res, quæ vobis debent esse charissimæ, uxores, Senatum, Romam, libertatem vestram & posteritatis.

380. *Ultima fata, &c.*] Exilio, imo ipsa

Deprecor, ac turpes extrenii cardinis annos,
Ne discam servire senex. Tam mœsta locuti
Voce ducis flagrant animi, Romanaque virtus
Erigitur, placuitque mori, si vera timeret.
385 *Ergo utrinque pari concurrunt agmina motu*
Irarum: metus hos regni, spes excitat illos.
Hæ facient dextræ, quicquid non expleat ætas
Ulla, nec humanum reparet genus omnibus annis,
Ut vacet à ferro. gentes Mars iste futuras
390 *Obruet, & populos ævi venientis in orbem*
Erepto natale feret. tunc omne Latinum
Fabula nomen erit: Gabios, Vejosque, Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ,
Albanosque lares, Laurentinosque penates
395 *Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coacta*

Invi-

ipsa morte fœdiorem gravioremque servitutem deprecor, in senectute multo magis gravem & sub ipsa vitæ meæ clausula.

381. *Extremi cardinis annos.*] Ut enim januæ in cardinibus versantur; ità ultima vitæ humanæ pars in senectute vertitur. Extremus enim vitæ cardo est senectus, in qua ultima ætas se vertit. *Sulpit. Hortens.*

383. *Romanaque.*] Si quidem vere Pompejus timeret, ne interiret Rom. libertas, *vel* si Rom. virtus vere tim.

386. *Metus hos, &c.*] Metus tyrannidis Pompejanos: spes summi imperii Cæsarianos.

387. *Hæ facient dextræ.*] Hoc prœlium eam hominum cædem dabit, cui restituendæ non sufficient omnes anni insequentes, etiam in pace perpetua acti.

389. *Ut vacet.*] Quantumvis. *Vacet à ferro.*] Vivat in pace. *Sulpit.*

390. *Et populos ævi, &c.*] Et auferet venturæ ætatis prolem, sublatis iis, qui sobolem prôpagassent.

391. *Erepto natale feret.*] Pro *auferet*, tollet è rebus humanis, ut ex iis nulli procreentur. *Ævi venientis*, pro temporis insequentis populos. Et *natale* pro natali dixit. *Hortens. Tunc omne Latinum, &c.*] Vix fidem inveniet apud posteros nomen & gloriam Italiæ tantam fuisse.

392. *Gabios.*] Italiæ urbem in via Prænestina, à Rom. 20. M. pass. *Vejosque.*] Etruriæ opp. 18. M. pass. ab Urbe. *Coramque.*] Latii pop. inter Velitram & Senam.

394. *Albanosque lares.*] Longam Albam à Tullo Hostilio eversam dirutamque. *Laurentinosque.*] Laurentum, oppid. Latii maritimum, regiam Latini.

395. *Rus vacuum, &c.*] Omnes has urbes desolatas & vastas factas ostendent ruinæ, & loca inculta, nisi quod novi Coss. in monte Albano celebrent Ferias Latinas ex instituto Numæ, l. 5. ℣. 401. *Nocte coacta.*] Id est, ipse coactus ad sacra, quæ illic fiunt Jovi Albano in Latinis feriis ex vetere Numæ Pompilii instituto. Cæterum Latinæ feriæ

Digitized by Google

Invitus, questusque Numam jussisse, Senator:
Non ætas hæc carpsit edax, monimentaque rerum
Patria destituit: crimen civile videmus,
Tot vacuas urbes. Generis quò turba redacta est
400 *Humani? toto populi qui nascimur orbe,*
Nec muros implere viris, nec possumus agros.
Urbs nos una capit: vincto fossore coluntur
Hesperiæ segetes: stat tectis putris avitis
In nullos ruitura domus: nulloque frequentem
405 *Cive suo Romam, sed mundi face repletam,*
Cladis eò dedimus, ne tanto in tempore bellum
Jam posset civile geri: Pharsalia tanti
Causa mali. cedant feralia nomina Cannæ,
Et damnata diu Romanis Allia fastis.

Tem-

feriæ erant conceptivæ, ut ipsi vocabant, quæ singulis annis à magistratibus in dies certos vel incertos concipiebantur, quibus pro communi salute totius Latii, Jovi Latiali, in monte Albano sacra fiebant, idque à præfecto urbis Latinarum feriarum caussa creato. In his feriis populis Latinis carnes dividebantur ex præscripto vetusti fœderis inter Romanos & Latinos percussi, Sp. Cassio, & Posthumo Cominio Coss. *Hort. Nocte coactæ.*] Ipse Senator coactus, *vel* nocte, qua coactæ urbes Lat. 47. ejus sacri participes conveniant.

397. *Non ætas hæc carpsit edax.*] Neque has urbes edax vetustas absumpsit; sed civile bellum in culpa, lib. 1. ℣ſ. 24. *Monumentaque rerum, &c.*] Sensus est: crimen civile in causa est, cur videmus tot patria monumenta collapsarum urbium, quæ nulla ætas diminuit. Vel videmus tot urbes vacuas, esse crimen civile. *Hortens.*

398. *Crimen civile, &c.*] Italiæ ædificia non ætas destituit, sed jacent culpa belli civilis. Vide proœmium Pharsaliæ. *Grotius.*

402. *Vincto fossore, &c.*] Agros servitia compedibus vincta colunt, dominis civili bello extinctis.

404. *In nullos ruitura domus.*] Ut quæ incolis destituta sit.

405. *Mundi face repletam.*] Colluvie omnium gentium. Juven. Sat. 3. ℣ſ. 61. *quota portio fæcis Achææ, &c.*

406. *Ne tanto in tempore bellum.*] A pugna Pharsalica, ad nostram usque tempestatem quamvis triumvirale bellum, non pauca hominum millia absumpserit. *Hortens.*

407. *Pharsalia tanti.*] Ea in Pharsalicis campis clades sustulit omnem exinde civilis belli segetem, tam parvo civium numero superstite.

408. *Cedant feralia nomina Cannæ.*] Cladi huic Pharsalicæ cedant Cannæ. (lib. 2. ℣ſ. 46)

409. *Damnata diu Romanis Allia fastis.*] XVII. Kal. Sextiles, Allienſis in fastos (de quibus lib. 5. ℣ſ. 5.) relatus inter atros dies, quod eo die Tribuni militum legiones ad Alliam fluv. educentes, à Gallis victi sunt & Urbem amiserint.

410. *Tum-*

410 *Tempora signavit leviorum Roma malorum:*
Hunc voluit nescire diem. prò tristia fata.
Aëra pestiferum tractu, morbosque fluentes,
Insanamque famem, permissasque ignibus urbes;
Mœniaque in præceps laturos plena tremores
415 *Hi possent explere viri: quos undique traxit*
In miseram Fortuna necem, dum munera longi
Explicat eripiens ævi, populosque, ducesque,
Constituit campis: per quos tibi Roma ruenti
Ostendat quàm magna cadas. quò latiùs orbem
420 *Possedit, citiùs per prospera fata cucurrit.*
Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis:
Te geminum Titan procedere vidit in axem.
Haud multum terræ spatium restabat Eoæ,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,

Omnia-

410. *Tempora signavit, &c.*] Fasti loquuntur leviores illas clades Alliensem & Cannensem, tacent hanc Pharsalicam gravem & tristem memoram.

412. *Aëra pestiferum tractu.*] Sufficiissent hi qui in prœlio Pharsalico ceciderunt separandis damnis humani generis è peste & morbis contagiosis, è fame, incendiis, terræ motibus. *Morbosque fluentes.*] Contagiosos, qui urbes exhauriunt. *Hortens.*

414. *In præceps laturos, &c.* Id est, hi viri explere potuissent tremores laturos mœnia urbium in præceps.

415. *Quos undique traxit.*] Quos ab omni orbis terræ parte in unam hanc cladem contractas protrivit fortuna.

416. *Dum munera longi, &c.*] Dum una quasi synopsi explicitas fortuna rursus eripuit tot multorum annorum victorias & triumphos.

417. *Explicat eripiens, &c.*] Dum ipsa fortuna *explicat*, id est, detegit sese, qualis esset (nam prius visa est favorabilis) eripiens scil. Romæ, munera longi ævi, id est, quicquid per tot sæcula contulerat, una hora auferens. quasi dicat, hoc prœlio Fortuna tot sæculorum munera, victorias & triumphos Romano imperio rursum eripuit. *Badius. Glaream.* Vel *eripiens munera*, id est, subtrahens eos, qui intra multos annos nati sunt. *Explicat.*] In pugna extendit. *Sulpit.*

419. *Quam magna cadas.*] Hinc enim Roma videre poterat, quas vires habuisset, & quam magnas amisisset. *Hortens.* *Quò latius orbem, &c.*] Breviori gyro Roma è summa rerum cecidit, quam quo tam amplum nacta fuerat imperium.

421. *Omne tibi bellum gentes.*] Singulis annis singulâ bella tibi adjecerunt alias post alias gentes.

422. *In axem.*] Ad Septentrionem, & meridiem.

423. *Haud multum terræ.*] Restabant Parthi tantum & Indi armis subigendi, ut ab Oriente ad Occidentem universus terrarum orbis Rom. imperio subjiceretur.

425 *Omniaque errantes stellæ Romana viderent.*
Sed retro tua fata tulit par omnibus annis
Emathiæ funesta dies. hac luce cruenta
Effectum, ut Latios non horreat India fasces,
Nec vetitos errare Daas in mœnia ducat:
430 *Sarmaticumque premat succinctus Consul aratrum:*
Quòd semper sævas debet tibi Parthia pœnas,
Quòd fugiens civile nefas, redituraque nunquam
Libertas, ultra Tigrim, Rhenumque recessit,
Ac, toties nobis jugulo quæsita, negatur,
435 *Germanum, Scythicumque bonum: nec respicit ultrà*
Ausoniam: vellem, populis incognita nostris:
Vulturis ut primùm lævo fundata volatu

Romu-

425. *Romana viderent.*] Romanis subdita.

426. *Sed retro tua fata tulit.*] Sed unus hic Thessalici prœlii dies tot retro annorum fœlicia fata subvertit. *Par omnibus annis.*] Qui tantum damnum attulit, quantum utilitatis omnes anni superiores. *Sulpit.*

427. *Hac luce cruenta, &c.*] Hoc prœlio factum est, ut Romani Imperii majestas & gloria fieret contemptior apud exteras gentes, Indos, Daas, Sarmatas, Parthos.

428. *Fasces.*] Coss. summum Imperium.

429. *Nec vetitos errare Daas.*] Neque Scythiæ popul. ἀιχμοφορήτους vagis urbes constituat Consul.

430. *Sarmaticumque premat succinctus Consul.*] Neque Sarmatis urbis loca designet Consul succinctus; quod fiebat aratro, subjunctis vacca & tauro, sulcum ducente ubi mœnia ponerentur.

431 *Quod semper sævas debet.*] Quod Romani non ulti sunt Crassos cæsos, legiones victas & signa ablata. lib. 1. ℣. 10.

432. *Quod fugiens civile nefas.*] Quod periit nobis libertas, fuga extra Rom. Imperii terminos avecta, fugiens civile nefas, nunquam reditura.

433. *Ultra Tigrim.*] Quasi dicat, ultra terminos Imperii Romani. Sed cum infra dicat Germanis & Scythis concessam libertatem, vereor ne *Tanaim*, sit legendum, quem ultra Scythæ, ut trans Rhenum Germani. ultra Tigrim certè Parthi regnabantur, non autem liberi erant. Itaque opponit Tacitus: *Acrior Arsacis regno Germanorum libertas.* Grotius. *Tigrim, Rhenumque.*] *Tanaim* legi oportere videtur. propter *Scythicum* quod sequitur, & cui convenit, uti *Rheno Germanum.* Parthi ultra Tigrim agnoverunt regem: ut mox ℣. 442. Scythiæ ultra Tanaim liberi erant.

434. *Jugulo quæsita.*] Mortis discrimine, dum tyrannos è medio tollere aggredimur.

435. *Germanum, Scythicumq; bonum.*] Libertas; bonum quo fruuntur Germani & Scythæ.

436. *Vellem, &c.*] Quam libertatem utinam Romani non novissent unquam; sed ab Urbe condita ad hæc usque Thess. cladis tempora sub regibus serviissent.

437. *Vulturis ut primum, &c.*] Ubi augu-

Romulus infami complevit mœnia luco,
Usque ad Thessalicas servisses Roma ruinas.
440 *De Brutis, Fortuna, queror. quid tempora legum*
Egimus, aut annos à Consule nomen habentes?
Felices Arabes, Medique, Eoaque tellus,
Quam sub perpetuis tenuerunt fata Tyrannis.
Ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra est,
445 *Quos servire pudet. Sunt nobis nulla profectò*
Numina: cùm cæco rapiantur secula casu,
Mentimur regnare Jovem. spectabit ab alto
Æthere Thessalicas, teneat cum fulmina, cædes?
Scilicet ipse petet Pholoën? petet ignibus Oeten,
450 *Immeritaque nemus Rhodopes, pinusque minanteis?*
Cassius hoc potius feriet caput? astra Thyesta
Abstulit, & subitis damnavit noctibus Argos:
Tot similes fratrum gladios, patrumque gerenti

Thes-

angurio captato de nomine novæ urbi imponendo, Remo sex vultures apparuerunt, Romulo 12. atque illius tempus hujus superaret numerus.

438. *Infami complevit mœnia luco.*] Ad quod asylum in luco, à Romulo ad augendum imperium, apertum confugêre servi, judiciis obnoxii, scelerati. *Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.* Juven. Sat. 8. ℣. ult.

439. *Thessalicas ruinas.*] Cladem Pharsalicam.

440. *De Brutis.*] De Junio Bruto, qui ejecto Tarquinio ult. regum, libertatem intulit, quam diu retentam amittere jam grave est, libet queri. *Quid tempora, &c.*] Quid prodest summa æquitate sub legibus vixisse, & Coss. quorum nominibus numerantur signanturque anni. lib. 5. ℣. 5.

442. *Arabes, &c.*] Qui semper regibus paruerunt.

444. *Ex populis, &c.*] Nos omnium postremi in id jugum ex libertate incidimus, quod non nisi gravate & cum pudore perpetimur.

446. *Cum cæco rapiantur, &c.*] Frustra, ut video, Deos esse credimus, frustra timemus Jovem, siquidem hæc scelera non curet vindicare, si quidem hæc tam lentus videat, tam lentus puniat. *Vitam regit fortuna, non providentia.*

449. *Scilicet ipse, &c.*] *Feriunt summos fulmina montes.* Sed quid montes meruere pati? quin Cæsar potius fulminatur?

451. *Cassius hoc potius feriet caput?*] Et cur Cæsaris caput reservatur potius Cassii (unius è percussoribus Cæs.) ferro, quam tuo fulmine jam feritur? *Astra Thyesta.*] Jup. repulit Solem in ortum, execratus scelus Atrei in fratrem (vide Senecæ Thyesten & quæ nos ad ult chorum) cur non idem hic facit detestatus præsentia hinc inde tot parricidia?

452. *Argos.*] Mycenas Argis vicinas, Pelopidarum sedem.

Theſſaliæ dabit ille diem? mortalia nulli
455 *Sunt curata Deo. cladis tamen hujus habemus*
Vindictam, quantam terris dare numina fas eſt.
Bella pares Superis facient civilia divos:
Fulminibus manes, radiiſque ornabit, & aſtris,
Inque Deûm templis jurabit Roma per umbras.
460 *Ut rapido curſu fati ſuprema morantem*
Conſumsêre locum: parva tellure diremti,
Inde manum ſpectant, vultuſque agnoſcere quærunt,
Quò ſua pila cadant, aut quà ſibi fata minentur,
Facturi quæ monſtra forent. vidêre parentes
465 *Frontibus adverſis, fraternaque comminus arma,*
Nec libuit mutare locum: tamen omnia torpor
Pectora conſtrinxit: gelidusque in viſcera ſanguis
Perculſa pietate coit: totæque cohortes
Pila parata diu tenſis tenuêre lacertis.

Dii

455. *Cladis.*] Ironice.

457. *Bella pares.*] Bellum hoc rerum ſummam deferet Imperatoribus, qui in deorum numerum referentur.

458. *Fulminibus.*] Hæc propter fulmina 2. ode Horat. & ſtellam crinitam quæ per ſeptem dies continuo fulſit, credita Cæſaris in cœlum recepti anima. Suet. Cæſ. cap. 88. Virgil. 9. Ecl. quin & ſimulachro Cæſaris ſtellam in vertice addiderunt. *Manes.*] Animas Cæſ.

459. *Inque Deûm templis.*] *Emphatica Ironia:* quaſi præſentiora ſint numina umbræ Imperatorum quam ipſi Dii. *Jurabit Roma per umbras. Jurandaſque tuum per nomen ponimus aras.* Horatius 1. epiſt. lib. 2.

461. *Parva tellure diremti.*] Ubi jam inter duas acies tantum erat relictum ſpacii, quantum ſatis eſſet ad concurſum utriuſque exercitus: ſubit recordatio affinitatis, & pœnitentiæ indicia manarunt lacrymæ.

462. *Inde manum ſpectant.*] Multis è diverſis lectionibus hanc concinnavimus. Ubi propius hoſtem ventum eſt, aſpiciunt quos petant vultus, quæ ipſis minentur manus, quæ denique facturi eſſent ſcelera. *Grotius. Inde manum ſpectant, &c.*] Multitudinem exponit Micyllus. Supra ℣ſ. 320. dixerat Cæſar ſe agnoſcere ſuos ex enſibus & lanceis ſingulos, juſſeratque non parcere ſuis. Quid igitur ſi ita intelligamus? circumſpiciunt utrinque ſi quem in adverſa acie agnoſcant ex armis teliſque aut vultu, ut habeant in quem pila mittant, amicorum, hoſpitum, cognatorum cædes, imo monſtroſa parricidia perpetraturi.

464. *Quæ monſtra.*] Crudeles cædes aut ſcelera. *Sulpit.*

466. *Mutare locum.*] Recedere aut progredi. *Italanatio*, inquit Appianus, *magno ſilentio immota reſtitit. Torpor conſtringit.*] Omnes exanimati ſtabant, & perculſi: inter tot enim virorum millia qui concurſuri erant, multa horrenda contigerunt præter opinionem. *Hort.*

470. *Dii*

470 *Dii tibi non mortem, quæ cunctis pœna paratur,*
Sed sensum post fata tua dent, Crastine, morti,
Cujus torta manu commisit lancea bellum,
Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit.
O præceps rabies, cùm Cæsar tela teneret,
475 *Inventa est prior ulla manus! tunc stridulus aër*
Elisus lituis, conceptaque classica cornu:
Tunc ausa dare signa tuba: tunc æthera tendit,
Extremique fragor convexa irrumpit Olympi:
Unde procul nubes, quò nulla tonitrua durant.
480 *Excepit resonis clamorem vallibus Æmus,*
Peliacisque dedit rursus geminare cavernis:
Pindus agit gemitus, Pangæaque saxa resultant,
Oetæaque gemunt rupes. vocesque furoris
Expavere sui tota tellure relatas.
485 *Spargitur innumerum diversis missile votis.*

Vul-

470. *Dii tibi non mortem.*] Imprecatur poëta æternas pœnas sensumque mortis Crastino, qui commisit acies.

471. *Crastine morti.*] Erat hic Crastinus in exercitu Cæsaris evocatus, hoc est, emeritus miles, qui in gratiam imperatoris iterum sponte militabat. is signo dato, *Sequimini me*, inquit, *manipulares mei qui fuistis, & vestro imperatori quam constituistis operam date, &c.* simul respiciens Cæsarem; *Faciam*, inquit, *hodie imperator, ut aut vivo mihi aut mortuo gratias agas, &c.* Com. 3. Cæs. qui mox adacto in os gladio, sic inter cadavera repertus, libidinem ac rabiem qua pugnaverat, ipsa novitate vulneris præferebat. Florus lib. 4. cap. 2.

475. *Inventa est, &c.*] Promptiorne in pugnam quam ipsius Cæsaris? *Manus.*] Crastini. *Tunc stridulus aër.*] Statim, inquit Appianus, lituorum sono & tubarum clangore acuuntur in prælium. nec non præcones & præfecti hinc inde discurrentes, exercitum, per partes hortabantur.

476. *Classica.*] Classicum est & ipsa tuba, vel sonus quo milites convocari & ad pugnam etiam excitari solebant: hinc *Classicum canere*, pro ad rem quampiam excitare. *Hortens.*

477. *Tendit.*] Pro intendit & implet.

478. *Extremique fragor, &c.*] Concurrentium clamor pervenit ad convexa cœli; vel (ut constet poëtæ numerus montium) Olympi montis Thessaliæ, qui secundam aëris regionem, in qua nubes & tonitrua, cacumine superat.

480. *Æmus.*] Mons Thraciæ. lib. 6. ✠s. 579.

481. *Peliacisque dedit, &c.*] Resonum clamorem & Echo reddiderunt cavernæ Pelii montis Thess.

482. *Pindus agit.*] Mons Thess. *Pangæaque saxa resultant.*] Mons Thraciæ. lib. 1. ✠s. 679.

483. *Vocesque furoris, &c.*] Milites pugnantes expavere resonos repercussosque à montibus suos clamores.

485. *Spargitur, &c.*] *Vulnera pars optat,*

Vulnera pars optat, pars terra figere tela,
Ac puras servare manus. rapit omnia casus;
Atque incerta facit, quos vult, Fortuna nocentes.
Sed quota pars cladis jaculis, ferroque volanti
490 *Exacta est? odiis solus civilibus ensis*
Sufficit, & dextras Romana in viscera ducit.
Pompeji densis acies stipata catervis,
Junxerat in seriem nexis umbonibus arma.
Vixque habitura locum dextras, ac tela movendi
495 *Constiterat, gladiosque suos compressa tenebat.*
Præcipiti cursu vesanum Cæsaris agmen
In densos agitur cuneos: perque arma, per hostem
Quærit iter, quà torta graves lorica catenas
Opponit, tutoque latet sub tegmine pectus.
500 *Hac quoque perventum est ad viscera: totque per arma*
Extremum est, quod quisque ferit. civilia bella
Una acies patitur, gerit altera: frigidus inde
Stat gladius; calet omne nocens à Cæsare ferrum.
Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens,

Abstu-

optat, &c.] Alii certa ferire, alii irrita errare sua tela volunt.

489. *Sed quota pars, &c.*] Minimum tamen cædis à sagittis & jaculis, multo maximum à gladiis.

492. *Pompeji densis acies, &c.*] Clypeis junctis testudine facta ad excipienda tela & primum excursum infringendum constitit acies Pompejana ex præcepto ipsius. Cæsaris itaque milites, cum à Pompejanis non concurri viderent, usu periti, sua sponte cursum represserunt & ad medium fere spatium constiterunt; ubi parvo intermisso temporis spatio, respiratione facta, resumptis viribus renovatoque cursu, pila miserunt, celeriterque gladios strinxerunt. Neque vero Pompejani huic rei defuerunt. nam & tela exceperunt, & impetum legionum tulerunt, & ordines conservarunt, pilisque missis ad gladios redierunt. Comment. 3. de civ. bell.

497. *In densos cuneos.*] Cuneus proprie est multitudo peditum cuneum repræsentans; quæ juncta cum acie, primum angustior, deinde latior procedit, ad ordines hostium diffringendos. *Cuneos.*] Vide lib. 6. ✱ſ. 184.

498. *Catervas.*] Hamos & licia loricæ, quæ conserta est ex annulis ceu catenulis.

501. *Extremum est.*] Intima pars.

502. *Una acies patitur.*] Pompejana. *Altera.*] Cæsariana.

503. *Stat gladius.*] A Pompejana parte. *Calet omne, &c.*] Contrà Cæsarianorum gladii stricti, calido sanguine assiduè maduerunt. *Hortens.*

504. *Nec Fortuna diu rerum.*] Nec fortu-

505 *Abstulit ingenteis fato torrente ruinas.*
Ut primùm toto diduxit cornua campo
Pompejanus eques, bellique per ultima fudit:
Sparsa per extremos levis armatura maniplos
Insequitur, sævasque manus immittit in hostem.
510 *Illic quæque suo miscet gens prælia telo:*
Romànus cunctis petitur cruor: inde sagittæ,
Inde faces, & saxa volant, spatioque solutæ
Aëris, & calido liquefactæ pondere glandes.
Tunc & Iturei, Medique Arabesque, soluto
515 *Arcu turba minax, nusquam rexêre sagittas:*
Sed petitur solus, qui campis imminet aër!
Inde cadunt mortes: sceleris sed crimine nullo
Externum maculant chalybem; stetit omne coactum

Cir-

fortuna belli erat diu anceps: statim ad Cæsarem inclinavit. *Pondera vergens.*] Ita Ms. Hoc est, librans velut eventu dubio. *Grotius.*

505. *Fato torrente.*] Præcipiti & declivi instar torrentis.

506. *Ut primùm toto diduxit, &c.*] Equites à sinistro Pompeji cornu, universi procurrerunt; omnisque multitudo sagittariorum se profudit. quorum impetum noster equitatus non tulit, verum paulum loco motus cessit. equites Pompejani hoc acrius instare & se turmatim explicare, aciemque nostram à latere aperto circuire cœperunt, &c. mox ad ℣. 521.

507. *Per ultima belli fudit.*] Equites Pompejani postquam dextrum & sinistrum cornu in planitiem deduxerunt, in apertam & ultimam pugnam, manipulares levis armaturæ, insequuti fuerunt. *Hortens.*

508. *Levis armatura.*] Levis armaturæ milites, Ferentarii, Sagittarii, Funditores, Balistarii. Veget. lib. 2. *Maniplos, &c.*] Manipulus proprie est contubernium militum, qui conjunctis quasi manibus dimicabant: trigesima pars legionis.

511. *Inde sagittæ.*] A militibus levis armaturæ.

512. *Spatioque solutæ, &c.*] Per attritionem aëris intermedii ex veloci motu liquefactæ sunt pilæ plumbeæ in figuram glandium formatæ, & fundis emissæ. Motu autem accensos colliquescere plumbeos sagittarum mucrones fatetur Aristot. lib. de cœlo & Meteor. *Non secus exarsit quam cum Balearica plumbum Funda jaçit, volat illud, & incandescit eundo: Et, quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.* Ovid. Metam. 2.

514. *Iturei, &c.*] Supra ℣. 230.

515. *Nusquam rexere sagittas.*] In nullum direxere adversas: sed in aërem misere, unde caderent letiferæ.

517. *Mortes.*] Pro sagittæ mortiferæ. *Sceleris sed crimine.*] Sed scelere vacabant hæ sagittæ ab externis gentibus in Romanos missæ. nefas cumulatum admiserunt civium utrinque pila.

518. *Externum maculant chalybem.*] Quia nemini lethale vulnus inflixerunt, sed leniter extrema cuspis sanguine imbuta

Circa pila nefas: ferro subtexitur æther,
520 *Noxque super campos telis conserta pependit.*
Tum Cæsar metuens, ne frons sibi prima labaret
Incursu, tenet obliquas post signa cohortes:
Inque latus belli, quà se vagus hostis agebat,
Immittit subitum non motis cornibus agmen.
525 *Immemores pugnæ, nulloque pudore timendi*
Præcipites fecêre palàm, civilia bella
Non bene barbaricis unquam commissa catervis.
Ut primùm sonipes transfixus pectora ferro,
In caput effusi calcavit membra regentis:
530 *Omnis eques cessit campis, glomerataque pubes*
In sua conversis præceps ruit agmina frænis.
Perdidit inde modum cædes, ac nulla secuta est
Pugna: sed hinc jugulis, hinc ferro bella geruntur.
Nec valet hæc acies tantum prosternere, quantum
535 *Inde perire potest. Utinam Pharsalia campis*

Suffi-

buta fuit. *Stetit omne coactum, &c.*] Sed soli Romani qui pilis utebantur, coactim cædem faciebant. *Hortens.*

519. *Æther.*] Telorum nube obductus. In umbra itaque (inquit Lacon) pugnabitur.

521. *Tum Cæsar metuens, &c.*] Ubi Cæsar advertit equitatum suum impetum Pompejanorum equitum & sagittariorum non ferre, quartæ aciei quam ex cohortium numero instituerat, ut subsidio esset equitatui & dextro cornui, signum dedit. illi celeriter procurrentes tanta vi in Pompeji equites, fecerunt, ut eorum nemo consisteret, omnesque conversi incitata fuga montes peterent. quibus summotis omnes sagittarii & funditores destituti inermes sine præsidio interfecti sunt.

523. *Vagus hostis agebat.*] Pompejanus eques, turmatim se explicans & discurrens ad circumeundum aciem Cæsaris. *Hortens.*

524. *Subitum non motis cornibus agmen.*] Cohortes illas subsidiarias quartæ aciei, è 3000. peditibus.

525. *Immemores pugnæ, &c.*] Pompejani equites auxiliares terga vertentes ostenderunt civilis belli momentum non bene creditum fuisse his externis & barbaris. *Timendi.*] Spernendi, quia fugere non pudebat.

528. *Ut primum, &c.*] Ubi equi Pompejanorum, quartæ illius aciei telis saucii, excusserunt pronos sessores; fugam capessunt equites.

532. *Perdidit inde modum cædes.*] Non temperatum est cædibus; non interficiendi modus servatus est.

533. *Sed hinc jugulis.*] Jugulantur Pompejani, cadunt Cæsariani. vide quæ ad ℣. 617. infra.

534. *Nec valet hæc acies, &c.*] Nec sufficiunt Cæsariani, conficiendis Pompejanis, utpote quorum multo major numerus.

536. *Suf-*

Sufficiat cruor iste tuis, quem barbara fundunt
Pectora, non alio mutentur sanguine fontes.
Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros:
Aut si Romano compleri sanguine mavis,
540 *Istis parce precor: vivant Galataque, Syrique,*
Cappadoces, Gallique, extremique orbis Ibêri,
Armenii, Cilices: nam post civilia bella
Hic populus Romanus erit. Semel ortus in omnes
It timor, & fatis datus est pro Cæsare cursus.
545 *Ventum erat ad robur Magni, mediasque catervas;*
Quod totos errore vago perfuderat agros:
Constitit hîc bellum, fortunaque Cæsaris hæsit.
Non illic regum auxiliis collecta juventus
Bella gerit, ferrumque manus movêre togatæ:
550 *Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.*
Hîc furor, hîc rabies, hîc sunt tua crimina Cæsar.

Hanc

536. *Sufficiat cruor iste tuis.*] Nec Romano sang. ruberent fluvii.

538. *Hic numerus totos tibi.*] Barbarorum, externorum. *Vestiat ossibus agros.*] Tegat, spargat.

540. *Istis parce precor.*] Istis externis gentibus parce, ut sint, qui bello finito, civitate donati Romam tueantur. *Galataque, &c.*] Pop. Asiæ juxta Paphlagoniam, Gallogræci.

541. *Extremique orbis Iberi.*] Occidui Orbis incolæ Hispani.

543. *Semel ortus in omnes, &c.*] Ubi à paucis trepidari cœpit, omnes in fugam ruunt. quod Cæsari victoriæ momentum dedit. *Tunc*, inquit Florus, *terrore latius dato, turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta est. Nec ulla res magis exitio fuit, quam ipsa exercitus magnitudo.*

544. *Fatis datus est pro Cæsare cursus.*] In fatis fuit, ut Cæsar victoria potiretur, & prosperè rem gereret. *Hortens.*

545. *Robur Magni, &c. Constitit hic bellum.*] Firmissimas copias quæ erant circa Pompejum. Cohortes illæ quartæ aciei eodem quo fuderant equitatum impetu, sinistrum cornu, pugnantibus etiam tum ac resistentibus in acie Pompejanis, circumierunt, eosque à tergo sunt adorti. Et tertiam aciem, quæ quieta hucusque fuerat, Cæsar procurrere jussit, quos recentes cum Pompejani sustinere non possent, universi terga verterunt. Comment. 3. civ. bell.

546. *Errore vago, &c.*] Certamine multiplici.

547. *Hæsit.*] Retardata est.

548. *Non illic regum, &c.*] Non hic steterunt reges socii, auxiliares copiæ & senatus; sed Romani utrinque milites iidemque cognati, fratres, patres, filii.

549. *Togatæ.*] Præfert hanc lect. è Ms. 2. Grotius. videtur tamen loqui de copiis sociorum. feratur itaque & altera lectio *rogatæ*, id est, exoratæ & accitæ ad suppetias ferendas.

551. *Hic furor, hic rabies.*] Inter cives, cognatos, &c.

Digitized by Google

Hanc fuge mens partem belli, tenebrisque relinque,
Nullaque tantorum discat, me vate, malorum,
Quàm multum bellis liceat civilibus, ætas.
555 *Ah potiùs pereant lacrymæ, pereantque querelæ.*
Quicquid in hac acie gessisti Roma, tacebo.
Hic Cæsar, rabies populi, stimulusque furoris,
Ne qua parte sui pereat scelus, agmina circum
It vagus, atque ignes animis flagrantibus addit.
560 *Inspicit & gladios, qui toti sanguine manent,*
Qui niteant primo tantùm mucrone cruenti,
Quæ presso tremat ense manus, quis languida tela,
Quis contenta ferat, quis præstet bella jubenti,
Quem pugnare juvet, quis vultum cive peremto
565 *Mutet: obit latis projecta cadavera campis.*
Vulnera multorum totum fusura cruorem
Opposita premit ipse manu. quacunque vagatur
Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
Bistonas aut Mavors agitans, si verbere sævo
570 *Palladia stimulet turbatos ægide currus,*

Nox

552. *Hanc fuge mens, &c.*] Per Apostrophen ad seipsum, fingit se prætermissurum horrendam civilis hoc in loco pugnæ faciem, quam tamen maxime & nimium exaggerat.

555. *Pereant lacrymæ.*] Ne deploremus, ne conqueramur, ne utamur hac pietate. *Sulpit.*

556. *Tacebo.*] Ne questu recrudescat dolor.

557. *Rabies populi.*] OEstrum Bellonæ, incitator suorum circumquaque percurrit.

559. *Ignes animis, &c.*] Incitamenta crudelitatis.

560. *Inspicit & gladios.*] Advertit quo animo, quibus viribus, quo vultu quisque pugnet.

562. *Quæ presso, &c.*] Quis timide & quasi invitus feriat, quis alacriter.

563. *Quis præstet bella jubenti.*] Quis jussu potius quam voluntate pugnet.

566. *Vulnera multorum, &c.*] Suorumne pie; an adversariorum crudeliter?

568. *Bellona.*] Belli dea, Martis soror, furialis Enyo. *Flagellum.*] Quo bellantes instigare fingitur.

569. *Bistonas aut Mavors agitans.*] Thracas, à Bistone urbe & stagno, cui bellicosæ genti Mars præsidere creditur. *Gradivumque patrem Geticis qui præsidet agris.* Virg. 3. Æneid.

570. *Ægide currus.*] Scutum ceu lorica Palladis, in quo caput Medusæ homines in lapides convertens, & respicere videtur ad Palladis apparatum & suppetias contra Martem, Venerem & Troas. Homer. Iliad. 5.

571. Nox

Nox ingens scelerum, & cædes oriuntur, & instar
Immensæ vocis gemitus, & pondere lapsi
Pectoris arma sonant, confractique ensibus enses.
Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
575 *Adversosque jubet ferro confundere vultus.*
Promovet ipse acies: impellit terga suorum:
Verbere conversæ cessantes excitat hastæ.
In plebem vetat ire manus, monstratque Senatum.
Scit cruor imperii qui sit, quæ viscera legum:
580 *Unde petat Romam, libertas ultima mundi*
Quo steterit ferienda loco. permista secundo
Ordine nobilitas, venerandaque corpora ferro

Urgen-

571. *Nox ingens scelerum.*] Confusio cæca, nullo habito discrimine.

572. *Et pondere lapsi.*] Hometicum illud expressit, quod in Iliade frequens est; Δύπησεν δ' ἵππων, ἀφέσαντες δ' ἅρματα καλά. 574. *Subicit gladios.*] Subjicit. subministrat.

575. *Adversosque jubet, &c.*] Multus in eo prœlio Cæsar fuit, mediusque inter imperatorem & militem. Voces quoque obequitantis exceptæ, altera cruenta, sed docta & ad victoriam efficax; *Miles facium feri:* altera ad jactationem composita; *Parce civibus.* Florus. præceperat Cæsar suis, ut tela in ora & facies adversariorum intentarent. fore enim ut juvenes formosi facici suæ timentes vultus tegerent vel averterent. Sed stratagema hoc consilio tam levi vix tanto Imperatore dignum videtur Jano Rutgersio lib. 1. var. lect. cap. 4. longe itaque aliud fuisse consilium putat. Cæsarem scil. veritum ne suorum militum ardor, conspectis popularibus & propinquis defervesceret, imperasse ut vultus eorum ferro turbarentur, ne agnoscerentur, & huc faciant quæ supra pag. 320. & 465. & infra pag. 627.

578. *Monstratque Senatum.*] In quem omnem pugnæ rabiem convertant; ut qui belli & injuriarum caussæ & fontes essent; quum à plebe culpa omnis abesset.

579. *Scit cruor imperii, &c.*] Id est, novit, quorum cæde ipse ad imperium pervenire posset; quibus superstitibus difficile foret. Scit, quorum sanguine Imperium redimere potest. *Hortensius. Imperii qui sit.*] Senatus scil. quo fuso expeditior sibi ad summum imperium sternatur iter. *Quæ viscera legum.*] Emendatio est nostra, eleganti, ni fallimur, metaphora. Ante, *Regum.* atqui Regibus, nihil cum Senatu, de quo hic sermo. Illi enim seorsim apud sua quisque auxilia. *Grotius. Legum.*] Alii leg. *rerum.*

580. *Unde petat Romam.*] A quibus Imperium Romanum petat, quibus extorqueat monarchiam. *Libertas ultima.*] Libertatis propugnatores summi & ultimi.

581. *Permista secundo, &c.*] Equitibus permistus senatus. tres enim Rom. ordines, Patritius, Equester, Plebejus.

582. *Venerandaque corpora, &c.*] Nobiles illustrium familiarum viri cujusmodi

Urgentur: cædunt Lepidos, cædunteque Metellos,
Corvinosque simul, Torquataque nomina legum,
585 *Sæpe duces, summosque hominum te, Magne, remoto.*
Illic plebeja contectus casside vultus,
Ignotusque hosti, quod ferrum Brute tenebas!
O decus imperii, spes ô suprema Senatus,
Extremum tanti generis per secula nomen,
590 *Ne rue per medios nimium temerarius hostes,*
Nec tibi fatales admoveris antè Philippos,
Thessalia periture tua. nil proficis istic
Cæsaris intentus jugulo: nondum attigit arcem

Juris,

modi paucos enumerat, Lepidos, Metellos, Val. Corvinos, Manlios Torquatos.

584. *Torquataque nomina legum.*] Qui legunt *regum* multum torquentur ut *Torquata nomina* concilient *regibus*. Alii intelligunt reges torquatos עקם duces torquibus ornatos. Alii familiam Manliorum cui cognomen Torquati à torque detracta Gallo cæso qui eum in singulare certamen provocaverat, Liv. lib. 7. A. Gell. lib. 9. cap. 13. & regium illud insigne Torquatis convenire volunt. Grotius emendat *legum* ut modo ✠ſ. 579. *legum nomina*, hoc est, liberæ reipublicæ. Hanc si admittamus correctionem; concipio, Torquatos severissimos assertores legum dici, sicut *Manliana imperia*, severa illa & rigida propter filium securi feriri jussum, &c. Liv. lib. 8. vel respici ad libertatem & Consulare imperium, quod noster *legum* nomine sæpe exprimit. supra versu 440. & lib. 9. 267. 385. 560. Nomina autem Torquata, id est, ipsos Torquatos ut mox ✠ſ. 589. Nodum vero solvisse litemque sustulisse videtur, qui legit: *Torquataque nomina regum Sæpe duces.* Lepidos scil. Metellos, Corvinos, Torquatos, illustres viros, quorum auspiciis Reges ipsi sæpe militaverint. sic lib. 8. ✠ſ. 207. & lib. 10. ✠ſ. 136. & lib. 3. ✠ſ. 88. *Nomina legum.*] Sic & antehac Grotius legendum censuit; sed deinde sequutus est Cl. Joh. Rutgersium, qui distinctione locum sic sanat: *Torquataque nomina, Regum Sæpe duces, &c.* Grotius.

585. *Sæpe duces, summosque hominum.*] Cædunt tribunos, consulares, senatores, summos omnes excepto Pompejo.

586. *Illic plebeja, &c.*] Illic Marcus Brutus plebeiis armis tectus latuit Cæsarianos jussos petere viros principes, modo ✠ſ. 578.

587. *Quod ferrum Brute tenebas.*] Quo postmodo Cæsarem eras occisurus, ut libertatem restitueres.

589. *Extremum tanti, &c.*] Ultima gentis Brutorum à Junio Bruto, qui reges exegit, ortorum. quem tamen absque virili stirpe periisse refert Dionys. Halicarn.

590. *Ne rue per medios, &c.*] Parce tibi neque per temeritatem accersere tibi mortem præmaturam. reserva te ad facinus oportuniore tempore perpetrandum.

591. *Nec tibi fatales, &c.*] Non in hoc civili bello in Pharsalia, sed altero & tuo, in Philippis ab Antonio & Octavio victus. vide quæ ad ✠ſ. 680. l. 1.

593. *Nondum attigit, &c.*] Nondum est assecutus *ἀκμὴν* & summum Imperii,

Juris, & humanum culmen, quo cuncta reguntur
595 *Egressus, meruit fatis tam nobile letum:*
Vivat, &, ut Bruti procumbat victima, regnet.
Hic patria perit omne decus: jacet aggere magno
Patritium campis commista plebe cadaver.
Mors tamen eminuit clarorum in strage virorum
600 *Pugnacis Domiti; quem clades fata per omneis*
Ducebant. nusquam Magni fortuna sine illo
Succubuit: victus toties à Cæsare, salva
Libertate perit: tunc mille in vulnera latus
Labitur, ac venia gaudet caruisse secunda.
605 *Viderat in crasso versantem sanguine membra*
Cæsar, & increpitans; Jam Magni deseris arma,
Successor Domiti: sine te jam bella geruntur.
Dixerat: ast illi suffecit pectora pulsans
Spiritus in vocem, morientiaque ora resolvit.
610 *Non te funesta scelerum mercede potitum,*
Sed dubium fati Cæsar, generoque minorem
Aspiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et securus eo: te sævo Marte subactum,
Pompejoque graveis pœnas, nobisque daturum

Cùm

peiii, ut mereatur cadere manu Bruti, cujus familiæ opus est reges tollere. vivat regnetque prius, ut, &c.

594. *Humanum culmen, &c.*] Nondum superavit summum honorem Roman. quo cuncta reguntur.

597. *Decus.*] Nobiles patricii, ut seq. *Aggere magno.*] In magno acervo. *Hortensius.*

600. *Pugnacis Domiti.*] L. 2. ✠ f. 479. *Quem clades, &c. nusquam Magni.*] Supra ✠ f. 220.

602. *Salva, &c.*] Patria nondum in servitutem redacta.

603. *Tunc mille in vulnera, &c.*] Ipsene multis vulneribus confossus? an inter suncios omni ex parte & cadentes? L. vero Domitius ex castris in montem refugiens, cum vires eum lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus. Cæs. comment. 3.

604. *Venia gaudet caruisse secunda.*] Primam enim consecutus fuerat ad Corfinium. ut lib. 2. ✠ f. 512. & quæ ad ✠ f. 522.

607. *Successor Domiti.*] Quia successurum se Cæsari in bellum Gallicum speraverat. *Grotius. Successor Domiti.*] Lib. 2. ✠ f. 478.

612. *Stygias Magno, &c.*] Morior tamen liber, te nondum victoriam plene consecuto, nedum summum Imperium, nec dum patriam à te oppressam conspiciens.

616. *Den-*

615 *Cùm moriar, sperare licet. non plura locutum*
Vita fugit, densæque oculos pressere tenebræ.
Impendisse pudet lacrymas in funere mundi
Mortibus innumeris, ac singula fata sequentem
Quærere, letiferum per cujus viscera vulnus
620 *Exierit; quis fusa solo vitalia calcet;*
Ore quis adverso, demisso faucibus ense,
Expulerit moriens animam; quis corruat ictu,
Quis steterit, dum membra cadunt: qui pectora telis
Transmittant, aut quos campis affixerit hasta:
625 *Quis cruor emissus perruperit aëra venis,*
Inque hostis cadat arma sui: quis pectora fratris
Cædat, &, ut notum possit spoliare cadaver,
Abcisum longe mittat caput: ora parentis
Quis laceret, nimiaque probet spectantibus ira
630 *Quem jugulat, non esse patrem. mors nulla querela*
Digna sua est, nullosque hominum lugere vacamus.
Non istas habuit pugna Pharsalia parteis,

Quas

616. *Densæque oculos, &c.*] Σκότος δὲ οἱ ὄσσε ἐκάλυψεν. Homer.

617. *Impendisse pudet, &c.*] Digreditur rursum ab instituto in excusationem, quamobrem non persequatur ordine singulorum cædem, & circumstantias cladis non persequatur. Et quum dicit *in funere mundi*, amplificatio cladis est, quasi in ea mundus concidisset. *Hortens.* *Impendisse pudet, &c.*] In tanta clade, quanta mundi summo Imperio grave inflixit vulnus, non libet, non vacat singulas mortes & vulnera lacrymis luctuque prosequi. Ex Pompejano exercitu circiter millia XV. ceciderunt: in deditionem venerunt amplius millia XXIIII. Cæsar non amplius CC. desideravit. Sed in his centuriones XXX. Comment. 3.

618. *Singula fata.*] Diversos casus & & diversa mortis genera. *Hortens.*

620. *Vitalia.*] Sunt propriè interioris corporis, in quibus maximè vita sita est, ut Cor, cerebrum, hepar & intestina, &c. *Hortens.*

621. *Ore quis adverso.*] Ita intercidit Crastinus. supra ad ℣. 471.

623. *Dum membra.*] Truncatus membra. *Qui pectora telis, &c.*] Mss. *quis pectora tela Transmittat.* Grotius.

625. *Perruperit aëra venis.*] Prosiliverit, & autoris arma conspersérit.

628. *Abcisum longe, &c.*] Ut impius possit eum tanquam ignotum spoliare, neque agnoscatur esse frater.

629. *Nimiaque probet, &c.*] Et jam lacerum, apud eos, qui cum indignatione spectaret, patrem esse diceret.

631. *Sua est.*] Singulari & propria, ut modo ℣. 617.

632. *Non istas habuit, &c.*] Dilatat amplificationem hujus cladis cum aliis com-

Quas alia clades: illîc per fata virorum,
Per populos hîc Roma perit: quod militis illîc,
635 *Mors hîc gentis erat: sanguis ibi fluxit Achæus,*
Ponticus, Assyrius: cunctos hærere cruores
Romanus, campisque vetat consistere torrens:
Majus ab hac acie, quàm quod sua secula ferrent,
Vulnus habent populi: plus est quàm vita, salusque,
640 *Quod perit: in totum mundi prosternimur ævum.*
Vincitur his gladiis omnis, quæ serviet, ætas.
Proxima quid soboles, aut quid meruêre nepotes
In regnum nasci? pavidè num gessimus arma?
Teximus aut jugulos? alieni pœna timoris
645 *In nostra cervice sedet. post prælia natis*
Si dominum Fortuna dabas, & bella dedisses.
Jam Magnus transisse Deos, Romanaque fata
Senserat infelix: tota vix clade coactus

For-

comparatæ: modo, & eventu, mox sc. 638. *Partes.*] Formam pugnæ & sortem. *Sulpit.*

633. *Aliæ clades.*] Ad Trasimenum, Trebiam, Ticinum, Alliam, Cannas, &c. *Illic per fata virorum.*] Ibi numerabantur milites cæsi: hic gentes & populi.

635. *Sanguis ibi fluxit Achæus.*] Ibi nationis alicujus unius sanguis fusus est, hic multarum promiscue: Romani autem permisti copia fecit ut instar torrentis flueret.

636. *Cunctos hærere cruores.*] Ingentem Romanorum cædem eo indicat argumento; quod hærentem sanguinem barbarorum cruor ille impulerit. *Sulpitius.*

637. *Torrens.*] Copia Romani cruoris fluentis. *Sulpit.*

638. *Quam quod sua sæcula ferrent.*] Illa tempora pati possent: nam antea Punicis: modò Syllanis & Marianis prælliis erant attrita. *Sulpit.*

639. *Plus est quam vita.*] Perit scil. libertas pop. Rom. eaque posteris in perpetuum interituta.

643. *In regnum nasci.*] In servitutem sub Impp. *Pavide num gessimus arma?*] Nunquid nos timide libertatem propugnavimus? Annon jugulum nostrum & cervicem gladiis opposuimus, quo posteros servituti eximeremus?

644. *Alieni pœna timoris.*] Nos pœnam damus timoris posterorum: proinde, ô Fortuna, cum dederis posteris dominos, quibus servient, hoc est, Cæsares & Tyrannos; eadem via & bellum & pugnas illis ipsis dedisses; non autem nobis, aut certè utrisque. *Hortensius.*

645. *Post prælia natis.*] Si vellet Fortuna posteris libertatem adimere, par erat ut & bellum iis daret, quo ipsi pro se decertarent.

647. *Transisse Deos.*] A se ad Cæsarem. *Ferus omnia Jupiter Argos Transtulit.* Virg. 2. Æneid.

648. *Tota vix clade, &c.*] Nondum

coa-

Fortunam damnare suam. stetit aggere campi
650 *Eminus, unde omneis sparsas per Thessala rura*
Aspiceret clades, quæ bello obstante latebant.
Tot telis sua fata peti, tot corpora fusa,
Ac se tam multo pereuntem sanguine vidit.
Nec, sicut mos est miseris, trahere omnia secum
655 *Mersa juvat, gentesque suæ miscere ruinæ:*
Ut Latia post se vivat pars maxima turbæ,
Sustinuit dignos etiam nunc credere votis
Cœlicolas, voluitque sui solatia casus:
Parcite, ait, Superi cunctas prosternere gentes:
660 *Stante potest mundo, Romaque superstite, Magnus*
Esse miser. si plura juvant mea vulnera, conjux
Est mihi, sunt nati; dedimus tot pignora fatis.
Civiline parum est bello, si meque, meosque
Obruat? exiguæ clades sumus, orbe remoto?
665 *Omnia quid laceras? quid perdere cuncta laboras?*
Jam nihil est Fortuna meum. sic fatur: & arma,
Signaque, & afflictas omni jam parte catervas
Circuit, & revocat matura in fata ruentes,

Seque

coactus tota clade accepta incusare suam fortunam.

651. *Quæ bello obstante latebant.*] Quas per tumultum & concursum pugnantium prius cernere non licuit.

654. *Nec, sicut mos est miseris, &c.*] Neque tamen voluit, quod in rebus deploratis & desperatis solent miseri, omnia secum obruere.

655. *Mersa.*] Perdita & obruta, & desperata in pugna. *Sulpit.*

656. *Ut Latiæ post, &c.*] Neque tanta accepta clade indignabatur Deos supplicibus votis precari, ut sibi reliquum exercitum præstarent incolumem.

657. *Dignos.*] Deos scil. ad quos vota fundat, & preces. *Hortens.*

658. *Voluitq; sui solatia casus.*] Optavit salutem reliquorum, quæ erat ei solatio maximo in tanta ruina. *Sulpit.*

659. *Parcite, &c.*] Sufficiat iræ vestræ hæc mea calamitas; vel si ulterius in me animadvertere visum sit, uxoresn liberosque meos devoveo pro salute gentium & Rom. Imperii.

664. *Exiguæ clades sumus, &c.*] An non satis est clades nostra, nisi & totus orbis nobiscum ruat? *Orbe remoto.*] Si mundus nobiscum non perierit. *Sulpitius.*

668. *Revocat matura in fata ruentes.*] Receptui canit. Sed audi Cæsarem 3. com. Pompejus, ut equitatum suum pulsum vidit, atque eam partem, cui maxime confidebat, perterritam animadvertit, aliis diffisus, acie excessit, protinusque se in castra equo contulit, & iis centurionibus quos in statione ad præto-

Digitized by Google

Seque negat tanti. nec deerat robur in enſes
670 *Ire duci, juguloque pati, vel pectore letum:*
Sed timuit ſtrato miles ne corpore Magni
Non fugeret, ſupraque ducem procumberet orbis:
Cæſaris aut oculis voluit ſubducere mortem.
Nequicquam. infelix, ſocero ſpectare volenti
675 *Præſtandum eſt ubicunque caput. ſed tu quoque conjux*
Cauſa fugæ, vultuſque tui: fatiſque probatum
Te præſente mori. Tunc Magnum concitus auſert
A bello ſonipes, non tergo tela paventem,
Ingenteiſque animos extrema in fata ferentem.
680 *Non gemitus, non fletus erat, ſalvaque verendus*
Majeſtate dolor, qualem te, Magne, decebat
Romanis præſtare malis. non impare vultu
Aſpicis Emathiam: nec te vidêre ſuperbum
Proſpera bellorum, nec fractum adverſa videbunt.
685 *Quamque fuit læto per treis infida triumphos,*

Tam

prætoriam portam poſuerat, clare, ut milites exaudirent, tueamini, inquit, caſtra, & defendite diligenter, ſi quid durius acciderit, ego reliquas portas circumeo, & caſtrorum præſidia confirmo. hæc cum diſſiſſet ſe in prætorium contulit, ſummæ rei diffidens, & tamen eventum expectans.

669. *Seque negat tanti.*] Negat ſe tanti eſſe pretii, ut pro ſe in mortem præcipitent, & Cæſarianis, jam rebus perditis, trucidandos objiciant. *Hortenſ. Nec deerat robur, &c.*] Audacia eundi in prœlia non deerat Pompejo, neque vitæ contemptus, ſed noluit ſuos in ruinam & necem ſecum trahere.

673. *Cæſaris aut oculis voluit, &c.*] Voluit præterea necem ſuam ſubtrahere Cæſaris oculis; ſimul ſe vivum reddere uxori. ſed fruſtra. in fatis namque erat ut præſente conjuge obtruncaretur, caputque ejus Cæſari offerretur, lib. 8. ℣ſ. 618. & lib. 9. ℣ſ. 1035.

676. *Fatiſque probatum.*] Mitor Mss. omnes habere, *fatiſque negatum.* Forte ſcripſerit Lucanus *rogatum*, ut alluſio ſit, ad legum rogationes. *Grotius.*

679. *Ingenteſque animos, &c.*] Magnanimi ducis & conſtantis exemplar in Pompejo deſcribitur. qui ne in extremis quidem perculſus animo fuerit, neque gemuerit; ſed dolor vetenda majeſtate eluxit, &c. *Hortenſ.*

682. *Non impare vultu.*] Non immutato propter adverſa: eodem, quo prius tuliſſet proſpera.

685. *Quamque fuit læto.*] Senſus eſt: Fortuna ut fuit infida Pompejo in ſecundis rebus; ita in adverſis fuit illo minor, quod eum de mentis ſuæ conſtantia dejicere non valuerit. *Hortenſ. Treis infida triumphos.*] 1. Africanum, devictis Carbone, Domitio & Hiarba rege, qui Domitio auxilium tulerat. 2. Hiſpanicum, de Sertorio & Perpen-

Digitized by Google

Tam misero Fortuna minor. jam pondere fati
Deposito securus abis: nunc tempora læta
Respexisse vacat: spes numquam implenda recessit:
Quid fueris nunc scire licet. fuge prœlia dira,
690 *Ac testare Deos, nullum qui perstet in armis,*
Jam tibi Magne mori: ceu flebilis Africa damnis,
Et ceu Munda nocens, Pharioque à gurgite clades,
Sic & Thessalicæ post te pars maxima pugnæ.
Non jam Pompeji nomen populare per orbem,
695 *Nec studium belli: sed par, quod semper habemus,*
Libertas, & Cæsar erunt: teque inde fugato
Ostendet moriens, sibi se pugnasse, Senatus.

Nonne

na. lib. 2. ℣. 549. & 3. Pontiicus de Mithridate, Tigrane, &c.

686. *Pondere fati, &c.*] Levatus onere imperii, quod tibi fatum commiserat.

687. *Nunc tempora læta.*] Nunc tibi ocium est frui memoria anteactæ felicitatis: postquam insatiata spes plura acquirendi interierit.

689. *Quid fueris nunc, &c.*] E collatione præsentium adversarum intelliges quantæ fuerint res tuæ prosperæ. *Tum denique*, inquit ille apud comicum, *omnes nostra intelligimus bona, quum quæ in potestate habuimus, amisimus.*

690. *Ac testare Deos, &c.*] Et quum post discessum tuum è prœlio Pharsalico major pars cladis contigerit, Deos testes citare licet, eos non tua gratia, sed publicæ libertatis causa in armis perstitisse & cecidisse, qui interierint; ut & eos, qui post mortem tuam in Africa, in Hispania & Ægypto ceciderunt.

691. *Tibi mori.*] Non tua gratia, sed publicæ libertatis causa. *Ceu flebilis Africa.*] In qua Cato, Scipio, rex Juba & multi alii perierunt. *Hortens.*

692. *Et ceu Munda nocens.*] Ad Mundam victi fuerunt liberi Pompeji postea: in quo prœlio periclitatus fuit Cæsar; ut de inferenda sibi nece cogitaret. ut alibi recensuimus. *Pharioque à Gurgite.*] Quum Ptolomæus rex Alexandrinus, summum civilis belli scelus peregisset, fœdusque amicitiæ cum Cæsare, medio Pompeji capite sanxisset; ut Florus inquit. *Hortens.*

693. *Sic & Thessalicæ.*] Aversio iterum ad Pompejum, quod post ejus mortem, maxima pars pugnantium civium in Thessalia peribunt pro salute & libertate patriæ. Major enim pars cladis Thessalicæ contigit absente jam Pompejo; ideoque illi non magis imputari potest, quam quæ post mortem ejus acciderunt. *Grot. Hortens.*

694. *Populare.*] Nobile habebitur & celebre amplius per totum orbem. Vel gratum populo. Est & *popularis*, quod sit unius populi humile item & obscurum. *Hortens.*

695. *Nec studium belli.*] Pugnandi libido. sed libertatis retinendæ, & Cæsaris interficiendi unicum studium erat. *Hortens. Par.*] Lib. 6. ℣. 3.

696. *Libertas, & Cæsar erunt.*] Commissi pugnabunt libertas & Cæsar, illa ut se tueatur, Cæsar ut excutiat libertatem & monarchiam inducat.

697. *Sibi se pugnasse.*] Suæ libertatis tuendæ gratia.

700. *Re-*

Nonne juvat pulsum bellis cessisse, nec istud
Prospectare nefas, spumanteis cade catervas?
700 *Respice turbatos incursu sanguinis amnes,*
Et soceri miserere tui. quo pectore Romam
Intrabit factus campis felicior istis?
Quicquid in ignotis solus regionibus exul,
Quicquid sub Phario positus patiere tyranno;
705 *Crede Deis, longo fatorum crede favori.*
Vincere pejus erat. prohibe lamenta sonare,
Flere vetà populos: lacrymas, luctusque remitte.
Tam mala Pompeji, quàm prospera mundus adoret.
Aspice securus vultu non supplice reges:
710 *Aspice possessas urbes, donataque regna,*
Ægyptum, Libyamque, & terras elige morti.
Vidit prima tua testis Larissa ruina
Nobile, nec victum fatis caput: omnibus illa
Civibus effudit totas per mœnia vires

Ob-

700. *Respice turbatos, &c.*] Imò fruere optimo solatio fugæ tuæ, quod non vides tantam civium stragem.

701. *Soceri miserere tui.*] Cæsaris, qui parta per tot civium cædem victoria, multo miserior futurus est quam tu victus. *Quo pectore Romam.*] Quo animo, qua conscientia?

704. *Phario, &c.*] Ptolomæo. lib. 8. ℣. 618.

705. *Crede Deis, &c.*] Judicium deorum & longa faventium fatorum series tibi fidem faciant id quod melius est tibi evenisse, ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν, vinci quam vincere in bello civili. *Longo fatorum crede favori.*] Perpetuus in te Deorum favor, fidem tibi faciat, è duobus malis id tibi evenisse, quod erat minus. Minus malum est bello civili vinci, quam vincere. Ni ita esset, victorem te fecissent Dii, quos tibi bene velle dubitare non debes. *Grotius.*

707. *Remitte.*] Reprime, prohibe. *Sulp.*

709. *Vultu non supplice.*] Juber eum, vultu non mæsto aspicere tot reges, quos in regnum restituerit; & urbes quas libertate donarit. *Hortens.*

710. *Possessas urbes.*] Pompejopolim. libro 2. ℣. 578. *Donataque regna, &c.*] Ægyptum Ptolomæo, cui ipse tutor à Senatu datus fuerat: Libyam Jubæ, Tigrani Armeniam, Pharnaci Pontum, Ariobarzani Cappadociam.

712. *Vidit prima tua, &c.*] Pompejus, ubi jam castra oppugnari & hostem intra vallum versari vidit, equum nactus, detractis insignibus imperatoriis, decumana porta se è castris ejecit, protinusque equo citato Larissam contendit, neque ibi constitit, &c. Comment. 3. Cæs.

713. *Nobile, &c.*] Constantiam itque animi magnitudinem retinens in rebus utcunque adversis.

714. *Civibus effudit, &c.*] Larissæi huma-

715 *Obvia ceu læto: præmittunt munera flentes:*
Pandunt templa, domos: socios se cladibus optant.
Scilicet immenso superest ex nomine multum,
Teque minor solo: cunctas impellere gentes
Rursus in arma potes, rursusque in fata redire.
720 *Sed quid opus victo populis, aut urbibus, inquit?*
Victori præstate fidem. Tu Cæsar in alto
Cædis adhuc cumulo patria per viscera vadis:
At tibi jam populos donat gener. avehit inde
Pompejum sonipes: gemitus, lacrymæque sequuntur:
725 *Plurimaque in sævos populi convicia divos.*
Nunc tibi vera fides quæsiti Magne favoris
Contigit, ac fructus. felix se nescit amari.
Cæsar ut Hesperio vidit satis arva natare
Sanguine, parcendum ferro, manibusque suorum
730 *Jam ratus, ut viles animas, perituraque frustra*
Agmina permisit vitæ. sed castra fugatos

Ne

humaniter & honorifice excepto opem offerunt.

715. *Obvia ceu læto.*] Tanquam victori procedens obviam.

718. *Teque minor solo, &c.*] Aliorum opinione æque venerandus ac prius; sua non ita; rejicit itaque rationes & spem omnem comparandi copias & renovandi belli.

719. *Rursusque in fata redire.*] Iterum fortunam tentare. *In fata redire.*] In bella & mortem. *Sulpit.*

720. *Victo.*] Mihi, Pompejo.

721. *Victori.*] Cæsari. *Tu Cæsar.*] Apostrophe poëtæ ad Cæsarem.

722. *Cumulo cædis.*] Congerie cadaverum. *Vadis per viscera.*] Calcas cadavera & adhuc plures interficis. *Sulpit.*

723. *At tibi jam populos, &c.*] Fuga te victorem testatus Pompejus permittit tibi populos. *Avehit inde, &c.*] Neque Larissæ constitit; sed paucos suorum ex fuga nactus nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum XXX. ad mare pervenit, navemque frumentariam conscendit.

724. *Gemitus lacrymæque sequuntur.*] Simul oppidani Pompejum discedentem lacrymis prosequuti fuerunt, atque in Divos, quasi iniquos in hac pugna, multa convicia jecerunt. *Hortens.*

726. *Nunc tibi vera fides, &c.*] Ignis hic periculi & adversitatis probavit tibi verum amorem eorum quorum fidem in prosperis exploratam habere non datur; cum plures fortunam quam amicitiam colant.

728. *Hesperio.*] Italorum.

730. *Viles animas, perituraq; frustra.*] Plebeios & gregarios milites, nec sibi summum Imperium captanti futuros impedimento.

731. *Sed castra fugatos, &c.*] Cæsar, Pompejanis ex fuga intra vallum compulsis, nullum spatium perterritis dari oportere existimans, milites cohortatus est,

Ne revocent, pellatque quies nocturna pavorem;
Protinus hostili statuit succedere vallo,
Dum fortuna calet, dum conficit omnia terror,
735 *Non veritus grave ne fessis, ac Marte subactis*
Hoc foret imperium. non magno hortamine miles
In prædam ducendus erat: victoria nobis
Plena viri, dixit: superest pro sanguine merces,
Quam monstrare meum est: nec enim donare vocabo,
740 *Quod sibi quisque dabit. cunctis en plena metallis*
Castra patent: raptum Hesperiis è gentibus aurum
Hic jacet: Eoasque premunt tentoria gazas.
Tot regum fortuna simul, Magnique coacta
Expectat dominos: propera præcedere miles
745 *Quos sequeris: quascunque tuas Pharsalia fecit,*
A victis rapiantur opes. nec plura locutus
Impulit amentes, aurique cupidine cæcos
Ire super gladios, supraque cadavera patrum,
Et cæsos calcare duces. quæ fossa, quis agger
750 *Sustineat pretium belli, scelerumque petentes?*
Scire volunt, quanta fuerint mercede nocentes.

Inve-

est, ut beneficio fortunæ uterentur castraque oppugnarent; qui etsi magno æstu fatigati (nam ad meridiem res erat producta) tamen ad omnem laborem animo parati, imperio paruerunt. *Castra.*] Pompeji.

732. *Pavorem.*] Pompejanorum.

735. *Marte subactis.*] Defatigatis pugna.

739. *Nec enim donare vocabo.*] Quod sibi dare possit, cuique vestrum in manu est, neque enim pro donis ea imputabo.

740. *Plena metallis.*] Mox v. 752.

741. *Hesperiis, &c.*] Hispaniis, quæ cum Italia in divisione Pompejo obtigerant, lib. 1. v. 4.

742. *Eoasque premunt.*] Orientales, Asiaticas divitias.

743. *Coacta.*] Congesta.

744. *Dominos.*] Vos. *Præcedere miles, &c.*] Præoccupare castra & antevertere hostes fugientes in castra.

745. *Tuis.*] Tui juris.

746. *A victis rapiantur opes.*] Scribe ex fide Mss. *rapiuntur.* Nisi præcedis Pompejanos, jam illi rapient supellectilem quæ in castris est, quæque vobis victoriæ jure debetur. *Nec plura locutus.*] Hic quoque prior editio habuit, *sic milite jusso*, quod manuscripti testantur. *Grotius.*

748. *Ire super gladios.*] Nullam impietatem verentur perpetrare, auri ac prædæ siti. *Hortens.*

749. *Quæ fossa, &c.*] Ecphonesi concludit rabiem invadentium castra. *Hortens.*

Digitized by Google

Invenêre quidem spoliato plurima mundo,
Bellorum in summum congesta pondera massæ:
Sed non implerunt cupientes omnia mentes.
755 *Quicquid fodit Iber, quicquid Tagus expulit auri,*
Quodque legit dives summis Arimaspus arenis,
Ut rapiant, parvo scelus hoc venisse putabunt,
Cùm sibi Tarpejus victor desponderit arces:
Cùm spe Romanæ promiserit omnia prædæ:
760 *Decipitur, quòd castra rapit. capit impia plebes*
Cespite patricio somnos: vacuumque cubile
Regibus infandus miles premit: inque parentum,
Inque toris fratrum posuerunt membra nocentes:
Quos agitat vesana quies, somnique furentes:

Thes-

752. *Invenere quidem spoliato, &c.*] Captis castris, luxuriam, victoriæ fiduciam, & vanitatem Pompejanorum videre licuit, offenderunt enim triclinia strata, magnum argenti pondus expositum, tabernacula myrto & hedera coronata, &c. Plut. Pomp. & Cæs. comment. 3. *Spoliato mundo.*] Quod illuc omnes propè totius Asiæ populorum opes propemodum congestæ essent; quas hic vocat spolia totius mundi. *Hortens.*

753. *Massæ.*] Auri & argenti.

754. *Sed non implerunt, &c.*] Hanc lectionem probat H. Grotius, cujus exemplar secutus sum. Mihi vero perplacet quam habent lib. vulgati. *Sed non implevit cupientes omnia mentes, Quicquid fodit Iber, &c.* hac mente: Invenerunt quidem in castris Pompeji, aurum Hispanum & Orientis gaza, uti Cæsar proposuerat supra ℣ſ. 740. Sed aurum hoc Hispanum in castris raptum non sufficit militibus Cæsarianis omnia cupientibus & ipsam Romam sibi diripiendam ex ducis promisso sperantibus.

755. *Iber.*] Hispanus. Hispania olim celebris erat fodinis auri, argenti, ferri. *Tagus expulit auri.*] Lusitaniæ fluv. *auriferi ripa beata Tagi.* Ovid. 15. el. lib. 1. Amor.

756. *Arimaspus arenis.*] Scythiæ gens unocula, accolæ fluvii cognominis auriflui, & ipsi comas auro in nodum colligati: ut qui aurum ex arenis colligant. *Arimaspus arenis.*] Lib. 3. ℣ſ. 281.

757. *Ut rapiant parvo, &c.*] Quamvis hæc omnia rapiant, putabunt tamen hæc non respondere meritis belli civilis à se gesti.

758. *Tarpeius victor desponderit arces.*] Rom. lib. 1. ℣ſ. 196.

760. *Decipitur.*] Quasi sibi ac suis multò plura promisisset, quam inventa fuerunt. *Hortens. Decipitur, &c.*] *Hic ibid losse.* ut qui sibi Romæ direptionem promiserit.

761. *Cespite patricio somnos.*] Tabernaculis patriciorum è recenti cespite constratis.

762. *Parentum, Inque toris fratrum.*] Cæsorum aut fugatorum.

763. *Nocentes.*] Scelerati, parricidæ.

764. *Quos agitat, &c.*] Dormientibus horrenda per quietem objiciuntur somnia: animis obversantur scelerata pugnæ Thessalicæ arma.

766. *In-*

765 Thessalicam miseri versant in pectore pugnam.
Invigilat cunctis sævum scelus, armaque tota
Mente agitant, capuloque manus absente moventur.
Ingemuisse putes campos, terramque nocentem
Inspirasse animas, infectumque aëra totum
770 Manibus, & superam Stygia formidine noctem.
Exigit à meritis tristeis victoria pœnas,
Sibilaque & flammas infert sopor: umbra peremti
Civis adest: sua quenque premit terroris imago.
Ille senum vultus, juvenum videt ille figuras:
775 Hunc agitant totis fraterna cadavera somnis:
Pectore in hoc pater est, omnes in Cæsare manes.
Haud alios nondum Scythica purgatus in ara
Eumenidum vidit vultus Pelopêus Orestes:
Nec magis attonitos animi sensere tumultus,
780 Cùm fureret, Pentheus; aut cùm desiisset, Agave.

766. *Invigilat cunctis sævum scelus.*] Scelerum conscientia vexantur, etiam dum dormiunt. *Sulpit.*

767. *Moventur.*] Quasi vibrantes gladium, quem tamen non tenent.

768. *Ingemuisse putes campos, &c.*] Terram gemitu animas emisisse crederes, atque umbras & manes per aërem superioris hemisphærii infernali terrore tenebrosum volitasse.

769. *Inspirasse.*] Inspirando emisisse.

770. *Superam noctem.*] Tenebras nocturnas nostri hemisphærii plenas fuisse territamentis, & malorum dæmonum & furiarum occursibus. *Sulpit.*

771. *Exigit à meritis, &c.*] Quasi Cæsariani pro victoria Diis graves pœnas dederint. Sed quas pœnas luerint, ipse statim infert. *Horteus.*

772. *Sibilaque & flammas, &c.*] Et per somnum repræsentantur iis Furiæ intentantes vipereos sibilantesque crines & faces.

776. *Pectore in hoc pater est.*] Hujus menti obversatur umbra patris cæsi. *Omnes in Cæsare manes.*] Omnes omnium manes territant Cæsarem.

777. *Haud alios nondum Scythica, &c.*] Qualitet *Agamemnonius scenis agitatus Orestes Armatam facibus matrem & serpentibus atris Cum fugit*, priusquam oraculo monitus Tauricam Dianam in Scythia peteret, ubi à sorore Iphigenia Deæ sacerdote agnitus expiatusque est: placataque furiæ *Eumenides* appellatæ.

778. *Pelopeus Orestes.*] Pelopis nepos.

779. *Nec magis attonitos, &c.*] *Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus, &c.* Æneid. 4. Virgil.

780. *Aut cum desiisset, Agave.*] Ita legit H. Grotius, hoc sensu: Non magis exterrati erant, aut Pentheus cum Agave fureret: aut ipsa Agave cum furere desiisset & scelus suum agnosceret. Sic Pers. Sat. 5. *Postquam desertuit esse Maenides.* Alii leg. *desciisset*, id est, à furore mente discessisset. Ja. Rutgersius putat leg.

Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies, stringente Senatu,
Illa nocte premunt: hunc infera monstra flagellant.
Et quantum pœnæ misero mens conscia donat,
Quòd Styga, quòd manes, infestaque Tartara somnis
Pompejo vivente videt! Tamen omnia passo,
Postquam clara dies Pharsalica damna retexit,
Nulla loci facies revocat feralibus arvis
Hærentes oculos. cernit propulsa cruore
Flumina, & excelsos cumulis æquantia colles
Corpora, sidentes in tabem spectat acervos,
Et Magni numerat populos: epulisque paratur
Ille locus, vultus ex quo, faciesque jacentum
Agnoscat. juvat Emathiam non cernere terram,
Et lustrare oculis campos sub clade latentes.
Fortunam, Superosque suos in sanguine cernit.
Ac ne læta furens scelerum spectacula perdat,
Invidet igne rogi miseris, cœloque nocenti

Inge-

leg. *aut desævisset Agave.* cum M. S. habeant, *aut deseruisset Agave.* eadem mente qua Grotius *desisset* legit. sic lib. 5. ℣. 303.

782. *Ultrix visura, dies.*] Qua in Senatu à conjuratis confossus 23. vulneribus casurus erat.

783. *Infera monstra flagellant.*] Ultrices furiæ & carnifex conscientia.

786. *Pompeio vivente videt.*] Quo mortuo, majoribus furiis exagitabitur. *Tamen omnia passo.*] *Quin animum ab odio ad veritatem historiæ averte, lector.* Cæsar prima luce omnes eos qui in monte consederant, ex superioribus locis in planitiem descendere, atque arma projicere jussit, quod ubi sine recusatione fecerunt, passisque palmis, projecti ad terram, flentes ab eo petierunt salutem; consolatus consurgere jussit, & pauca apud eos de levitate sua locutus, omnes conservavit; militibusque suis jussit, ne qui eorum violarentur, neu quid desiderarent. *Multo certe minus in umbras sævitum credideriim, aut pavisse oculos casorum spectaculo, aut sepulchra & rogos negavisse*

788. *Nulla loci, &c.*] Tristis & horrendus stragis aspectus non revocat.

790. *Et excelsos, &c.*] Et strues congestorum cadaverum æquas collibus.

791. *Sidentes in tabem, &c.*] Depressos & manantes sanie.

794. *Non cernere terram.*] Quin tectum constratumque cadaveribus solum spectare juvat.

796. *Fortunam, Superosque, &c.*] Quoties contemplatur acervos casorum, reputat apud se, suam felicitatem, quæ ei suorum Divorum beneficio contigit. *Hortens. Superosque, &c.*] Martem & Venerem quos ante prœlium invocaverat. supra ad ℣. 168.

798. *Invidet igne rogi miseris.*] Invi-

det

Digitized by Google

Ingerit Emathiam. non illum Pœnus humator
800 *Consulis, & Libyca succensa lampade Cannæ*
Compellunt, hominum ritus ut servet in hostes:
Sed meminit nondum satiata cædibus ira,
Cives esse suos. Petimus non singula busta,
Discretosque rogos: unum da gentibus ignem:
805 *Non interpositis urantur corpora flammis.*
Aut generi si pœna juvat, nemus extrue Pindi:
Erige congestas Oetæo robore sylvas,
Thessalicam videat Pompejus ab æquore flammam.
Nil agis hac ira: tabesne cadavera solvat,
810 *An rogus, haud refert: placido Natura receptat*
Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.
Hos, Cæsar, populos si nunc non usserit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo superest rogus, ossibus astra

Mistu-

det cadaveribus rogum. ἑρμαίοφορος. Nam cum Genitivo dici, *Invideo tibi gloriæ*: & cum Abl. *Invideo tibi gloria*, testatur Diomedes lib. 1. *Cæloque nocenti, &c.*] Hypallage. Ingerit Emathiam exhalantem tetros cadaverum odores, qui corrumpant aërem.

799. *Ingerit Emathiam.*] Id est, immittit aërem pestiferum in Emathiam, qui ex cadaverum corruptione inficiebatur. *Sulpit. Non illum Pœnus, &c.*] Neque illum monet exemplum etiam crudelissimi hostis Rom. Annibalis, qui P. Æmylii ad Cannas interfecti cadaver conquisitum honorifice sepeliit; ut cives dignetur jure humanæ sepulturæ. Eundem honorem præstiterat Marcello insidiis intercepto, verum id in Apulia. Liv. lib. 13. & lib. 37.

800. *Succensa lampade Cannæ.*] Rogus ad Cannas ab Annibale Pœno accensus.

801. *Hominum ritus.*] Jus humanum sepeliendi mortuos. *Hortens.*

802. *Sed meminit, &c.*] *Invidiose*, quasi dicat, quod majori odio cives prosequitur Cæsar, quam hostes Annibal.

803. *Cives esse suos.*] Quos majori odio habebat, quam Hannibal hostes. *Sulpit. Petimus, &c.*] Poëta, ex persona cæsorum.

806. *Aut generi si pœna juvat, &c.*] Aut si velis Pompejum male urere, unam omnibus extrue pyram è sylvis Pindi montis & OEtæ, quam ex æquore prospiciat ille.

809. *Nil agis hac ira.*] Frustrà inquit, sævis in mortuos, impotentia hac tua animi. Quid enim refert, ignene absumantur cadavera, & in cineres redigantur; an humi putrescant tabe & vermibus conficiantur. *Hortens.*

810. *Placido Natura.*] Natura omnia quæ composuit in sua elementa rursus dissolvit.

811. *Sibi.*] Naturæ.

814. *Communis mundo superest rogus.*] Ex opinione Platonis in Timæo, & Cic. qui lib. de Nat. Deorum ait, Certa temporum revolutione ex incremento

Digitized by Google

815 *Misturus. quocunque tuam Fortuna vocabit,*
Hæ quoque eunt animæ. non altius ibis in auras,
Non meliore loco Stygia sub nocte jacebis.
Libera Fortunæ mors est: capit omnia tellus
Quæ genuit: cœlo tegitur, qui non habet urnam.
820 *Tu, cui dant pœnas inhumato funere gentes,*
Quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?
Has trahe Cæsar aquas: hoc, si potes, utere cœlo.
Sed tibi tabentes populi Pharsalica rura
Eripiunt, camposque tenent victore fugato.
825 *Non solùm Hæmonii funesta ad pabula belli*
Bistonii venêre lupi, tabemque cruentæ
Cædis odorati Pholoën liquêre leones.
Tunc ursi latebras, obscœni tecta, domosque
Deseruêre canes, & quicquid nare sagaci
830 *Aëra non sanum, motumque cadavere sentit.*
Jamque diu volucres civilia castra secutæ

Con-

contrariorum incendia & diluvia fieri. Et Phœbus Ovidianus: *Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus, Quo mare, quo tellus, correpta que regia cœli Ardeat, & mundi moles operosa laboret.* Metam. 1.

815. *Quocunque tuam, &c.*] *Nulla certior tamen Rapacis Orci fine destinata Aula Cæsaris manet Umbram: quid ultra tendis? Æqua tellus Cæsari reclauditur, Plebisque sæci.*

816. *Non altius ibis in auras.*] Anima tua non ibit in cælum, ut vulgò creditum fuit post mortem tuam: sed ad inferos descendet, propter tuam tyrannidem. *Hortens.*

818. *Fortunæ.*] Alii *Fortuna*, hoc est, Mortui ab injuria fortunæ liberi sunt.

819. *Cœlo tegitur, &c.*] *Nec tumulum curo, sepelit Natura relictos.* Mæcenatis citat Sen. epist. 93.

821. *Quid fugis hanc cladem?*] Et quid tandem non capis diuturniorem hujus spectaculi fructum? quin bibis aquas sanguine corruptas, quin uteris aëre hoc infesto? *Ironice.*

824. *Camposque tenent.*] Cum ergò Cæsar propter graveolentiam aëris infecti, putredine & fætore cadaverum cogatur discedere; cæsi ibi relicti, manent quodammodo camporum possessores. *Hortens.*

825. *Non solum Hæmonii, &c.*] Neque solum ad dilanianda devorandaque cadavera in Thessalis campis venere lupi Threcii, supra pag. 569. sed & ursi, canes, grues, vultures, &c.

827. *Pholoën.*] Montem Arcadiæ. libro 3. pag. 198.

830. *Non sanum.*] Cadaveris odore mutatum & corruptum.

831. *Volucres civilia, &c.*] Vultures & volucres aliæ. πάφοι ἵμεψυχοι, quæ & triduo præsagire, & è longinquo odorari cadavera creduntur. Plin. libro 10. cap. 6.

832. *Vos*

Conveniunt. vos, quæ Nilo mutare soletis
Threïcias hyemes, ad mollem serius Austrum
Istis aves. nunquam se tanto vulture cœlum
835 *Induit, aut plures presserunt aëra pennæ.*
Omne nemus misit volucres, omnisque cruenta
Alite sanguineis stillavit roribus arbor.
Sæpe super vultus victoris, & impia signa
Aut cruor, aut alto defluxit ab æthere tabes,
840 *Membraque dejecit jam laßis unguibus ales.*
Sic quoque non omnis populus pervênit ad ossa,
Inque feras discerptus abit: non intima curant
Viscera, nec totas avide sorbere medullas:
Degustant artus. Latiæ pars maxima turbæ
845 *Fastidita jacet; quam sol, nimbique, diesque*
Longior Emathiis resolutam miscuit arvis.
Thessalica infelix quo tanto crimine tellus
Laesisti Superos, ut te tot mortibus unam,
Tot scelerum fatis premerent? quod sufficit ævum,

Im-

832. *Vos quæ Nilo, &c.*] Primum grues per aversionem memorat. Hæ ex ultimis in ultima abeunt: harum absecessu gens Pygmæorum inducias habet, cum iis dimicantium. *Hortensius. Vos, quæ Nilo, &c.*] Lib. 5. ✠ſ. 711. & Senec. OEdip. ✠ſ. 604.

833. *Serius, &c.*] Hic quippe moratæ.

834. *Nunquam, &c.*] Plenus fuit vulturibus aër.

835. *Pennæ.*] Volucres.

836. *Cruenta, &c.*] Sanguis stillabat ab arboribus, quo alites partem prædæ congesserant.

841. *Sic quoque non omnis, &c.*] Neque feræ discerpunt cadavera, aut nudant ossa, non rimantur viscera; in tanta abundantia sufficit degustasse pleraque fastidiose & dente superbo.

842. *Inque feras abit.*] Convertit se in carnem ferarum, quæ illa carne alebantur. *Sulpitius. Inque feras discerptus abit.*] Ita Juven. sat. 14. *tota novalia sævos In ventres abeant.* & Ovid. 8. Metam. *demisso in viscera censu.*

844. *Latiæ pars maxima, &c.*] Quod tantus esset cæsorum numerus & multitudo, ut non potuerint omnes depasci. *Hortens.*

846. *Emathiis resolutam miscuit.*] Putredine corruptam, in terram Thessalicam redegerunt. Corpora enim sive condita fuerint, sive insepulta relinquantur, resolvuntur in terram diuturnitate & longitudine temporis, quod omnia absumit. *Hortens.*

847. *Thessalica infelix.*] Detestatur Thessaliam tam miserandæ cladi dirisque fatis damnatam, ut supra ✠ſ. 301.

849. *Quod sufficit ævum.*] Quænam ævi diuturnitas poterit eluere & abolere memoriam tanti damni?

851. *Quæ*

Digitized by Google

850 *Immemor ut donet belli tibi damna vetustas?*
Quæ seges infecta surget non decolor herba?
Quo non Romanos violabis vomere manes?
Antè novæ venient acies, scelerique secundo
Præstabis nondum siccos hoc sanguine campos.
855 *Omnia majorum vertamus busta licebit,*
Et stantes tumulos, & qui radice vetusta
Effudêre suas, victis compagibus, urnas:
Plus cinerum Hæmoniæ sulcis telluris aratur,
Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.
860 *Nullus ab Emathio religasset littore funem*
Navita, nec terram quisquam movisset arator,
Romani bustum populi: fugerentque coloni
Umbrarum campos, gregibus dumeta carerent:
Nullusque auderet pecori permittere pastor
865 *Vellere surgentem de nostris ossibus herbam;*

Ac,

851. *Quæ seges surget.*] Hoc est, nulla seges in Thessalicis campis surget, quin sit decolor futura & purpureo colore infecta. *Hortens. Decolor herba.*] A sanguine hic fuso.

852. *Manes.*] Qui in sepulchris errant, nec nisi justis solutis Styga transvehuntur.

853. *Ante novæ venient acies.*] Antequam abolcantur prioris hujus belli civilis vestigia, hoc eodem campo necdum à priori sanguine exiccato, conflligent hinc Antonius & Octavius; inde Brutus & Cassius secundo bello nefario. Quod tamen prope Philippos urbem Macedoniæ commissum est. uti dictum ad ℣. 80. lib. 1.

855. *Omnia majorum, &c.*] Quod si omnia Romanorum ossa & cineres velimus eruere è tumulis tam integris quam vetustate collapsis; minora tamen erunt his quæ semisepulta eruuntur inter arandum ab agricolis Thessalicis.

856. *Et stantes tumulos.*] Tam integros adhuc tumulos, quam vetustate collapsos. *Grotius. Radice vetusta, &c.*] Imo sepulchri fundo, nisi respiciat potius caprificum quæ de epate enata dejicit monimenta. Plin. lib. 16. cap. 19. Juven. Sat. 10. ℣. 145. Martial. lib. 10. epist. 2.

857. *Victis compagibus.*] Solutis vetustate commissuris.

859. *Ruricolis feriuntur dentibus ossa.*] Arattorum. *Hoc dentem temnat terram renovantis aratri.* Ovid.

860. *Nullus ab Emathio, &c.*] Te O Thessalia nemo frequentaret nauta, arator, pastor, nemo habitaret, fugerent omnes tanquam execrandum locum, gentium & pop. Rom. bustum, umbris frequentatum; imo tanquam desolatam terram & inhabitabilem sub torrida zona ceu frigida; si modo tu ut prima, ita sola fuisses nefarii belli area: Sed alia jam loca pari clade damnata te excusatam & scelere hoc absolutam præstant.

866. *Im-*

Ac, velut impatiens hominum, vel solis iniqui
Limite, vel glacie nuda, atque ignota jaceres,
Si non prima nefas belli, sed sola tulisses.
O Superi, liceat terras odisse nocentes.
870 *Quid totum premitis, quid totum absolvitis orbem?*
Hesperiæ clades, & flebilis unda Pachyni,
Et Mutina, & Leucas puros fecêre Philippos.

M. AN-

866. *Impatiens hominum.*] Inhabitabilis. *Solis iniqui, &c.*] Inter utrumque Tropicum, zona torrida.

867. *Nuda, &c.*] Desolata, inculta propter frigus, uti in zonis frigidis.

869. *O Superi, &c.*] Exclamatio ad Superos: ut fas sit odisse eas terras, in quibus tanta damna sunt accepta à Pop. Rom. toto orbe. Cladès toto orbe acceptas, tribus versibus sequentibus perstringit; ut non sola dicatur Thessalia nefas belli, hoc est, civile bellum tulisse. *Hortens.*

870. *Quid totum premitis, &c.*] Cur damnatis; & mox in participationem sceleris admissas absolvitis crimine toto orbis partes?

871. *Hesperiæ clades.*] Bellum civile in Hispania ad Mutinam maxime, ut lib. 1. ℣. 40. *Pachyni.*] Promontorii Siciliæ ubi navali prœlio victus est Sext. Pompejus, ab Agrippa auspiciis Augusti.

872. *Mutina.*] Lib. 1. ℣. 41. *Leucas.*] Lib. 1. ℣. 43. *Puros fecere Philippos.*] Quasi innocentes, & Romano cruore immaculatos & inexercabiles. *Sulpit.*

1. Jam

M. ANNÆI LUCANI

CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ, LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

OCtavo in Lesbum fugiens per devia Magnus
Navigat, & conjunx lacrymando abducta reliquit
Deflentem populum: properans tum nauta monetur,
Tendat ut ad Cilices, ubi Sextus, turba Ducumque
Decernunt, quo fit Dux confugiturus, atroxque
Ægyptus legitur; venientem regia prodit,
Conjugeque & nato coram confodit Achillas:
Ambustum Codrus truncum clam texit arena.

JAm super Herculeas fauces, nemorosaque Tempe,
Hæmoniæ deserta petens dispendia sylvæ,

Cor-

1. *JAm super.*] Exordium ducit à fuga Pompeji statim post amissam pugnam. Pompejus hostes intrà munitiones intuitus, projectis insignibus imperii, sive potius Imperatoriis, ut Cæsar ait, equo sedens, decumana porta, quatuor duntaxat comitantibus egressus, citato cursu Larissam contendit, &c. *Hortens. Jam super.*] Felicem utcunque in malis Pompejum, *inquit Florus*, si eadem ipsum, quæ exercitum ejus, fortuna traxisset. Superstes dignitati suæ vixit, ut cum majore dedecore per Thessalica Tempe equo fugeret, pulsus Larissa: in deserto Ciliciæ scopulo, fugam in Parthos, Africam vel Ægyptum agitaret: ut denique in Pelusiaco litore, imperio vilissimi regis; consiliis spadonum, &, ne quid malis desit, Septimii desertoris sui gladio trucidatus, sub oculis uxoris suæ liberorumque moreretur. *Herculeas fauces, &c.*] Dissidia inter Ossam & Olympum, qua per Tempe exit Peneus in sinum Thermaicum, libro 6. ℣. 345. in confinibus Thessaliæ & Macedoniæ, Thermopylas dictas à thermis ibi Herculi sacris.

2. *Dispendia sylvis.*] Circuitus, erroresque cũ itineris dispendio, ut mox ℣. 4.

3. *Cor-*

Cornipedem exhauſtum curſu, ſtimuliſque negantem
Magnus agens, incerta fugæ veſtigia turbat,
5 *Implicitaſque errore vias. pavet ille fragorem*
Motorum ventis nemorum, comitumque ſuorum.
Qui poſt terga venit, trepidum, laterique timentem
Exanimat. quamvis ſummo de culmine lapſus,
Nondum vile ſui pretium ſcit ſanguinis eſſe,
10 *Seque memor fati tantæ mercedis habere*
Credit adhuc jugulum, quantum pro Cæſaris ipſe
Avulſa cervice daret. deſerta ſequentem
Non patitur tutis fatum celare latebris
Clara viri facies. multi Pharſalica caſtra
15 *Cùm peterent, nondum fama prodente ruinas,*
Occurſu ſtupuêre ducis, vertigine rerum
Attoniti: cladiſque ſuæ vix ipſe fidelis
Auctor erat. gravis eſt Magno, quicunque malorum
Teſtis adeſt. cunctis ignotus gentibus eſſe
20 *Mallet, & obſcuro tutus tranſire per orbem*

No-

3. *Cornipedem exhauſtum curſu.*] Equum feſſum, neque ſe promoventem, utcunque ſtimulis foſſum.

4. *Incerta fugæ veſtigia turbat.*] Non unum rectum curſum regia via ſervat; ſed modo hac, modo illac, per itinerum ambages fugit: ne ſi perſecutores tergo inſtitiſſent, in regia via veſtigia deprehendi potuiſſent. *Hortenſ.*

5. *Implicitaſque errore vias.*] Quæ lateant fallantque inſequentes. *Pavet ille fragorem.*] *Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis Suſpenſum.* Æneid. 2. Virg. *non ſine vano Aurarum & ſylvæ metu, &c.* Horat. 23. od. lib. 1.

8. *Quamvis ſummo, &c.*] Utut victus jam & neglectus, priſtinæ tamen fortunæ & gloriæ memor, magno æſtimari cervicem ſuam credit eodemque precio à Cæſare expeti, quo ipſe Cæſaris emeret.

9. *Nondum vile ſui pretium.*] Quaſi dicat, Pompejus ſcit, ſanguinis ſui pretium nondum eſſe vile. An, nondum ſcit Pompejus ſanguinis ſui pretium eſſe vile, quod in Ægypto Spadonis juſſu interficeretur. *Sulpit. Hortenſ.*

12. *Deſerta ſequentem, &c.*] Pompejus notus non potuit celare calamitatem ſuam, utcunque per deſerta fugeret.

15. *Peterent.*] Pompejo auxilium laturi.

16. *Vertigine rerum.*] Subita mutatæ fortunæ viciſſitudine.

17. *Cladiſque ſuæ, &c.*] Vix ipſe Pompejus, cladis ſuæ nuncius fidem iis comprobavit.

18. *Gravis eſt Magno.*] Cum dolore & rubore excipit obvios in conſcientiam & teſtimonium ſuæ calamitatis: ſeq. ratio.

21. *Sed*

Digitized by Google

Nomine: sed longi pœnas Fortuna favoris
Exigit à misero, quæ tanto pondere famæ
Res premit adversas, fatisque prioribus urget.
Nunc festinatos nimium sibi sentit honores,
25 *Actaque lauriferæ damnat Syllana juventæ.*
Nunc & Corycias classes, & Pontica signa
Dejectum meminisse piget. sic longius ævum
Destruit ingenteis animos, & vita superstes
Imperio. nisi summa dies cum fine bonorum
30 *Affuit, & celeri prævertit tristia leto,*
Dedecori est fortuna prior. quisquam ne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte parata?
Littora contigerat, per quæ Peneius amnis

Ema-

21. *Sed longi pœnas, &c.*] Quo lætior fuerit, eo jam tristior est fortuna, famam gravans & prosperis *fatis contraria fata reperiens.*

22. *Quæ tanto pondere famæ.*] Quo cursus felicitatis in vita humana major est, & perpetuo florentior, eo casus in adversis durior, & simul ad ferendum acerbior.

23. *Fatisque prioribus urget.*] Priorem secundam Fortunam calamitatis hujus gravitate compensat. *Hortens.*

24. *Nunc festinatos, &c.*] Jam intelligit præcoces sibi honores habitos non esse constantes. fortunam quæ è carceribus festinanter evolarit, sub meta lassatam deficere. Martial. de Scopo: *Curribus illa tuis semper properata, brevisque Cur fuit & vitæ tam prope meta tuæ.* lib. 10. epist. 50.

25. *Actaque lauriferæ, &c.*] Triumphum de Hiarba & gestis in Africa, quem egit 24. annos natus, Sylla graviter ferente, obstante atque negante triumphum illi decernendum; ut qui hæc gessisset sub alienis auspiciis, idque ante maturam ætatem.

26. *Nunc & Corycias classes.*] Piget de tanto gloriæ culmine dejectum meminisse classes à se ductas contra Cilicas piratas, lib. 2. ✓ſ. 376. & triumphum de Mithridate rege Ponti.

27. *Sic longius ævum, &c.*] Ὄλβος δ' οὐκ ἐς μακρὸν ἀνθρώπων ἔρχεται. Pind. in Pythiis. Felicitas, nisi adsit matura mors, ludibrio ferme homines exponit, felix exitus coronat opus, *la sera loda la dia.* vitam mors. *Nemo ante obitum felix.* τέρμα δ' βίου ὁλβίζε. Juvenal. Sat. 10. de Mario, Pompejo, &c.

28. *Destruit ingentes animos, &c.*] Sic nocuit magnanimis clarisque viris vixisse diutius, & in vita post amissum imperium remanere. *Sulpit.*

30. *Prævertit tristia leto, Dedecori.*] Fecimus cohærere cum sequenti commate. Sententia est: Felicitatem, ni adsit matura mors, ludibrio ferme homines exponere. *Grotius.*

33. *Littora contigerat.*] Supra ✓ſ. 1. *Per quæ Peneius, &c. Flumineis, &c.*] Per Tempe usque ad mare iter fecit. ibi noctis reliquum in piscatoria casula exegit: circa auroram in fluviatilem lembum ingressus, de comitibus ingenuos ad se recepit, &c. inde oram legens, ad justæ magnitudinis onerariam pervenit, cui præerat Peticius quidam Ro-

manus

Digitized by Google

Emathia jam clade rubens exibat in æquor.
35 *Inde ratis trepidum, ventis, & fluctibus impar,*
Flumineis vix tuta vadis evexit in altum:
Cujus adhuc remis quatitur Corcyra, sinusque
Leucadii, Cilicum dominus, terraque Liburna,
Exiguam vector pavidus correpsit in alnum.
40 *Conscia curarum secreta in littora Lesbi*
Flectere vela jubes, qua tum tellure latebas
Mœstior, in mediis quàm si, Cornelia, campis
Emathiæ stares. tristeis præsagia curas
Exagitant: trepida quatitur formidine somnus:
45 *Thessaliam nox omnis habet: tenebrisque remotis*
Rupis in abruptæ scopulos extremaque currens
Littora, prospiciens fluctus, nutantia longè
Semper prima vides venientis vela carinæ,
Quærere nec quicquam de fato conjugis audes.
50 *En ratis, ad vestros quæ tendit carbasa portus*

Quid

manus, qui cum Pompejum de facie nosset, eum & quos is jubebat, recepit, &c. Plut. & Appian.

36. *Flumineis vix tuta vadis.*] Navis non bellica, ac ne oneraria quidem, sed fluvialis. *Grotius.*

37. *Cujus adhuc remis quatitur Corcyra, &c.*] Pompejus, cujus præfecti longè lateque classibus tenebant Corcyram, sinum Ambracium prope Leucadem, & oram Liburniæ in mari Adriatico, olim Cilicum piratarum domitor, jam dominus. lib. 3. ℣. 228. ipse in cymba, mox in oneraria vehitur.

40. *Conscia curarum, &c.*] Tu Cornelia quam noverat solicitam animi de belli eventu pendere, mones Pompejum ut jubeat cursum dirigi ad Lesbon, ubi tu semota eras à strepitu belli, lib. 5. ℣. 722. Alii leg. *jubet*, id est, Pompejus, & referunt *conscia* ad *littora*. *Littora Lesbi.*] In Lesbo insula, oppidum Mitylene est, ubi initio belli uxorem seposuerat. Lesbus imprimis nobilitate vini commendatur. Unde & calices Lesbii. Insula proverbiis aliquot veteribus nobilitata est. *Lesbia regula, &c.* Hortens.

42. *Mœstior, &c.*] Vide ipsius Corneliæ rationes lib. 5. ℣. 767.

44. *Trepida quatitur, &c.*] Interdiu solicita de belli eventu, noctu per quietem Thessalia obversatur menti.

45. *Tenebrisque.*] Oriente die.

47. *Nutantia longè.*] Quæ videntur nutare, quum vento huc illuc flectuntur, & hac illaeve casum minari & navim evertere ex intervallo putes. *Hortensius.*

49. *Quærere nec quicquam, &c.*] Ne forte audias quod præsaga mens somniabat aut suspicabatur.

50. *En ratis, &c.*] Hæc Plutarchus ad hunc modum. ut Mitylenen appulit, nuncium in urbem misit ad Corneliam, cui aliis de Cæsare ad Dyrrhachium profligato & bello prope confecto,

Quid ferat ignoras: sed nunc tibi summa pavoris
Nuntius armorum tristis, rumorque sinister
Victus adest conjux. quid perdis tempora luctus?
Cùm possis jam flere, times. tunc puppe propinqua
55 *Prosiluit, crimenque Deûm crudele notavit,*
Deformem pallore ducem, vultusque prementem
Canitie, atque atro squalentes pulvere vestes.
Obvia nox miseræ cœlum, lucemque tenebris
Abstulit, atque animam clausit dolor: omnia nervis
60 *Membra relicta labant: riguerunt cordæ, diuque*
Spe mortis decepta jacet. jam fune ligato
Littoribus, lustrat vacuas Pompejus arenas.
Quem postquam propius famulæ videre fideles,
Non ultra gemitus tacitos incessere fata
65 *Permisêre sibi, frustraque attollere terra*
Semianimem conantur heram: quam pectore Magnus
Ambit, & astrictos refovet complexibus artus.
Cœperat in summum revocato sanguine corpus
Pompeji sentire manus, mœstamque mariti
70 *Posse pati faciem: prohibet succumbere fatis*

Ma-

cto, intentæ cogitationibus, ille salutatione omissa, lacrymis magis quam voce mandatum referens, properare jussit, si Pompejum una & aliena advectum navi cernere vellet.

53. *Victus adest conjux.*] Non est quod ulterius sis solicita & timori insumas tempora luctus. desine timere, adest ecce victus conjunx, suæ cladis nuncius, tibi justi doloris causa. *Quid perdis tempora luctus?*] Non debes lugendi tempora metu consumere. Times, cum jam sit quod lugeas: victus maritus scilicet. *Grotius.*

55. *Prosiluit.*] Cornelia obvia prosiluit. *Crimenque Deûm, &c.*] Advertit inclementiam Deorum, conjugis cladem & fugam.

58. *Obvia nox miseræ cœlum.*] Caligo oculis oborta est ex animi deliquio, & præ mœrore Cornelia decidit exanimis.

61. *Spe mortis decepta jacet.*] Nam frustrata mortis desideratæ spe, ad se rediit.

64. *Non ultra gemitus, &c.*] Famulæ non permisere sibi incusare inclementiam fatorum ultra tacitos questus, hoc est, temperaverunt sibi ejulatu & vociferationibus lamentorum, Pompejum scil. veritæ, & ne heræ dolorem accenderent.

66. *Pectore Magnus.*] Amplexatur.

68. *In summum, &c.*] Ad se redire; sanguine, qui in repentina consternatione ad cor refluxerat, se jam remittente atque in extremas partes effundente.

70. *Faciem.*] Adspectum; ad quem prius

Magnus, & immodicos castigat voce dolores.
Nobile cur robur Fortunæ vulnere primo,
Femina, tantorum titulis insignis avorum,
Frangis? Habes aditum mansura in secula famæ,
75 *Laudis in hoc sexu, non legum jura, nec arma,*
Unica materia est conjux miser. erige mentem,
Et tua cum fatis pietas decertet, & ipsum,
Quòd sum victus, ama: nunc sum tibi gloria major.
A me quòd fasces, & quòd pia turba Senatus,
80 *Tantaque discessit regum manus: incipe Magnum*
Sola sequi. deformis, adhuc vivente marito
Summus, & augeri vetitus dolor: ultima debet
Esse fides, lugere virum. tu nulla tulisti
Bello damna meo. vivit post prœlia Magnus,
85 *Sed Fortuna perit: quod defles, illud amasti.*

Voci-

prius animis deciderat. *Succumbere fatis.*] Cedere adversæ fortunæ.

72. *Nobile cur robur, &c.*] Pompeji oratio consolatoria est, qua fractum animum adversis fatis mariti consolatur, & quidem argumentis, quibus in præsenti potest, accommodatis. Initio captat benevolentiam à dignitate generis, personæ Corneliæ, tectè simul eam incusans fracti animi. *Hortens. Robur.*] Animi fortitudinem. *Robur.*] Animi firmitatem.

73. *Avorum.*] Scipionum.

74. *Habes aditum, &c.*] Contigit tibi seges & materia æternæ & summæ laudis, quam fœminis consequi datur. neque enim fœminarum gloria est jus dicere, aut arma ferre; sed fides maritis præstita, *Tristi materiam tempore laudis habet.*

75. *Non legum jura, &c.*] Etenim miser maritus est uxori suæ fideli, in adversis laudis materia; quam non in administratione togata, aut in jure dicundo; nec in mediis armis, consequeris. *Hortens.*

77. *Et tua cum fatis pietas, &c.*] Si fata dejecerunt è culmine gloriæ Pompejum; tu contrà, qua potes pietate eum adjuta in afflictis rebus, unde materia laudis tibi apposita est, *Hortens.*

78. *Quod sum victus, ama.*] Quasi dicat, multò magis tibi in adversa fortuna sum amandus, quam in secunda: ut amicus certus in re incerta cernitur: ita multo magis pia & bona uxor in tristibus. *Hortens.*

79. *A me quod fasces, &c.*] Erit enim veri amoris argumentum; & non te viri amasse fortunam; sed virum ipsum, quem ab aliis desertum sequaris. *Sulpit.*

81. *Deformis, &c.*] Haud decet impendere vivo marito, perinde atque conclamato & mortuo, dolorem extremum & tui nihil addi potest; ne videare vitam æque ac mortem lugere.

82. *Ultima debet, &c.*] Ultimum conjugalis fidei officium est luctus.

85. *Sed Fortuna perit.*] Sed vide ne fortunam meam eversam lugendo, videaris eam quam me habuisse chariorem.

Digitized by Google

Omnia victoris possunt sperare favorem:
Hæc jam crimen habent. quid, quòd jacet insula ponto,
Cæsar eget ratibus? Procerum pars magna coibit
120 *Certa loci. noto reparandum est littore fatum.*
Accipe templorum cultus, aurumque Deorum
Accipe: si terris, si puppibus ista juventus
Aptior est, tota, quantum valet, utere Lesbo.
[*Accipe: ne Cæsar rapiat, tu victus habeto.*]
125 *Hoc solum crimen meritæ bene detrahe terræ,*
Ne nostram videare fidem felixque secutus,
Et damnasse miser. tali pietate virorum
Lætus, in adversis, & mundi nomine gaudens
Esse fidem, Nullum toto mihi, dixit, in orbe
130 *Gratius esse solum, non parvo pignore vobis*
Ostendi. tenuit nostros hac obside Lesbos
Adfectus: hic sacra domus, carique penates,
Hic mihi Roma fuit. non ulla in littora puppim

Antè

118. *Hæc jam crimen habent.*] Nostra hæc civitas jam Cæsari damnata est officii erga te tuamque. infra ℣. 134. *Crimen.*] Hospitii culpam. *Sulp.* *Quid, quod jacet insula.*] Persuadent à tuto, apud se manere aliquamdiu eum posse: quod difficile sit Cæsari cum classe in Lesbum penetrare: tum convenit omnis nobilitas ad defendendum te, & arcendum hostem à littore. *Hortens.*

119. *Procerum pars.*] Huc è bello convenient nobiles, qui sciant te huc venisse ad conjugem.

120. *Noto reparandum, &c.*] Quo appulisti à bello Mithridatico, auditum artium professores.

122. *Si puppibus ista juventus.*] Non sat habent aurum sacrum & profanum offerre, nisi etiam promittant se juventutem terra marique armaturos. *Hort.*

124. *Accipe.*] Versus iste νόθος, non habetur in Ms. F. Modii novantiq. 95. epist.

125. *Hoc solum crimen, &c.*] Hoc opprobrium à nobis bene de te meritis averte, ne videaris fidem nostram in adversis rebus suspectam habuisse & damnasse, quam in prosperis approbasti.

128. *Mundi nomine.*] Non sui caussa gaudet, sed generis humani nomine, quod tam profligato sæculo fides aliqua superesset: ipse alioqui beneficio non usurus. *Grotius.* *Mundi nomine gaudens.*] Ut qui non penitus profligasset fidem, cujus hæc civitas edidisset specimen & promptitudinem erga Pomp. & pop. Rom. in rebus creperis, bonum augurium atque exemplum cæteris futurum, mox ℣. 140.

130. *Non parvo pignore vobis.*] Cornelia vobis commissa.

131. *Hac obside.*] Cornelia, quasi in pignus fidei data. *Sulpit.*

133. *Hic mihi, &c.*] Declarat, nusquam se maluisse uxorem seponere,

quam

Digitized by Google

Antè dedi fugiens, sævi cùm Cæsaris iram
135 *Jam scirem meritam, servata conjuge, Lesbon,*
Non veritus tantam veniæ committere vobis
Materiam. sed jam satis est fecisse nocentes:
Fata mihi totum mea sunt agitanda per orbem.
Heu nimium felix æterno nomine Lesbos,
140 *Sive doces populos, Regesque admittere Magnum,*
Seu præstas mihi sola fidem. nam quærere certum est
Fas quibus in terris, ubi sit scelus. accipe numen,
Si quod adhuc mecum es, votorum extrema meorum:
Da similes Lesbo populos, qui Marte subactum
145 *Non intrare suos infesto Cæsare portus,*
Non exire vetent. dixit, mæstamque carinæ
Imposuit comitem. cunctos mutare putares
Tellurem, patriæque solum: sic littore toto
Plangitur, infestæ tenduntur in æthera dextræ:
150 *Pompejumque minus, cujus Fortuna dolorem*
Moverat, ast illam, quam toto tempore belli

Ut

quam apud eos, quorum ædes, domos suas, suos penates, adeoque Romæ loco duxerit. *Hortens.*

136. *Non veritus tantam, &c.*] Me vestræ fidei credere non dubitans, quem si vos prehensum Cæsari traderetis, facile cum vobis conciliaretis, impetrata exceptæ hospitio Corneliæ venia.

137. *Fecisse nocentes.*] Obnoxios & expositos invidiæ & odio Cæsaris; cur vos in inimicis propter me possit habere. *Hortens.*

138. *Fata mihi totum, &c.*] Fortuna mea mihi tentanda est, errando per totum terrarum orbem; dum vel sedem tutam, vel fideles opes invenero, quibus adjuter. *Hortens.*

141. *Quærere certum est, &c.*] Statui enim experiri, quæ gentes Senatui & pop. Romano fideles sint; quæ infidæ.

142. *Accipe numen, &c.*] Et tu, si quis deorum etiamdum mihi faveat, exaudi ultimum hoc votum meum.

146. *Dixit, mæstamque, &c.*] Postquam Pompejus Mitylenæis honorifice pro effusa humanitate in se, conjugem in navem excepit, jam jam solutuus portum. Et ad dilatandam narrationem, refert, quanto planctu insulanorum dimissi sint. Hanc comploationem mirè amplificat Poëta. *Hortens.*

147. *Cunctos mutare putares.*] Crederes Mitylenæos omnes in exilium pulsos è patrio solo migrasse, in discessu Pompeji & Corneliæ; adeo undique plangebatur ab omnibus.

149. *Infestæ tenduntur, &c.*] Tanquam Deos inclementiæ incusantes.

150. *Pompejumq; minus.*] Neque tangebantur tantum discessu Pompeji, quantum Corneliæ.

Digitized by Google

Ut civem vidêre suam, discedere cernens
Ingemuit populus: quam vix si castra mariti
Victoris peteret, siccis dimittere matres
155 *Jam poterant oculis: tanto devinxit amore*
Hos pudor, hos probitas, castique modestia vultus,
Quòd submissa nimis, nulli gravis hospita turbæ,
Stantis adhuc fati vixit quasi conjuge victo.
Jam pelago medios Titan demissus ad ignes,
160 *Nec quibus abscondit, nec si quibus exerit orbem,*
Totus erat: vigiles Pompeji in pectore curæ
Nunc socias adeunt Romani fœderis urbes,
Et varias regum mentes, nunc invia mundi
Arva super nimios soles, Austrumque jacentis.
165 *Sæpe labor mœstus curarum, odiumque futuri*
Projecit fessos incerti pectoris æstus,
Rectoremque ratis de cunctis consulit astris;

Unde

155. *Tanto devinxit amore.*] Exclamatione caussam amoris reddit, à virtutibus Corneliæ, quæ illos sibi usque adeo devinxerant. Laudat eam à verecundia ingenua, probitate, modestia, & humilitate, & animi tranquillitate. *Hortens.*

156. *Castique modestia, &c. Stantis adhuc, &c.*] Cornelia stantis fati, id est, cujus fortuna adhuc erat integra (ut infra ℣. 223. *æterni Martis Alanos.* Hellenismum alii esse volunt pro *stante fortuna*) vixit non minori cum modestia, quam si fracta fuisset adversa Fortuna.

159. *Jam pelago medios, &c.*] Erat jam Solis occidentis sphæræ pars media supra horizontem, pars altera infra diem illis deferentis, si qui sunt Antipodes qui opponunt pedibus vestigia nostris. Namque hoc plerisque veterum controversum fuit etiam contra demonstrationes Mathematicas.

160. *Nec, si quibus exerit orbem.*] Antipodibus, quibus oritur, quum nobis occidit. *Sulpit.*

161. *Vigiles Pompeji, &c.*] Pompejum insomnem & solicitum tenebat meditatio quos reges, quas gentes socias, quas mundi partes adiret.

163. *Invia mundi.*] Deserta Libyæ, zonam torridam & ulterius.

164. *Arva super nimios, &c.*] Rursum inter navigandum deliberabat apud se, num in deserta Libyæ se reciperet, aut Æthiopes, &c. *Nimios Soles.*] Æstus prope intolerabiles zonæ torridæ, quæ inter circulum Cancri est & Capricorni, quo Cæsar non penetrabit. Hæ regiones subjectæ sunt austro. *Hortens. Jacentis.*] Non *jacentes.* Grotius.

165. *Sæpe labor mœstus curarum.*] Interdum ut mentis solicitudinem & tædium cogitandi de futuris levaret, convertit se ad disputationem de astris & ratione cœli viæque inquirenda à gubernatore navis.

166. *Projecit.*] Repulit. *Fessos æstus.*] Defatigatas cogitationes.

168. *Qua*

Unde notet terras; quæ sit mensura secandi
Æquoris in cœlo; Syriam quo sidere servet:
170 *Aut quotus in plaustro Libyam bene dirigat ignis.*
Doctus ad hæc fatur taciti servator Olympi:
Signifero quæcunque fluunt labentia cœlo,
Nunquam stante polo, miseros fallentia nautas
Sidera non sequimur: sed qui non mergitur undis
175 *Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto:*
Ille regit puppes. hic cùm mihi semper in altum
Surget, & instabit summis minor Ursa ceruchis;
Bosporon, & Scythiæ curvantem littora pontum

Spe-

168. *Quæ sit mensura secandi.*] Percunctatur gubernatorem navis de stellis ad quas naviget in has vel in illas terras, ad quas stellas dirigat navigationis cursum. *Hortens.*

169. *Syriam quo sidere servet.*] Quam stellam observans in Syriam naviget, & cum Pompejum de his regionibus adeundis varia animo versantem consilia respicere videatur poëta, tum & illud, *Namque Helice Graios, Tyrios Cynosura per altum Dirigit.*

170. *Quotus in plaustro, &c.*] Quota stella ursæ majoris observatur navigantibus in Africam.

171. *Taciti servator Olympi.*] Gubernator. Sic Palinurus Virg. 3. Æneid. *Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo.*

172. *Signifero cœlo.*] Signifer circulus, Zodiacus: hic à Philosophis obliquus dicitur; quia Æquinoctialem circulum obliquè secat: & is est, qui duodecim illa signa cælestia continet. *Signifero quæcunque, &c.*] Non observamus stellas in Zodiaco & illa cœli parte quæ revoluta nobis occidit: sed sidera vicina polo Arctico, qui nobis semper sublimis certos signat cursus, juxta quem maxime fulgent duo sidera Helice & Cynosura.

173. *Nunquam stante polo.*] Ubi nulla cœli pars stabilis stellas præfert, ad quas dirigatur cursus.

175. *Axis.*] Axis est linea recta, per sphæræ centrum ducta, circa quam sphæra convertitur. Poli sunt duo puncta, quæ axem sphæræ utrimque terminant. Ille qui nobis in Europa degentibus semper apparet, dicitur Borealis vel Septentrionalis, & etiam polus Arcticus. Alter verò polus Australis vel Meridionalis dicitur & Antarcticus, quod per diametrum oppositus sit polo Arctico. Hic nunquam nobis conspicitur, & tantum sub nostro hemisphærio delitescit, quantum alter suprà idem hemisphærium attollitur. ut Virgil. *Hic vertex nobis semper sublimis: at illum Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi. Gemina Arcto.*] Duabus ursis, majore & minore.

177. *Ceruchis.*] Cornibus antennarum, ex κέρας & ἔχω.

178. *Bosporon, & Scythiæ, &c.*] Hoc vult nauta dicere, Navigantibus hinc in Bosphoron Scythicum aut Thracium, & Pontum, versus Septentrionem, stella polaris ascendit ad Zenith, ceu punctum verticale, quod, per *antennas, summam arborem & malum*, intelligit, id est, polus Arcticus elevatur. Navigantibus contra in Syriam, versus meridiem:

Digitized by Google

Spectamus. quicquid descendet ab arbore summa
180 *Arctophylax, propiorque mari Cynosura feretur,*
In Syria portus tendet ratis. inde Canopos
Excipit Australi cœlo contenta vagari,
Stella timens Boream: illa quoque perge sinistra,
Trans Pharon: in medio tanget ratis æquore Syrtim.
185 *Sed quò vela dari, quò nunc pede carbasa tendi*
Nostra jubes? dubio contrà cui pectore Magnus,
Hoc solum totò, respondit, in æquore serva,
Ut sit ab Emathiis semper tua longiùs oris
Puppis, & Hesperiam pelago, cœloque relinquas:
190 *Cetera da ventis. comitem, pignusque recepi*
Depositum: tunc certus eram, quæ littora vellem;
Nunc portum Fortuna dabit. Sic fatur: at ille

Justo

stellæ polares Bootes & Ursa minor descendunt à summitate mali ceu puncto verticali, Horizontem versus, hoc est, polus deprimitur, atque elevatur Canopus, fulgida stella in gubernaculo Australi navis Argus sideris Meridionalis, quæ non videtur nisi Rhodo in Austrum pergentibus. *nusquam invenies*, inquit Manilius: *fulgere Canopum, Donec Niliacas per Pontum veneris oras.*

179. *Quicquid descendit, &c.*] Quantum deprimitur poli Arctici, tantum elevatur Æquatoris, & in Austrum tendimus. *Descendet ab arbore summa.*] Non *descendit*. nam sequitur *feretur*. Quare & mox *tendit*, in *tendet* mutavimus. *Grotius. Ab arbore summa.*] Id est, quando polus, Arctophylax & minor ursa à summo malo descendunt, rectà excursus est in Syriam. *Hortens.*

180. *Arctophylax.*] Qui & Bootes vocatur, cujus sinistram manum circulus Arcticus includit, ut neque occidere, neque oriri videatur. *Hortens. Cynosura.*] Ursa minor, quæ Bootæ opposita est. *Sulpit.*

181. *Inde Canopos.*] Remota, nec ascendens Septentrionalibus conspicua. *Canopos.*] Stella australis ingens & clara, nostris regionibus ignota; Berenices crinis dicta. ejus meminit Plinius lib. VI. & Vitruvius lib. IX. *Sulpit.*

183. *Stella timens Boream.*] Metuit ne Borea nubes impellente, obscuretur. *Illa quoque perge sinistra.*] Si in sinistram teneas à Canopo trans Pharon, illidetur navis Syrtibus.

184. *Pharon.*] Pharus insula est in ingressu portus Alexandrini. *Hortens. Pharon.*] Lib. 10. ℣. 57. & 509. *Syrtim.*] Lib. 1. ℣. 367.

185. *Quo nunc pede carbasa.*] Utro? dextro an sinistro veli angulo imo? πεδόωνι. *the tacke.* libro 5. ℣. 428. *Tendis nostra jubes.*] Dirigi cursum.

188. *Ut sit ab Emathiis, &c.*] Thessaliam atque Italiam relinque, ad Orientem tendens.

190. *Comitem, pignusque.*] Uxorem Corneliam, quam in Lesbo deposuerat. *Hortens.*

191. *Litora vellem.*] Ante receptam uxorem, Lesbon volui petere.

193. *Justo*

Justo vela modo pendentia cornibus æquis
Torsit, & in lævum puppim dedit, utque secaret,
195 *Quas Asiæ cautes, & quas Chios asperat, undas,*
Hos dedit in proram, tenet hos in puppe rudentes.
Æquora senserunt motus, alterque secante
Jam pelagus rostro, nec idem spectante carina,
Mutavêre sonum. non sic moderator equorum,
200 *Dexteriore rota lævum cùm circuit orbem,*
Cogit inoffensæ currus accedere metæ.
Ostendit terras Titan, & sidera texit.
Sparsus ab Emathia fugit quicunque procella,
Assequitur Magnum: primusque à littore Lesbi
205 *Occurrit natus, proceruum mox turba fidelis.*

Nam

193. *Justo modo.*] Pari altitudine & planitie. *Sulpit.*

194. *In lævum puppim dedit.*] In lævam flexit.

195. *Quas Asiæ cautes, &c. undas.*] Fretum inter Asiæ litus & Chion insulam à sinistra. male legitur *Asina cant.*

196. *Hos dedit in proram, &c.*] Alterum veli angulum protendit, reducto altero. ut *vide* 428. lib. 5.

197. *Æquora senserunt motus.*] Motus, navis; ut fit ubi contra maris æstum luctatur nauta.

198. *Jam pelagus rostro, nec idem, &c.*] Cursu in obliquum mutato. neque procurrente ut prius æquatis antennis navi. majori impetu & fragore prora eruit fluctus.

199. *Non sic moderator equorum.*] Non secus atque auriga in curuli certamine contendit, interiore rota quam proxime stringere metam, quo breviore gyro circumeat. *Non sic moderator equorum, Dexteriore rota, &c.*] *Lævus orbis* in metæ flexu interior, dexter exterior. Hic tamen, naturalior motus, ut docet philosophus, ἀπὸ δεξιοῦ ἐπ' ἀριστερά. equos naturaliter ad sinistram flectere tradunt equarii. Hæc ratio ergo quod in certamine curuli equi ad sinistram flecterent, ac sinistro gyro interiore metas lustrarent; quia hic motus & conversio equis familiarior & magis ex natura. Hinc absolute *interior* Latinis pro sinisterior, ut *interior comes, interior sponda, &c.* Etenim in hac circumactione quæ κατὰ φύσιν est, interior orbis & propior centro sinister habetur. *Salmasius Plin.* Exercit. pag. 936.

200. *Dexteriore rota, &c.*] Sinistra rota immobili, dum dextra vertitur.

201. *Inoffensæ, &c.*] Evitatæ & intactæ.

202. *Ostendit terras Titan.*] A periphrastica matutini temporis descriptione redit ad historicam narrationem. Post fugam Pompeji, totis castris fuga facta est. Cn. Pompeji filium *majorem* natu, patrem secutum dicit Poëta, & simul cum eo Orientales reges, atque inter hos Deiotarum, Gallo-Græciæ regem, pro quo exstat oratio Ciceronis ad Cæsarem. *Hort. Et sidera texit.*] Oriens sol obscuraverat sidera.

203. *Sparsus ab Emathia.*] Quicunque è clade Pharsalica fugerant, sequuti sunt Pompejum.

205. *Natus.*] Natu minor, Sextus. ad lib.

Digitized by Google

Nam neque dejecto fatis, acieque fugato
Abstulerat Magno reges Fortuna ministros:
Terrarum dominos, & sceptra Eoa tenentes
Exul habet comites. jubet ire in devia mundi
210 *Deiotarum, qui sparsa ducis vestigia legit.* *
Quando, ait, Emathiis amissus cladibus orbis
Quà Romanus erat, superest fidissime regum
Eoam tentare fidem, populosque bibentes
Euphraten, & adhuc securum à Cæsare Tigrim:
215 *Nec pigeat Magno quærentem fata, remotas*
Medorum penetrare domos, Scythicosque recessus,
Et totum mutare diem, vocesque superbo
Arsacidæ perferre meas: Si fœdera nobis
Prisca manent, mihi per Latium jurata Tonantem,
220 *Per vestros astricta magos, implete pharetras,*

Arme-

lib. 9. ℣. 45. *Procerum.*] Senatorum, & ducum. *Pompejus fugiens cum duobus Lentulis, Sextoque filio & Favonio, &c.* Vel. Paterc. lib. 2.

206. *Dejecto.*] Victo.

208. *Sceptra Eoa.*] Regna Orientalia.

209. *Jubet ire in devia mundi Deiotarum.*] Deiotarum regem Gallo-Græciæ mittit in remotissimas terras minoris Asiæ ad arma solicitanda.

210. *Qui sparsa ducis vestigia legit.*] Qui fugientem Pompejum assecutus fuerat.

211. *Quando, ait, Emathiis.*] Pompeji ad Deiotarum oratio.

212. *Quà Romanus erat.*] Qua parte, & quousque Imperio Romano subjectus est. *Hortens.*

213. *Eoam tentare fidem.*] Auxilia & opes Orientales sollicitare ad arma contra Cæsarem, pro majestate Senatus. *Hortens. Populosque bibentes Euphraten.*] Armeniæ & Mesopotamiæ pop.

214. *Tigrim.*] Tigris accolas.

215. *Magno quærentem fata.*] Quo mihi fata recuperes.

217. *Totum mutare diem.*] Subire aliud cœli clima, ubi propter loci distantiam & mundi inclinationem variatur diei ratio. Alii leg. *mutare*, id est, excitare totum Orientem. *Superbo.*] Recenti de Crassis victoria, lib. 1. ℣. 10.

218. *Arsacidæ.*] Regi Parthorum, denominato ab Arsace authore imperii. *Fœdera nobis, &c.*] Exceptis (inquit Florus lib. 3. cap. 5.) Parthis, qui fœdus maluerunt: & Indis, qui nos adhuc non noverant, omnis Asia inter Rubrum & Caspium & Oceanum Pompejanis domita vel oppressa signis tenebatur.

219. *Per Latium jurata Tonantem.*] Per Jovem Imperii Rom. præsidem à nobis, & Deos vestros à magis sapientibus, sacerdotibusque jurata.

220. *Astricta.*] Firmata. *Magos.*] Sapientes, sacerdotes. *Sulpit. Implete pharetras.*] Instruite & parate arma auxiliaria. Parthi autem arcubus prælibantur, quos cum per pacem remitterent, in contrarium flectebant.

221. *Ar-*

Digitized by Google

Armeniosque arcus Geticis intendite nervis:
Si vos ô Parthi, peterem cùm Caspia claustra,
Et sequerer duros æterni Martis Alanos,
Passus Achæmeniis latè decurrere campis,
225 *In tutam trepidos nunquam Babylona coëgi:*
Arva super Cyri, Chaldæique ultima regni,
Quà rapidus Ganges, & quà Nysæus Hydaspes
Accedunt pelago, Phœbi surgentis ab igne
Jam propior, quam Persis, eram: tamen omnia vincens
230 *Sustinui nostris vos tantùm deesse triumphis,*
Solusque è numero regum telluris Eoæ,
Ex æquo me Parthus adit. nec munere Magni
Stant semel Arsacidæ. quis enim post vulnera cladis
Assyriæ, justas Latii compescuit iras?
235 *Tot meritis obstricta meis, nunc Parthia ruptis*

Exce-

221. *Armeniosque arcus Geticis.*] Parthicos.

222. *Si vos ô Parthi.*] Avertit orationem à Deiotaro ad Parthos, cum quibus humaniter egit, tum, quum persequeretur Alanos, ut Poëta dicit, & peteret portas Caspias, quas *claustra Caspia* vocat. *Hortens. Caspia claustra.*] Caspiæ portæ sunt fauces montium Caspiorum inter Medos & Parthos. Sed de aliis furcis cen faucibus Armeniam versus est intelligendum: cum Pompejus huc non pervenerit. uti nec ad Alanos Scythiæ Europææ pop. sed Albanos potius, qui Caspiis claustris & Parthis viciniores. De his item Plut. in Pomp. & Tacit. Annal. 12. 13. 15. atque ita legendum apud Suet. in Domitiano cap. 2.

223. *Æterni Martis Alanos.*] Qui semper in armis sunt, qui induruerunt assueti bellis.

224. *Achæmeniis.*] Persicis, ab Achæmeni de tribu, à qua Reges Persarum, à filio Ægei. Steph. *Latè decurrere campis.*] In ocio & pace.

225. *In tutam trepidos, &c.*] Non repressi, neque in urbem Imperii sedem fugavi.

226. *Arva super Cyri.*] Ultra regnum Persarum. lib. 6. ✠f. 449.

227. *Ganges.*] Indiæ fluvius. *Nysæus Hydaspes.*] Nysam urbem Indiæ à Baccho conditam prætersluens.

228. *Accedunt pelago.*] In mare Indicum labuntur. *Phœbi surgentis, &c.*] Propior eram Orienti soli quam ipsi Persæ.

232. *Ex æquo me Parthus adit.*] Par, liber, non triumphatus. *Nec munere Magni.*] Neque incolumitatem & pacem semel tantum meo debent beneficio, quin & post victos Crassos, dissuasi ego in Senatu, ne bellum Parthis inferretur, durante sc. bello Gallico.

233. *Arsacidæ.*] Parthi, ab Arsace primo Parthorum rege. *Quis enim post vulnera.*] Quis post cæsos Crassos, patrem & filium à Parthis, continuit populum Rom. ne ea clades vindicaretur, nisi ego? *Hortens.*

235. *Tot meritis, &c.*] Concludit enume-

Excedat clauſtris vetitam per ſecula ripam,
Zeugmaque Pellæum. Pompejo vincite Parthi;
Vinci Roma volet. regem parêre jubenti
Ardua non piguit, poſitiſque inſignibus aulæ
240 *Egreditur famuli raptos indutus amictus.*
In dubiis tutum eſt inopem ſimulare tyranno.
Quanto igitur mundi dominis ſecurius ævum
Verus pauper agit! dimiſſo in littore rege,
Ipſe per Icariæ ſcopulos, Epheſumque relinquens,
245 *Et placidi Colophona maris, ſpumantia parvæ*
Radit ſaxa Sami: ſpirat de littore Coo
Aura fluens: Gnidon inde fugit, claramque relinquit
Sole

enumerationem meritorum, dimittitque Regem cum mandatis ad Parthos; ut terminos regni libere tranſeant, & Romanis ſecum bellum inferant. *Hortenſius.*

236. *Clauſtris vetitam per ſecula ripam.*] Terminis conſtitutis intra Euphratem, quem Phraates cum Tigranem generum ſuum à Pompejo expoſceret, Imperii metam & terminum pactus eſt.

237. *Zeugmaque Pellæum.*] Syriæ ad Euphratem opp. ab Alexandro Macedone conditum. & ubi fluvium ponte è navibus domuerat, cathenas in urbe ſervatas eſſe ſuo tempore refert Plin. lib. 34. cap. 15. *Pellæum.*] Macedonicum, ſeu Alexandri: Pella enim urbs Macedoniæ. Hinc *unus Pellæo juveni non ſufficit orbis.* Hortenſ. *Pompejo vincite Parthi.*] In meam gratiam & partes potius quam Cæſaris ſit.

238. *Regem.*] Deiotarum.

239. *Poſitiſque, &c.*] Poſito habitu regio.

240. *Egreditur famuli.*] Deiotarus rex Pompejo mandanti paruit; atque haud melius veſtitus quam famulus, poſitis regiis ornamentis, egreditur è navi in littus. Addit *amictus raptos*, quaſi in re trepida raptim acceptos. *Hortenſ.*

241. *Inopem ſimulare tyranno.*] Regi aſſumere habitum pauperis.

243. *Dimiſſo in littore rege.*] Expoſito Deiotaro cum mandatis ad Parthos, in litore Aſiatico.

244. *Ipſe per Icariæ.*] Pompejus. *Icariæ ſcopulos.*] Icariæ inſ. *nidi inter ſcopulos. Epheſumque relinquens.*] Ioniæ in Aſia maritimam urbem celebrem.

245. *Placidi Colophona maris.*] In imo quippe ſinus pulcherrimi eſt Colophon. *Spumantia parvæ.*] Ioniæ inſulæ.

246. *Sami.*] Maris Carpathii inſul. *Coo.*] Samo vicina eſt Cos inſ.

247. *Aura fluens.*] Ab occaſu ventus commodus leniter ſpirat, inter Aſiam & Coum inſulam, curſum in Ortum flectentibus. Eſt autem Cous ſive Cos in eodem mari contra Cariam, & illi ſinui obtenta, in quo Halicarnaſſus quondam fuit nobiliſſima inſula; inter quam & Chium Samos media eſt. Cous Hippocratem dedit principem medicorum, Pythagoræ. Hinc prodiit Apelles ille incomparabilis pictor. Cous Æſculapii templum habuit, vetuſtiſſimum omnium Medicorum, qui ob dignitatem & excellentiam artis præſtantiſſimæ, divinos honores meruiſſe proditur. Cous vinum præſtantiſſimum ferre tradit Strabo. *Hortenſ. Gnidon.*] Extremam

Sole Rhodon, magnosque sinus Telmessidos unda
Compensat medio pelagi. Pamphylia puppi
250 *Occurrit tellus: nec se committere muris*
Ausus adhuc ullis, te primùm parva Phaselis
Magnus adit. nam te metui vetat incola rarus,
Exhaustæque domus populis; majorque carinæ
Quàm tua turba fuit. tendens hinc carbasa rursus
255 *Jam Taurum, Tauroque videt Dipsanta cadentem.*
Crederet hoc Magnus, pacem cum præstitit undis
Et sibi consultum? Cilicum per littora tutus
Parva puppe fugit: sequitur pars magna Senatus
Ad profugum collecta ducem: parvisque Synedris,
260 *Quo portu mittitque rates recipitque Selinus,*
In Procerum cœtu tandem mœsta ora resolvit

Voci-

tremam Cariæ urbem in promontorio sitam, liberam, forma peninsulæ: hanc Dores habitarunt. *Claramque Sole Rhodon.*] Rhodos insula Carpathii pelagi, classe potens, Phæbo dilecta: hinc & Colosso & templo Phæbi clara. *Hortens. Claramque, &c.*] Lib. 5. ℣. 51.

248. *Sinus Telmessidos.*] Sinus, ad Telmessium oppidum Cariæ. *Telmessidos undæ.*] Variant nonnihil Mss. Sed vera hæc lectio. *Telmessus* urbs apud Plinium: apud Strabonem & Stephanum τελμεσσός. Est in confinio Lyciæ & Cariæ. *Grotius.*

249. *Compensat medio pelagi.*] Compendium magni sinus facit, recta per medium pelagus navigatione. Legitur & *Compensat, medio pelagi Pamph. Medio pelagi.*] Priori periodo hæc verba ascripsimus. Sunt enim opposita, *medium pelagi*, & *magni sinus. Compensare* est, compendifacere. Seneca Hippolyto: *Qua via longum compensat iter.* ℣. 85. *Grotius. Pamphylia puppi.*] Asiæ Minoris regio Ciliciæ vicina.

250. *Muris Ausus adhuc ullis.*] Oppido ulli, ℣. 136. supra.

251. *Te primum parva Phaselis.*] *Phaselis* vocante casu Ms. P. rectius. *Grot. Phaselis.*] Pamphyliæ opp. Attaleam dicit Plutarchus eum primum intrasse.

253. *Majorque carinæ.*] Pauciores incolæ erant quam comites Pompeji.

254. *Tendens, &c.*] Hinc navigans.

255. *Taurum.*] Montem Ciliciæ. *Dipsanta cadentem.*] Ciliciæ fluv.

256. *Crederet hoc Magnus.*] Credidisset hoc quondam Pompejus, cum maria hæc profligatis piratis pacasset, fore aliquando ut sibi profugo hoc tuto itinere opus esset?

259. *Synedris, &c.*] Inf. vel potius ad ostium Selinuntis fluv. Ciliciæ. Sunt qui intelligant consessum Senatorium, συνέδριον. Alii leg. *Celendris* opp. litorale, Strabo lib. 14. Plin. lib. 5. cap. 27.

260. *Selinus.*] Et hic variant manuscripti. Sed vera hæc lectio. Selinus fluvius est Ciliciæ apud Strabonem. *Grotius.*

261. *In Procerum, &c.*] Metuens Pompejus celeritatem hostis, ne rebus imparatis superveniret Cæsar, de loco perfugii & secessus deliberavit; ipse Parthiam prætulit; alii Africam & Jubam;

Digitized by Google

Vocibus his Magnus: Comites bellique, fugæque,
Atque instar patriæ, quamvis in littore nudo,
In Cilicum terra, nullis circundatus armis
265 *Consultem, rebusque novis exordia quæram,*
Ingenteis præstate animos: non omnis in arvis
Emathiis cecidi, nec sic mea fata premuntur,
Ut nequeam relevare caput, cladesque receptas
Excutere. an Libycæ Marium potuere ruinæ
270 *Erigere in fasces, plenis & reddere fastis:*
Me pulsum leviore manu Fortuna tenebit?
Mille meæ Grajo volvuntur in æquore puppes,
Mille duces: sparsit potiùs Pharsalia nostras,
Quàm subvertit opes. sed me vel sola tueri
275 *Fama potest rerum, toto quas gessimus orbe,*
Et nomen, quod mundus amat. vos pendite regna
Viribus, atque fide, Libyen, Parthosque, Pharonque,
Qua-

bam; Theophanes Lesbius Ægyptum suasit & persuasit. Plutarch. & Appian. Patercul.

263. *Instar patriæ.*] Referentes patriam, *vel* pondus atque autoritatem patriæ habentes.

266. *Non omnis in arvis, &c.*] Etsi in campis Pharsalicis infeliciter pugnavi, non tamen in totum perii; neque ita res meæ afflictæ sunt, ut spes nulla ad reparandum bellum superfit. *Hortensius.*

267. *Premuntur.*] Non sunt adeo prostrata.

269. *Excutere.*] Repellere damnum & obliviſci. *Sulp. An Libycæ Marium.*] Marium post carcerem Minturnensem & latebras in ruinis Carthaginis, lib. 2. ℣ſ. 89. Fortuna ad septimum provexit Consulatum. Me manu minus gravi depressit: Quid obstat quo minus & restituat?

270. *Erigere in fasces.*] Provehere ad Consulare imperium. *Hortens.* *Plenis & reddere Fastis.*] Annalibus, in quibus acta & anni per Consulatus recensentur. *Hortens.*

271. *Leviore manu.*] A Cæsare, cujus potentia & vires tantæ non sunt, quantæ Syllæ fuerunt. *Hortens.*

272. *Mille meæ.*] Synecdoche Hyperbolica. *Graio volvuntur, &c.*] Ad Corcyram enim & in Adriatico classes illi integræ erant & præfecti.

273. *Sparsit potius.*] Extenuat acceptam cladem, ut comitum animos erigat, ne in adversis frangantur; sed ut multò magis recordatione præsentium virium confirmentur. *Hortens.*

276. *Nomen quod mundus amat.*] Quo nimium fretus erat. lib. 1. ℣ſ. 135. *Pendite regna, &c.*] Expendite, deliberate ad quem tanquam fidelem & viribus præstantem confugiamus, ad Jubamne Numidarum regem in Africa; an Phraaten Parthiæ; an ad Ptolomæum Ægypti regem.

277. *Libyen, Parthosque, &c.*] Per *Libyen,*

Quenam Romanis deceat succurrere rebus.
Ast ego curarum, proceres, arcana mearum
280 *Expromam, mentisque meæ quò pondera vergant.*
Ætas Niliaci nobis suspecta tyranni est:
Ardua quippe fides robustos exigit annos.
Hinc anceps dubii terret solertia Mauri:
Namque memor generis Carthaginis impia proles
285 *Imminet Hesperiæ, multusque in pectore vano est*
Annibal, obliquo maculat qui sanguine regnum,
Et Numidas contingit avos: jam supplice Varo
Intumuit, viditque loco Romana secundo.
Quare agite, Eoum comites properemus in orbem.
290 *Dividit Euphrates ingenti gurgite mundum,*
Caspiaque immensos seducunt claustra recessus,
Et polus Assyrias alter noctesque, diesque
Vertit, & abruptum est nostro mare discolor unda,
Oceanusque suus. regnandi sola voluptas.

Cel-

Libyen, Jubam Regem Numidarum: per *Parthos*, Phraaten: per *Pharon*, Ptolemæum puerum adhuc Regem indicat; qui omnes in fide & amicitia Pop. Romani erant. *Hortens.*

280. *Mentisque, &c.*] Quo consilia mea inclinent.

281. *Niliaci nobis, &c.*] Ptolomæi, *qui tum puero quam juveni propior Ægypti rex erat.* Paterc.

282. *Ardua quippe, &c.*] Eximia, certa, in rebus arduis præstita.

283. *Solertia Mauri.*] Jubæ astutia.

284. *Namque memor, &c.*] Jubam Pœnis oriundum vult poëta, ingenio vafro, perfidia & odio nominis Romani referre Annibalem.

286. *Obliquo maculat, &c.*] Qui regni Libyæ jus ad se ex laterali descensu pertinere vult. Alii ex *obliquo & macula*, nothum fuisse intelligunt.

287. *Jam supplice Varo, &c.*] Insolens factus est, quod Actius Varus subsidium ab illo petiisset, & quòd Curione cum exercitu deleto res Romanas vidisset suis inferiores.

289. *Eoum, &c.*] Parthiam. Locum hunc examinat redarguitque Jos. Scal. in prolegom. ad Manil.

290. *Dividit Euphrates.*] Ad ✠ f. 236. supra.

291. *Caspiaque immensos, &c.*] Ad ✠ f. 222. supra.

292. *Et polus Assyrias, &c.*] Parthiam, atque Indiam, pro qua videtur Assyriam dixisse, cum nulla sit pars Assyriæ quæ polum Antarcticum videat.

293. *Et abruptum est, &c.*] Et Oceanus Indicus alius est à nostro, cujus pars Mare rubrum, diversi à nostro coloris; ut volunt. sed vide quæ nos ad Senec. Thyest. ✠ f. 370.

294. *Regnandi sola voluptas.*] Regnandi solo studio arma meditantur & capessunt.

295 *Celsior in campis sonipes, & fortior arcus;*
Nec puer, aut senior letales tendere nervos
Segnis, & à nulla mors est incerta sagitta.
Primi Pellæas arcu fregêre sarissas,
Bactraque Medorum sedem, murisque superbam
300 *Assyrias Babylona domos. nec pila timentur*
Nostra nimis Parthis, audentque in bella venire,
Experti Scythicas, Crasso pereunte, pharetras.
Spicula nec solo spargunt sidentia ferro;
Stridula sed multo saturantur tela veneno.
305 *Vulnera parva nocent, fatumque in sanguine summo est.*
O utinam non tanta mihi fiducia sævis
Esset in Arsacidis! fatis nimis æmula nostris
Fata movent Medos, multumque in gente Deorum est.
Effundam populos alia tellure revulsos,
310 *Excitosque suis immittam sedibus ortus.*
Quod si nos Eoa fides, & Barbara fallunt
Fœdera; vulgati supra commercia mundi

Nau-

295. *Celsior in campis sonipes.*] Equi illis altiores & ferociores quam nostri.

296. *Nec puer.*] Ab ineunte ætate sagittis mittendis instituuntur. *Letales tendere, &c.*] Mox ℣. 304.

298. *Primi.*] Parthi primi & soli retuderunt impetum Alexandri. *Pellæas arcu, &c.*] Macedonicas hastas. Pella urbs Macedoniæ Alexandri patria. *Sarissas.*] Hastas Macedonicas. *Hortens.*

299. *Bactraque Medorum sedem.*] Sibi subjecerunt Medos, quorum urbs Bactra regia Bactrianæ; & Assyrios, quorum regia Babylon. *Murisque superbam.*] Lib. 6. ℣. 50.

302. *Experti Scythicas.*] Ab exemplo Crassorum probat, quantum Parthi viribus & rei militaris peritiâ valuerint. *Hort. Experti Scythicas.*] Facto periculo in eo prœlio, quo Crassi devicti sunt, nostra pila esse suis sagittis inferiora. *Scythicas pharetras.*] Parthicas nuncupat: sunt enim Parthi à Scythis oriundi. *Hortens.*

305. *Vulnera parva nocent.*] Leve utique vulnus lethale est à veneno quo tinguntur sagittæ.

306. *O utinam, &c.*] Atque utinam mihi non instaret necessitas opem implorandi à Parthis, gente sæva, nostri æmula invidaque, nec habenti minus favoris divini.

309. *Alia tellure revulsos.*] Prætet Parthos.

310. *Ortus.*] Orientis populos.

311. *Quod si nos Eoa fides.*] Occupat, quod objici posset, nihil firmæ spei & certæ fiduciæ in Barbaris ponendum esse; à quibus nuper admodum, exercitus Rom. unà cum Imperatore Crasso cæsus fuit. *Hort. Et Barbara.*] Cum Parthis, supra ℣. 218. & 236.

312. *Vulgati supra commercia, &c.*] Quod si Parthorum fides, & fœdus inter nos

Digitized by Google

Naufragium Fortuna ferat. non regna precabor,
Quæ feci; sed magna feram solatia mortis
315 *Orbe jacens alio, nil hæc in membra cruentè,*
Nil socerum fecisse piè. sed cuncta revolvens
Vitæ fata meæ, semper venerabilis illa
Orbis parte fui: quantus Mæotida supra!
Quantus apud Tanaim toto conspectus in ortu!
320 *Quas magis in terras nostrum felicibus actis*
Nomen abit, aut unde redit majore triumpho?
Roma save cœptis: quid enim tibi lætius unquam
Præstiterint Superi, quàm, si civilia Partho
Milite bella geras, tantam consumere gentem,
325 *Et nostris miscere malis? Cùm Cæsaris arma*
Concurrent Medis, aut me Fortuna necesse est
Vindicet, aut Crassum. sic fatus, murmure sentit

Con-

ter nos nuper renovatum me fallat; non recuso naufragium dignitatis meæ, vitæ & bonorum, quod Fortuna detulerit me extrà conspectum nostrorum hominum; Vel apud eas gentes, cum quibus nobis nullum commercium est. *Hortens.*

314. *Sed magna feram, &c.*] Levius feram dignitatis meæ ruinam & fortunæ naufragium ex oculis nostrorum remota ad extremas ignotasque gentes, quibuscum nobis nullum commercium: quam si me conferrem in regna quæ à me devicta suis regibus reddidi, lib. 7. ℣. 710. eritque mihi solatio ibi interire, ubi nec crudelitati Cæsaris, neque officiis sim obnoxius; solanti me recordatione rerum à me illic gestarum.

318. *Quantus Mæotida supra.*] Quas victorias & triumphos retuli è Mithridate, Tigrane, &c. ultra Mœotim paludem & Tanaim!

320. *Quas magis, &c.*] In nullas certe magis.

321. *Nomen abit.*] Pro *abiit*, quasi dicat, in nullas terras, nominis mei splendor magis abiit, quam in has. *Majore triumpho.*] Nam è Mithridatico bello domum reversus, triumpharat uno tempore de piratis toto mari ejectis; quodque Romanis maris imperium restituisset: quod Asiam, Pontum, Armeniam, Paphlagoniam, Cappadociam, Ciliciam, &c. armis subegisset. Omnibus terris à Mæoti lacu, ad Rubrum mare subactis, meritò postea in concione gloriatus est, de rebus à se gestis; quodque Asiam, quam ultimam Rom. Imperii provinciam acceperat, finibus longè propagatis, mediam reddidisset. *Hortens.*

323. *Partho, &c.*] Qui aut victor restituet me, aut victus pœnas dabit Crassorum, vacante interim à civili bello milite Rom.

326. *Medis.*] Parthis.

327. *Me vindicet aut Crassum.*] Quasi dicat, cum Partho milite aut vincemus in ultionem nostram; aut ita attenuabitur, ut Crassi umbras ulciscamur, & sit multò Romanis inferior, quod sequenti oratione declarat. *Sulpit.*

Consilium damnasse viros: quos Lentulus omneis
Virtutis stimulis, & nobilitate dolendi
330 *Praeßit, dignasque tulit modò Consule voces:*
Siccine Thessalicæ mentem fregêre ruinæ?
Una dies mundi damnavit fata? secundum
Emathiam lis tanta datur? jacet omne cruenti
Vulneris auxilium? solos tibi, Magne, reliquit
335 *Parthorum Fortuna pedes? quid transfuga mundi*
Terrarum totos tractus, cœlumque perosus,
Adversosque polos, alienaque sidera quæris,
Chaldæos culture focos & barbara sacra
Parthorum famulus? quid causa obtenditur armis
340 *Libertatis amor? miserum quid decipis orbem,*
Si servire potes? te, quem Romana regentem
Horruit auditum, quem captos ducere Reges
Vidit ab Hyrcanis, Indoque à littore, silvis,

Deje-

328. *Consilium damnasse viros.*] Consilium suum de Parthis adeundis improbari à suis. *Lentulus omneis.*] Orationem hanc Theophani Lesbio adscribit Plut. in Pomp.

329. *Nobilitate dolendi.*] Nobili dolore & commiseratione.

330. *Modo Consule voces.*] Qui paulo ante Consularum gesserat.

331. *Siccine Thessalicæ.*] Hac oratione Lentulus argumentis contrariis dissuadet, decernitque Ægyptum esse petendam. *Sulpit.*

332. *Una dies mundi, &c.*] Unane illa infeliciter in Thessalia pugnata dies damnavit totum mundum in extremam & æternam calamitatem? Iata quasi perpetuæ felicitatis sententia pro victoribus unius diei? *Secundum Emathiam lis.*] Fertur tota sententia pro victoribus in Emathia. *Sulpit.*

333. *Jacet omne cruenti.*] Nihilne post acceptam hanc cladem superest auxilii.

335. *Parthorum Fortuna pedes.*] Quorum ad pedes tu supplex accidas opem imploraturus. *Transfuga mundi.*] Parthos ultra Æquinoctialem statuit, ut supra ℣. 292. Assyrios.

338. *Focos & barbara sacra.*] Aras. Alii leg. *deos.* in idem recidunt. Ignem scil. Deum Chaldæorum.

339. *Quid causa, &c.*] Aut quid libertatis studium præteximus belli causam, si modo Parthis nos servituros projiciamus?

341. *Te, &c.*] O, quanto Romani nominis dedecore, atque damno tuo, consilium hoc iniisti? cristas utique tollent Parthi, Romanosque omnes præ se contempserint: ubi viderint te Imperatorem summum & *caput Romæ, lauri-geros ageret cum Lata triumphos*, animo tam abjecto ad pedes suos prostratum. *Romana regentem.*] Res Romanas; imperium.

342. *Ducere reges.*] Ante triumphalem currum.

343. *Ab Hyrcanis, &c.*] Ex remotis Asiæ regionibus, ad Hyrcaniam & Indiam vergentibus.

344. *De-*

Dejectum fatis, humilem fractumque videbit,
345 *Extolletque animos Latium vesanus in orbem,*
Se simul, & Romam Pompejo supplice mensus?
Nil animis, fatisque tuis effabere dignum:
Exiget ignorans Latiæ commercia linguæ,
Ut lacrymis se, Magne, roges. patimurne pudoris
350 *Hoc vulnus, clades ut Parthia vindicet antè*
Hesperias, quàm Roma suas? civilibus armis
Elegit te nempe ducem. quid vulnera nostra
In Scythicos spargis populos, cladesque latenteis?
Quid Parthos transire doces? solatia tanti
355 *Perdit Roma mali, nullos admittere Reges,*
Sed civi servire suo. juvat ire per orbem
Ducentem sævas Romana in mœnia gentes,
Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequentem?
Qui solus regum, fato celante favorem,
360 *Defuit Emathiæ, nunc tantas ille lacesset*
Auditi victoris opes, aut jungere fata

Tecum,

344. *Dejectum fatis.*] Ab indigno. Qui tot triumphis clarus, in his regionibus celebreris, eo amentiæ redactus es, ut uno prœlio fusus, animum fractum & abjectum habeas: talem te his gentibus cum ludibrio nominis ac dignitatis præbeas. *Hortens.*

345. *Extolletque animos.*] Ab inutili & publico Imperii Rom. incommodo. Ilicò Parthus, comperto tam parum virium esse in Imperatore summo, Populi Rom. animum eriget, & collectis viribus bellum faciet Italiæ; suis opibus, & Populi Rom. viribus æstimatis, quum te supplicem viderit. *Hortens.*

347. *Nil animis, &c.*] Et quam indignum erit animo tuo & rebus tuis gestis, supplicare Parthis? quorum linguæ cum imperitus sis, lacrymis agendum est implorandumque fletu auxilium.

350. *Clades ut Parthia, &c.*] Ut eladem Pharsalicò prœlio acceptam prius Parthi vindicent, quam nos cladem ab iis acceptam ad Carras? *Grotius.*

352. *Quid vulnera nostra, &c.*] Damna bello accepta, quæ hostes celare prudentiùs erat, cur prodis illis?

354. *Quid Parthos transire doces?*] Quid occasionem præbes transeundi Euphratem, imperii sui limitem? *Solatia tanti, &c.*] Et cum Roma soletur se post bellum, quod civi potius serviat suo quam regibus externis: per te solatio hoc illa frustrabitur.

357. *Romana.*] Contra patriam.

358. *Signaque ab Euphrate.*] Lib. 1. ℣. 10.

359. *Qui solus regum, &c.*] Quando exitus belli erat in dubio, Phraates non misit tibi auxilium: an utique credis opem illum tibi victo laturum contra victorem, de quo multa audiit?

361. *Aut jungere fata.*] Tecum se in

Digitized by Google

Tecum, Magne, volet? non hæc fiducia genti est,
Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, & Martis amator.
365 *Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem*
Labitur, emollit gentes clementia cœli.
Illic & laxas vestes, & fluxa virorum
Velamenta vides. Parthus per Medica rura,
Sarmaticos inter campos, effusaque plano
370 *Tigridis arva solo, nulli superabilis hosti est*
Libertate fugæ: sed non, ubi terra tumebit,
Aspera conscendet montis juga; nec per opacas
Bella geret tenebras incerto debilis arcu,
Nec franget nando violenti vorticis amnem,
375 *Nec tota in pugna perfusus sanguine membra*
Exiget æstivum calido sub pulvere solem.

Non

discrimen conjicere, qui clade affectus, ipse omnibus relictis fugeris. *Hortens.*

363. *Omnis in Arctois, &c.*] Septentrionales populi, inquit Vegetius lib. 1. cap. 2. remoti à solis ardoribus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundantes, sunt ad bella promptissimi. Nationes vero Soli vicinæ, nimio calore siccatæ, amplius quidem sapiunt, sed minus habent sanguinis; & propterea fiduciam cominus pugnandi non habent, & metuunt vulnera. Idem Aristot. Herodot. & Vitruvius lib. 5. & Rob. Valturius lib. 6. de re Militari, cap. 8. Respondet autem ad illud Pompeji, supra ℣s. 395.

364. *Martis.*] Alii *mortis*, ut lib. 1. ℣s. 461.

365. *Mundique teporem.*] Plagam cœli tepidam.

367. *Laxas vestes, & fluxa.*] Quod & mollitiem arguebat apud Romanos; *Malthinus tunicis demissis ambulat.* Horatius.

368. *Parthus per Medica rura.*] In camporum quidem planitie præstant plurimum Parthi, sagittis eminus & fuga inter pugnandum freti: in montosis vero minimum valent.

371. *Libertate fugæ.*] Inter suos, inquit, in pugna insuperabiles sunt in campis planis, non armorum vi, sed alacritate fugæ, qua pugnant. Nam medio pugnæ ardore, ex improviso certamen deserunt, mox ex fuga redeunt in pugnam; & cum maximè te vicisse putes, tum præcipuum instet discrimen. *Sed non ubi terra tumebit.*] In planis quidem campis fugiendo refugiendoque in pugna plurimum præstant; at in locis, quæ collibus assurgunt, deprimunturque convallibus, minimum valent. *Hortensius.*

372. *Per opacas, &c.*] Per opaca vallium, inquiunt. Quid si, noctis? neque enim noctu fugientem insequi Crassum sustinebant Parthi. Plutarchus in Crasso.

374. *Nec franget, &c.*] Non flumina, ubi opus est tranare didicerunt.

375. *Nec tota in pugna, &c.*] Neque vulneratus perseverabit per diem totum æstivum

Digitized by Google

Non aries illis, non ulla est machina belli:
Haud fossas implere valent: Parthoque sequente
Murus erit, quodcunque potest obstare sagittæ.
380 *Pugna levis, bellumque fugax, turmæque vagantes,*
Et melior cessisse loco, quàm pellere, miles.
Illita tela dolis, nec Martem comminus unquam
Ausa pati virtus, sed longè tendere nervos,
Et, quò ferre velint, permittere vulnera ventis.
385 *Ensis habet vires, & gens quæcunque virorum est,*
Bella gerit gladiis. nam Medos prœlia prima
Exarmant, vacuæque jubent remeare pharetræ.
Nulla manus illis; fiducia tota venenum est.
Credis, Magne, viros, quos in discrimina belli
390 *Cum ferro venisse parum est? tentare pudendum*
Auxilium tanti est, toto divisus ut orbe
A terra moriare tua? tibi barbara tellus
Incumbat? te parva tegant, ac vilia busta,
Invidiosa tamen, Crasso quærente sepulcrum.
395 *Sed tua sors levior, quoniam mors ultima pœna est,*

Nec

æstivum in pugna, pulveris & solis patiens.

377. *Aries illis.*] Lib. 3. ℣. 490.

378. *Implere valent.*] Cratibus, fascibus, terra, trabibus, ad oppugnanda castra.

379. *Murus erit, &c.*] Illæsum te præstabit, quicquid sagittas arcere valet.

380. *Pugna levis, &c.*] Resp. ad illud, ℣. 295. supra.

381. *Et melior, &c.*] Fugæ aptior quam pugnæ.

382. *Dolis.*] Veneno.

384. *Et, quo ferre velint.*] Tela incertum ubi casura temere emittere.

385. *Ensis habet vires.*] Statuaria pugna & comminus gladiis prœliari virorum, hoc est, fortium est. *Et gens quæcunque virorum est.*] Parthos notat ut effeminatos, imbelles. Sic Rex Epiri Alexander, se in viros incidisse dicebat, Alexandrum Philippi Macedonis filium in feminas. *Grotius.*

386. *Nam Medos, &c.*] Sed vide Plutarchum in Crasso, ubi Romanos hæc spes falsos habuit, aderant quippe cameli sagittis onusti, unde conversi Parthi pharetras reficerent.

388. *Nulla manus illis.*] Nulla vis in ictibus inferendis.

390. *Parum est.*] Nisi & venenum addant. *Tentare pudendum, &c.*] Tantine facis tam inhonestum & imbelle auxilium, ut moriare.

391. *Toto divisus.*] Ut supra ℣. 289.

392. *A terra moriare tua.*] Resp. ad illud Pompeji, ℣. 311. supra.

394. *Quærente sepulcrum.*] Non habente sepulc. feris alitibusque projecto.

395. *Quoniam mors, &c.*] Quoniam

Digitized by Google

Nec metuenda viris. at non Cornelia letum
Infando sub rege timet. nùm barbara nobis
Est ignota Venus, quæ ritu cæca ferarum
Polluit innumeris leges, & fœdera teda
400 *Conjugibus, thalamique patent secreta nefandi*
Inter mille nurus? epulis vesana, meroque
Regia, non ullos exceptos legibus horret
Concubitus: tot femineis complexibus unum
Non lassat nox tota marem. jacuêre sorores
405 *In regum thalamis, sacrataque pignora matres.*
Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
Oedipodionias infelix fabula Thebas:
Parthorum dominus quoties sic sanguine misto
Nascitur Arsacides? cui fas implere parentem,
410 *Quid rear esse nefas? proles tam clara Metelli*
Stabit barbarico conjux millesima lecto.
Quanquam non ulli plus regia, Magne, vacabit

Savi-

mors, ærumnarum requies est & malorum ultimum.

396. *Non Cornelia.*] Sed dedecus omni leto gravius timet.

399. *Innumeris leges.*] Rex quot libet, alii, quot possunt alere.

400. *Patent secreta nefandi.*] In propatulo sunt, vel in communi inter multas.

401. *Inter mille nurus.*] Prosequitur nfandos & illicitos coïtus concubitusque gentis Parthicæ; & quidem in Rege tam potenti, qui citrà discrimen vago concubitu, cum quibuslibet commiscetur. *Hortens. Epulis vesana, &c.*] Rex satur & ebrius nullos horret concubitus, vel legibus interdictos. Alii leg. *non nullis.*

402. *Non ullos.*] Ita rescripsimus pro, *nullis.* Nullos horret concubitus interdictos legibus. *Grotius.*

403. *Tot fœmineis complexibus.*] Ecphonesis in dissolutam libidinem virorum.

404. *Jacuere sorores, &c.*] Quin & sorores incestant, & quod nomen inviolatum debet esse, matres.

406. *Damnat apud gentes, &c.*] Male audiunt Thebæ in Bœotia, nomine OEdipodis, qui matrem Jocastam duxit. vide argumentum nostrum in OEdip. Senecæ. Quamvis ille hoc per ignorantiam admiserit, quod hi scienter & sponte.

408. *Parthorum dominus, &c.*] Et ex hujusmodi incestu sæpe nascitur ipse rex.

409. *Implere parentem.*] Prægnantem facere. sic Ovid. 11. Metam. *ingentique implevit Achille.*

410. *Metelli.*] Cornelia L. Scip. Metelli filia.

411. *Millesima lecto.*] Multis posthabita, quanquam (& hoc corrigit) ut Crasso tibique insultet, cum nulla frequentius consueverit.

412. *Quanquam, &c.*] Correctio. Et ta-

Sævitiæ stimulata Venus, titulisque virorum.
Nam quo plura juvent Parthum portenta, fuisse
415 *Hanc sciet & Crassi: ceu pridem debita fatis*
Assyriis, trahitur cladis captiva vetustæ.
Hæreat Eoæ vulnus miserabile sortis;
Non solùm auxilium funesto à rege petisse,
Sed gessisse prius bellum civile pudebit.
420 *Nam quod apud populos crimen socerique, tuumque*
Majus erit, quàm quòd vobis miscentibus arma,
Crassorum vindicta perit? incurrere cuncti
Debuerant in Bactra duces, & ne qua vacarent
Arma, vel Arctoum Dacis, Rhenique catervis
425 *Imperii nudare latus, dum perfida Susa*
In tumulos prolapsa ducum, Babylonque jacerent.
Assyriæ paci finem, Fortuna, precamur:
Et, si Thessalia bellum civile peractum est,
Ad Parthos, qui vicit eat. gens unica mundi est,
430 *De qua Cæsareis possim gaudere triumphis.*

Non

Et tamen in nullam fœminarum regia libido magis sæviet, quam in Corneliam; idque propter Crassum & Pompejum, quos habuit maritos, Principes Senatus. *Hortens.*

414. *Portenta.*] Monstrosæ libidinis incitamenta.

416. *Assyriis.*] Per antonomasiam, *Parthos* intelligit. *Hortens. Cladis captiva vetustæ.*] Tanquam cæsi ibi prioris mariti præda illi debita.

417. *Hæreat Eoæ.*] Quod si grave illud Crassianæ cladis damnum tibi in mentem subeat. *Eoæ sortis.*] Calamitatem cladis vocat à Parthis acceptam.

419. *Prius bellum, &c.*] Quam Crassum vindicasse.

420. *Socerique.*] Cæsaris.

422. *Crassorum vindicta perit.*] Quasi dicat Poëta, prius Crassorum mortem vindicare par fuit, quam arma in cives sumere. *Hortens. Crassorum vindicta periit?*] Lib. 1. ℣. 10.

423. *Bactra duces.*] Parthos, quibus subdita est Bactra. supra ℣. 299.

424. *Vel Arctoum Dacis.*] Et vel bellum Gallicum atque Germanicum omisisse subductis inde præsidiis copiisque omnibus contra Parthos mittendis.

425. *Perfida Susa.*] Urbs Mediæ, regia vetus Persarum, latrociniis & gentis perfidia famosa.

426. *Ducum, &c.*] Crassorum, tanquam illis rogi atque inferiæ.

427. *Paci finem.*] Fœderis exitum, belli initium.

428. *Thessalia bellum, &c.*] Pro, in Thessalia. Legitur & *Thessaliæ.*

429. *Qui vicit eat.*] Victor Cæsar. *Gens unica mundi est.*] Utcunque alias infestus, non tamen Cæsari triumphum de Parthis inviderim.

Digitized by Google

Non tibi, quamprimum gelidum transibis Araxem,
Umbra senis mœsti Scythicis confixa sagittis
Ingeret has voces? Tu, quem post funera nostra
Ultorem cinerum nudæ speravimus umbræ,
435 *Ad fœdus, pacemque venis? tum plurima cladis*
Occurrent monimenta tibi: quæ mœnia trunci
Lustrârunt cervice duces, ubi nomina tanta
Obruit Euphrates, & nostra cadavera Tigris
Detulit in terras, ac reddidit. ire per ista
440 *Si potes, in media socerum quoque, Magne, sedentem*
Thessalia placare potes. quin respicis orbem
Romanum? si regna times projecta sub Austro,
Insidumque Jubam, petimus Pharon, arvaque Lagi.
Syrtibus hinc Libycis tuta est Ægyptus: at inde
445 *Gurgite septeno rapidus mare summovet amnis:*
Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis: in solo tanta est fiducia Nilo:
Sceptra puer Ptolemæus habet tibi debita, Magne,

Tu-

431. *Non tibi, &c.*] Prosopopœia umbræ Crassi usus, dissuadet Pompejum. *Araxem.*] Armeniæ fluvium. *Hort.*

434. *Nudæ speravimus.*] Insepultæ.

435. *Tum plurima cladis.*] Hæc ex persona Lentuli.

436. *Quæ mœnia trunci.*] Ad quas urbes per ludibrii pompam missa sunt capita ducum. filii caput hastæ præfixum Parthi adequitantes ostenderunt patri: patris caput & manum Surena in Armeniam ad Orodem præmisit Seleuciam, &c. Plutarch. Crass.

437. *Nomina tanta.*] Nobiles & fortes viros.

439. *Ire per ista, &c.*] His si potes te supplicem abjicere, non video cur & Cæsari non possis supplicare in media Thessalia.

441. *Quin respicis, &c.*] Quin respicis potius amicos & socios populi Rom. & hos petimus.

443. *Insidumque Jubam.*] Vers. 283. supra. *Petimus Pharon.*] Quin petimus Ægyptum? cujus Pharos insula, & Ptolomeus Lagi filius, rex. libro 1. ℣. 692.

444. *Syrtibus hinc Libycis.*] Syrtes duæ sunt, major & minor sinus in mari Libyco, propter fluctus arenasque affluentes ac refluentes importuosi atque navigantibus infesti. Hinc concludit natura sua munitam esse Ægyptum. *Syrtibus.*] Lib. 1. ℣. 367. *Hinc Libycis.*] Ad occasum. *Inde, &c.*] Ad ortum, Asiam versus, Nilus septem ostiis in mare infunditur.

447. *Jovis.*] Pluviæ. ut quæ à Nilo inundatur. Heliodor. lib. 9. Diod. Sic. & Tibullus de Nilo. *Te propter nullos tellus tua postulat imbres, Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.*

448. *Sceptra puer Ptolemæus.*] Resp. ad illud Pompeji supra ℣. 281.

449. *Ne-*

Tutelæ commissa tuæ. quis nominis umbram
450 *Horreat? innocua est ætas: ne jura, fidemque,*
Respectumque Deûm veteris speraveris aulæ.
Nil pudet assuetos sceptris: mitissima sors est
Regnorum sub rege novo. Non plura locutus
Impulit huc animos quantum spes ultima rerum
455 *Libertatis habet! victa est sententia Magni.*
Tunc Cilicum liquêre solum, Cyproque citatas
Immisêre rates, nullas cui prætulit aras
Undæ diva memor Paphiæ, si numina nasci
Credimus, aut quenquam fas est cœpisse deorum.
460 *Hæc ubi deseruit Pompejus littora, totos*
Emensus Cypri scopulos, quibus exit in Austrum,
Inde maris vasti transfuso vertitur æstu:
Nec tenuit Casium nocturno lumine montem,

Insi-

439. *Nominis umbram, &c.*] Titulum tantum, & imaginariam regii nominis majestatem.

450. *Ne jura fidemque.*] Ita maluimus quam *nec*. Sensus est: Regnandi jus veteribus haud tutò credi: meliores esse Reges juvenes. *Gr. Ne jura, &c.*] In veterum quidem regum aulis non facile inveneris jura, fidem, religionem, ubi periit jam dudum pudor: à regibus novis pietatem expecta. Alii leg. *nec sprev.*

454. *Impulit hoc.*] In Ægyptum ut iretur persuasit. *Sulpit.* *Quantum, &c.*] *Epiphonema.* Quantum libertatis, *πυρφόρους* assumunt sibi homines in rebus desperatis.

456. *Cilicum liquere solum, &c.*] E Cilicia solvens in Cyprum inf. trajecit Pompejus.

457. *Nullas cui prætulit aras.*] *Quam coluisse Venus terris magis omnibus unam Fertur, ubi templum Divæ, centumque Sabæo Thure calent ara sertisque recentibus halant.*

458. *Undæ diva memor Paphiæ.*] Memor Cyprii maris, in quo nata Venus è spuma maris & testiculis Cœli dicitur. vide quæ ad ✠ſ. 273. Senec. Hipp. *Si numina nasci.*] *Ἐπιφώνημα.* Si modo nascantur numina, & non sint æterna.

460. *Hæc ubi deseruit Pompejus, &c.*] Navibus aliis, inquit Cæsar 3. com. additis actuariis, in Ciliciam, atque inde in Cyprum pervenit. ibi cognoscit arcem ante captam sui excludendi causa, &c. Pompejo itaque pecunia societatis sublata & æris magno pondere ad militarem usum in naves imposito, & 2000. hominum armatis, Pelusium pervenit.

462. *Transfuso vertitur æstu.*] Mari Cyprum & Ægyptum interfuso. Alii leg. *transverso*, id est, cursum direxit ex transverso maris.

463. *Nec tenuit Casium.*] Nullus hic locus Casio monti, qui post aliquanto memoratur. Mss. habent; *Nec tenuit gratum nocturno lumine montem.* Chimæram intelligit, montem noctibus flagrantem, ut loquitur Plinius ✠ſ. 27. *Grotius.* *Nec tenuit Casium.*] Neque Casium

Insimaque Ægypti pugnaci littora velo
465 *Vix tetigit, quà dividui pars maxima Nili*
In vada decurrit Pelusia septimus amnis.
Tempus erat, quo Libra pares examinat horas
Non uno plus æqua die, noctique rependit
Lux minor hyberna verni solatia damni.
470 *Comperit ut regem Casio se monte tenere,*
Flectit iter: nec Phœbus adhuc, nec carbasa languent.
Jam rapido speculator eques per littora cursu
Hospitis adventu pavidam compleverat aulam.
Consilii vix tempus erat: tamen omnia monstra
475 *Pellæa coière domus: quos inter Achoreus*
Jam placidus senio, fractisque modestior annis,
(Hunc genuit custos Nili crescentis in arva

Mem-

sium promontorium, quod petebat tenuit: sed vento adversante & velis reluctantibus, infra Casium appulit, qua Nilus septimo eoque ultimo & amplissimo ostio juxta Pelusium in mare exit. *Nocturno lumine montem.*] Noctu, lucente luna. *vel* face nocturna, velut in Pharo, viam navigantibus dirigente.

464. *Pugnaci littora velo.*] Reluctanti adversus ventum.

467. *Tempus erat, &c.*] Erat jam æquinoctium autumnale, Sole Libram ingresso. *Libra dies somnique pares ubi fecerit horas.* Virg. Georg. 1. *Examinat horas.*] Allusum ad examen libræ.

468. *Non uno plus æqua die.*] Unum tantum diem æquans nocti, deinceps imminuit dies, rependitque noctibus, quantum deperierat iis, post æquinoctium vernum. *Rependit.*] Pensat, reddit. *Sulpit.*

470. *Comperit ut regem, &c.*] Ibi casu, *inquit Cæsar*, rex erat Ptolomæus, puer ætate, magnis copiis cum sorore Cleopatra gerens bellum, quam regno expulerat, &c. Ad eum Pompejus misit, ut pro hospitio, atque amicitia patris, Alexandria reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur.

471. *Nec Phœbus adhuc.*] Nondum Sol occiderat, & venti spirabant.

472. *Speculator eques, &c.*] Legatione Pompeji certiorem factum regem scribunt historici omnes: non speculatu.

474. *Monstra, &c.*] Sceleratissimi homines regi à consiliis: Photinus eunuchus, Theodorus Chius rheror & Achillas Ægyptius.

475. *Pellæa coière domus.*] Domum Pellæam, regiam Alexandrinam vocat: vel ob Alexandrum urbis conditorem: vel propter primum Ptolemæum Lagi, qui Macedo fuerit. *Hortens. Pellæa.*] Lib. 5. ✠. 60. *Achoreus.*] Fictitium nomen.

477. *Hunc genuit custos Nili.*] Patria illi erat Memphis, Ægypti quondam regia, ad Nilum sita, *gran Cairo.* ubi puteus erat, in quo notabantur incrementa Nili, Nilometrium. *Custos Nili.*] Memphis dicitur hic custos Nili, sive quod sita sit in ripa Nili; sive quod totius Ægypti quondam regia fuit. *Hort.*

478. *Vana*

Memphis vana sacris; illo cultore Deorum
Lustra sua Phœbes non unus vixerat Apis;)
480 *Consilii vox prima fuit, meritumque, fidemque,*
Sacraque defuncti jactavit pignora patris.
Sed melior suadere malis, & nosse tyrannos,
Ausus Pompejum leto damnare Pothinus;
Jus, & fas multos faciunt Ptolemæe nocentes.
485 *Dat pœnas laudata fides, cùm sustinet, inquit,*
Quos Fortuna premit. fatis accede, Deisque,
Et cole felices, miseros fuge. sidera terra
Ut distant, & flamma mari, sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
490 *Incipit: evertitque arces respectus honesti.*
Libertas scelerum est, quæ regna invisa tuetur,
Sublatusque modus gladiis. facere omnia sævè

Non

478. *Vana sacris.*] Vanæ superstitionis. vide quæ nos ad 5. sat. Juven. ℣ſ. 1. *Illo cultore Deorum.*] Sub quo sacerdote multi boves, quos Ægyptii pro Diis colebant, fuerant cæsi.

479. *Lustra sua.*] Lunaria, quæ sunt 5. mensium. *Phœbes non unus, &c.*] Lunæ, cujus bicornis imaginem Apis bos Dei vice cultus in dextro habebat latere, macula candicante. Plin. lib. 8. cap. 46. Porphyr. lib. de abst. carn. & Plutar. de Iside, & infra ℣ſ. 833. *Non unus vixerat.*] Grandem senectutem ejus sacerdotis periphrasticè circumscribit. *Non unus.*] Plurimus bos eorum, quos colit Ægyptius perierat. Per *Apim* enim bovem intelligit. Eum, ut Plinius ait, non est fas certos vitæ excedere annos. Mersumque in sacerdotum fonte enecant, quæsituri luctu alium quem substituant, & donec invenerint mærent, derasis etiam capitibus, nec tamen unquam diu quæritur. *Sulpit.*

480. *Consilii vox prima fuit.*] Achoreus primus dixit sententiam, commoravitque officia Pompeji erga patrem Ptol.

481. *Melior suadere malis.*] Qui melius sciebat mala regibus consulere, & subservire tyrannorum voluntati.

486. *Fatis accede, Deisque.*] Fove eos quibus Dii & fata favent.

487. *Sidera terra, &c.*] A simili collationem facit, honesti & utilitatis. *Hortens.*

488. *Distant.*] Differunt, pugnant.

489. *Sceptrorum vis tota perit.*] Quasi vis regnorum pereat, si justitiæ ratio habeatur, & simul etiam honesti: è contrario verò regna conservari libertate scelerum dicit, quamvis sint invisa propter tyrannidem. *Hortens.*

490. *Arces respectus honesti.*] Regna, quæ tutantur custodiæ & arces. Senec. Thyest. ℣ſ. 453. & 640.

491. *Libertas scelerum est.*] Scelerata *manu Sceptra obtinentur: omnis in ferro est salus, &c.* Lycus apud Senec. in Herc. Fu. ℣ſ. 340.

492. *Sublatusq; modus gladiis.*] Crudelitas, cædis modum nesciens. *Facere omnia*

Non impunè licet, nisi dum facis. exeat aula
Qui volet esse pius. virtus, & summa potestas
495 *Non coeunt: semper metuet, quem sæva pudebunt.*
Non impunè tuos Magnus contemserit annos;
Qui te nec victos arcere à littore nostro
Posse putat. neu te sceptris privaverit hospes,
Pignora sunt propiora tibi: Nilonque, Pharonque,
500 *Si regnare piget, damnatæ redde sorori.*
Ægyptum certè Latiis tueamur ab armis.
Quicquid non fuerit Magni, dum bella geruntur,
Nec victoris erit. toto jam pulsus ab orbe,
Postquam nulla manet rerum fiducia, quærit
505 *Cum qua gente cadat: rapitur civilibus umbris.*
Nec soceri tantùm arma fugit: fugit ora Senatui,
Cujus Thessalicas saturat pars magna volucres.
Et metuit gentes, quas uno in sanguine mistas
Deseruit: regesque timet, quorum omnia mersit:
510 *Thessaliæque reus, nulla tellure receptus,*

Solli-

omnia sæve.] Tutius sævitur, si libertas audaciorum sævitia reprimatur.

493. *Nisi dum facis.*] Nostra est emendatio. Continuanda enim scelera docet, juxta illud: *Per scelera semper sceleribus tutum est iter*, ut Seneca inquit. *Grotius.*

496. *Non impune, &c.*] Quasi contemptu annorum regis advenerit Pompejus.

498. *Neu te sceptris, &c.*] Potius quam regnum tuum invadat hospes, trade sorori Cleopatræ à te ejectæ. ita ℣. 440. supra. Procuratores pueri (inquit Cæsar, com. 3.) sive timore adducti, ne solicitato exercitu regio Pompejus Alexandriam Ægyptumque occuparet, sive despecta ejus fortuna consilium ineunt, &c.

499. *Pignora sunt propiora.*] Sororem intelligit.

502. *Quicquid non fuerit Magni.*] Quicquid Pompejus non invaserit, dum bellum civile geritur; nec Cæsar occupabit. *Hortens.* *Quicquid non fuerit Magni.*] Non fecimus nos nocentes durante bello, neque accessimus partibus Pompeji: certe post bellum cavebimus ne victorem Cæsarem irritemus, infra ℣. 531.

504. *Postquam nulla, &c.*] Cum nulli Regum fidat; quum nihil spei & opis supersit ad recolligendas vires, quærit & implorat aliena auxilia, ut habeat, cum quibus cadat. *Hortens.*

505. *Rapitur civilibus umbris.*] Exagitatur à manibus eorum, qui bello civili perierunt.

510. *Thessaliæque reus, &c.*] Belli in Thessalia male gesti damnatus. Damnatus à Diis clade Pharsalica, inquit H. Grotius.

513. *Quid*

Sollicitat nostrum, quem nondum perdidit, orbem.
Justior in Magnum nobis, Ptolemaee, querela
Causa data est. quid sepositam, semperque quietam
Crimine bellorum maculas Pharon, arvaque nostra
515 *Victori suspecta facis? cur sola cadenti*
Hæc placuit tellus, in quam Pharsalica fata
Conferres, pœnasque tuas? jam crimen habemus
Purgandum gladio, quòd nobis sceptra Senatus
Te suadente dedit, votis tua fovimus arma.
520 *Hoc ferrum, quod fata jubent proferre, paravi*
Non tibi, sed victo. feriam tua viscera, Magne:
Malueram soceri: rapimur, quò cuncta feruntur.
Tene mihi dubitas an sit violare necesse,
Cùm liceat? quæ te nostri fiducia regni
525 *Huc agit infelix? populum non cernis inermem,*
Arvaque vix refugo fodientem mollia Nilo?

Me-

513. *Quid sepositam, &c.*] Apostrophe ad Pompejum. quem incusat pertubandi regni pacati: amovendo à se ingratitudinis crimen.

514. *Pharon.*] Ægyptum, à parte totum. *Hortens.*

515. *Suspecta facis.*] Atque adeo vindicanda. *Cadenti, &c.*] Tibi victo, rebus pessum ruentibus.

517. *Tuas.*] Quas ab iis, qui te excipient non levius atque à te exposcet Cæsar. *Jam crimen habemus, &c.*] Jam dudum Cæsari sumus invisi; quasi votis faventes tibi, quo suadente confirmavit nobis regnum Senatus. quod crimen bello vindicabit Cæsar, nisi nos tua cæde iram illius avertamus.

520. *Hoc ferrum, &c.*] Inviti itaque neque ingrati sed salutis nostræ necessitate coacti inferimus cædem tibi non quasi optime à nobis merito, sed quia victo, quem tueri non erit nobis tutum.

521. *Non tibi, &c.*] Ut Pompejo & hospiti paterno, sed victo. *Hortens.*

522. *Malueram soceri.*] Atque utinam victus fuisset Cæsar: tibi ô Pompei multo libentius illum interfecissemus, fortunam utique secuti.

523. *An sit violare necesse.*] Ostendo necesse esse, quia licet, quia possum. Neque enim possem te lædere, si Romanarum rerum potireris: nunc quia non potiris, ob hoc ipsum necesse quoque est id faciam, ne videar tui tutelam suscipere. Simplicior tamen sensus esset, vocibus transpositis: *Tene mihi dubitas cum sit violare necesse, An liceat?* Seneca pater: *Necessitas, magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, omnem legem frangit.* Grotius.

524. *Cum liceat.*] Facta nobis à fatis tui potestate.

525. *Populum non cernis, &c.*] Nostrum Ægyptium, agris jam decrescente Nilo intentum. revocatur autem Nilus in totum intra ripas Sole Libram ingresso, supra §. 467. *Inermem populum.*] A tenuitate regni: quasi dicat, quum tantæ non sint opes nostræ, ut auxi-

Non impunè licet, nisi dum facis. exeat aula
Qui volet esse pius. virtus, & summa potestas
495 *Non coëunt: semper metuet, quem sæva pudebunt.*
Non impunè tuos Magnus contemserit annos;
Qui te nec victos arcere à littore nostro
Posse putat. neu te sceptris privaverit hospes,
Pignora sunt propiora tibi: Nilonque, Pharonque,
500 *Si regnare piget, damnatæ redde sorori.*
Ægyptum certè Latiis tueamur ab armis.
Quicquid non fuerit Magni, dum bella geruntur,
Nec victoris erit. toto jam pulsus ab orbe,
Postquam nulla manet rerum fiducia, quærit
505 *Cum qua gente cadat: rapitur civilibus umbris.*
Nec soceri tantùm arma fugit: fugit ora Senatus,
Cujus Thessalicas saturat pars magna volucres.
Et metuit gentes, quas uno in sanguine mistas
Deseruit: regesque timet, quorum omnia mersit:
510 *Thessaliæque reus, nulla tellure receptus,*

Solli-

omnia sæve.] Tutius sævitur, si libertas audaciorum sævitia reprimatur.

493. *Nisi dum facis.*] Nostra est emendatio. Continuanda enim scelera docet, juxta illud: *Per scelera semper scleribus tutum est iter*, ut Seneca inquit. *Grotius.*

496. *Non impune, &c.*] Quasi contemptu annorum regis advenerit Pompejus.

498. *Neu te sceptris, &c.*] Potius quam regnum tuum invadat hospes, trade sorori Cleopatræ à te ejectæ. ita ✠ſ. 440. supra. Procuratores pueri (inquit Cæsar, com. 3.) sive timore adducti, ne solicitato exercitu regio Pompejus Alexandriam Ægyptumque occuparet, sive despecta ejus fortuna consilium ineunt, &c.

499. *Pignora sunt propiora.*] Sororem intelligit.

502. *Quicquid non fuerit Magni.*] Quicquid Pompejus non invaserit, dum bellum civile geritur; nec Cæsar occupabit. *Hortens.* *Quicquid non fuerit Magni.*] Non fecimus nos nocentes durante bello, neque accessimus partibus Pompeji: certe post bellum cavebimus ne victorem Cæsarem irritemus, infra ✠ſ. 531.

504. *Postquam nulla, &c.*] Cum nulli Regum fidat; quum nihil spei & opis supersit ad recolligendas vires, quærit & implorat altena auxilia, ut habeat, cum quibus cadat. *Hortens.*

505. *Rapitur civilibus umbris.*] Exagitatur à manibus eorum, qui bello civili perierunt.

510. *Thessaliæque reus, &c.*] Belli in Thessalia male gesti damnatus. Damnatus à Diis clade Pharsalica, inquit H. Grotius.

513. *Quid*

Digitized by Google

Sollicitat nostrum, quem nondum perdidit, orbem.
Justior in Magnum nobis, Ptolemaee, querela
Causa data est. quid sepositam, semperque quietam
Crimine bellorum maculas Pharon, arvaque nostra
515 *Victori suspecta facis? cur sola cadenti*
Hæc placuit tellus, in quam Pharsalica fata
Conferres, pœnasque tuas? jam crimen habemus
Purgandum gladio, quòd nobis sceptra Senatus
Te suadente dedit, votis tua fovimus arma.
520 *Hoc ferrum, quod fata jubent proferre, paravi*
Non tibi, sed victo. feriam tua viscera, Magne:
Malueram soceri: rapimur, quò cuncta feruntur.
Tene mihi dubitas an sit violare necesse,
Cùm liceat? quæ te nostri fiducia regni
525 *Huc agit infelix? populum non cernis inermem,*
Arvaque vix refugo fodientem mollia Nilo?

Me-

513. *Quid sepositam, &c.*] Apostrophe ad Pompejum. quem incusat pertubandi regni pacati: amovendo à se ingratitudinis crimen.

514. *Pharon.*] Ægyptum, à parte totum. *Hortens.*

515. *Suspecta facis.*] Atque adeo vindicanda. *Cadenti, &c.*] Tibi victo, rebus pessum ruentibus.

517. *Tuas.*] Quas ab iis, qui te excipient non levius atque à te exposcet Cæsar. *Jam crimen habemus, &c.*] Jam dudum Cæsari sumus invisi; quasi votis faventes tibi, quo suadente confirmavit nobis regnum Senatus. quod crimen bello vindicabit Cæsar, nisi nos tua cæde iram illius avertamus.

520. *Hoc ferrum, &c.*] Inviti itaque neque ingrati sed salutis nostræ necessitate coacti inferimus cædem tibi non quasi optime à nobis merito, sed quia victo, quem tueri non erit nobis tutum.

521. *Non tibi, &c.*] Ut Pompejo & hospiti paterno, sed victo. *Hortens.*

522. *Malueram soceri.*] Atque utinam victus fuisset Cæsar: tibi ô Pompei multo libentius illum interfecissemus, fortunam utique secuti.

523. *An sit violare necesse.*] Ostendo necesse esse, quia licet, quia possum. Neque enim possem te lædere, si Romanarum rerum potireris: nunc quia non potiris, ob hoc ipsum necesse quoque est id faciam, ne videar tui tutelam suscipere. Simplicior tamen sensus esset, vocibus transpositis: *Tene mihi dubitas cum sit violare necesse, An liceat?* Seneca pater: *Necessitas, magnum Immanæ imbecillitatis patrocinium, omnem legem frangit.* Grotius.

524. *Cum liceat.*] Facta nobis à fatis tui potestate.

525. *Populum non cernis, &c.*] Nostrum Ægyptium, agris jam decrescente Nilo intentum. revocatur autem Nilus in totum intra ripas Sole Libram ingresso, supra p. 467. *Inermem populum.*] A tenuitate regni: quasi dicat, quum tantæ non sint opes nostræ, ut auxi-

Metiri sua regna decet, viresque fateri
Tu Ptolemaee potes Magni fulcire ruinam,
Sub qua Roma jacet? bustum, cineresque movere
530 *Thessalicos audes, bellumque in regna vocare?*
Ante aciem Emathiam nullis accessimus armis:
Pompeji nunc castra placent, quæ deserit orbis?
Nunc victoris opes, & cognita fata lacessit?
Adversis non deesse decet, sed læta secutos.
535 *Nulla fides unquam miseros elegit amicos.*
Assensêre omnes sceleri. lætatur honore
Rex puer insueto, quòd jam sibi tanta jubere
Permittunt famuli. sceleri delectus Achillas.
Perfida quà tellus Casiis excurrit arenis,
540 *Et vada testantur junctas Ægyptia Syrtes,*
Exiguam sociis monstri, gladiisque carinam
Instruit. ô superi, Nilusne, & barbara Memphis,
Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi

Hos

auxilia inde tibi possis pollicери. *Hortensius.*

527. *Metiri sua regna decet.*] Si vires nostras recte metiamur: non sufficimus rebus Pompeji sustentandis.

528. *Tu Ptolemaee potes.*] Quasi dicat, non: à majori ad minus. Roma, domina rerum non potest sustentare ruinam Pompeji, multò minus tu. *Hortens.*

529. *Bustum, &c.*] Cladis Pharsaliæ reliquias in nos convertere?

531. *Nullis accessimus armis.*] Neque Cæsaris, neque Pompeji.

534. *Adversis non deesse decet, &c.*] Si modo prosperam illius fortunam secuti fuissemus, non decuerat ab illo in adversis defecisse.

536. *Sceleri.*] Scelerato Photini consilio atque sententiæ.

538. *Sceleri delectus Achillas.*] Interficiendo Pompejo deligitur Achillas, pædagogus quondam regis, nunc præfectus exercitui.

539. *Perfida qua tellus Casiis.*] Ad pedem Casii montis, qua vada & brevia referunt Syrtes vicinas, inter Leptim scil. & Alexandriam.

541. *Exiguam sociis, &c.*] Achillas (inquit Plutarch.) assumpto Septimio, tribuno quondam mil. sub Pompejo, & Salvio centurione sub eodem, atque tribus aut quatuor famulis præterea, ad navim Pompeji advectus est.

542. *O Superi.*] Per indignationem exclamatio, quod modica cymba instruitur à monstris hominum, quæ totius orbis Imperatorem sit ad cædem exceptura. Et Pompeji majestatem amplificat. *Hortensius. Memphis.*] Supra, ℣. 477.

543. *Pelusiaci tam mollis, &c.*] Parum convenit hoc epitheton. Pelusium enim est opp. ad extremum Nili ostium, orientem versus; Canopos vero maxime ad Occasum, urbs impurissima, & omnium libidinum domicilium.

544. *Hos*

Digitized by Google

Hos animos! sic fata premunt civilia mundum!
545 *Sic Romana jacent! ullusne in cladibus istis*
Est locus Ægypto? Phariusque admittitur ensis?
Hanc certè servate fidem civilia bella:
Cognatas præstate manus, externaque monstra
Pellite, si meruit tam claro nomine Magnus
550 *Cæsaris esse nefas. tanti Ptolemæe ruinam*
Nominis haud metuis? cæloque tonante profanas
Inseruisse manus impure, ac semivir audes?
Non domitor mundi, nec ter Capitolia curru
Invectus, regumque potens, vindexque Senatus,
555 *Victorisque gener; Phario satis esse tyranno*
Quod poterat, Romanus erat. quid viscera nostra
Scrutaris gladio? nescis puer improbe, nescis
Quo tua sit fortuna loco: jam jure sine ullo
Nili sceptra tenes: cecidit civilibus armis
560 *Qui tibi regna dedit. Jam vento vela negârat*
Magnus, & auxilio remorum infanda petebat

Lit-

544. *Hos animos.*] Sup. *habebis.* sic Juv. Sat. 1. ℣. 89. *alea quando Hos animos?*

545. *Sic Romana jacent!*] Indignatur jus esse barbaris iisque mollibus Ægyptiis in jugulum Pompeji.

546. *Phariusque admittitur ensis.*] In cæde Pompeji, ut barbarus & Ægyptius ensis feratur ad cædem civis Romani Imperatoris, & quidem Maximi omnium, quos Roma habuit. *Hortens.*

547. *Hanc certe servate, &c.*] Ut à civibus suis potius quam externis his monstris jugulentur Pompejus.

550. *Cæsaris esse nefas.*] In gratiam Cæsaris occidi. Ab ipso Cæsare, inquit, H. Grotius. *Tanti Ptolemæe ruinam.*] Apostrophe ad regem, quem vel ultionis divinæ metus vel Pompeji gloria, vel quod erat Romanus (in quem nihil liceret regi Ægyptio) deterruisset à tanto scelere.

551. *Cæloque tonante profanas.*] Non reveritus Jovem, quem cœlo tonantem credimus regnare. Horat. ode 5. lib. 3. scelera vel regum ipsorum, in quos imperium habet, vindicaturus.

552. *Inseruisse manus impure.*] Manus interposuisse tuas. *Semivir audes.*] Imbellis & mollis puer.

553. *Ter Capitolia.*] Libro 7. versu 685.

554. *Regumque potens, vindexque Senatus.*] Vindex libertatis & dux belli à Coss. & Senatu dictus, sub quo & reges militarunt.

556. *Nostra.*] Romana.

558. *Jam jure sine ullo.*] Omni jam impetui exponeris, destitutus authoritate tutoris, illiusque qui tibi Ægypti regnum confirmabat. lib. 9. ℣. 132.

560. *Jam vento vela negarat.*] Appropinquans litori vela demiserat.

Littora: quem contra non longa vecta biremi
Appulerat ſcelerata manus: Magnoque patêre
Fingens regna Phari, celſæ de puppe carinæ
565 *In parvam jubet ire ratem, littuſque malignum*
Incuſat, bimaremque vadis frangentibus æſtum,
Qui vetet externas terris advertere claſſes.
Quòd niſi fatorum leges, intentaque juſſu
Ordinis æterni miſeræ vicinia mortis
570 *Damnatum leto traherent ad littora Magnum;*
Non ulli comitum ſceleris præſagia deerant.
Quippe fides ſi pura foret, ſi regia Magno
Sceptrorum auctori vera pietate pateret;
Venturum tota Pharium cum claſſe tyrannum.
575 *Sed cedit fatis, claſſemque relinquere juſſus*
Obſequitur, letumque juvat præferre timori.
Ibat in hoſtilem præceps Cornelia puppim,

Hoc

562. *Quem contra non longa, &c.*] Interim cymba appropinquante (ait Plutarchus) mature Septimius ſurrexit, Romanoque ſermone Pompejum imperatorem ſalutavit; & Achillas Græcis verbis eum excipiens in cymbam tranſire jubebat, vadum ibi cauſatus, & mare ob arenæ multitudinem triremi non eſſe navigabile.

563. *Scelerata manus.*] Supra v. 541. *Magnoque patêre.*] Septimius (inquit Appianus) dextram, regis nomine Pompejo obtulit, & ad amicum filium tuto monuit accedere.

566. *Bimaremque vadis, &c.*] Vadis utrinque æſtu alliſis & fluctu vario impulſis. Hinc Libyco, inde Ægyptio (inquit Sulpitius) mari inter ſe collidentibus, propter æſtum oſtiorum Nili interjecti.

568. *Quod niſi fatorum leges.*] Quod niſi fatale fuiſſet & divinitus proviſum ut hic Pompejus caderet, multa illum præſagia detetruiſſe poterant.

572. *Quippe fides ſi pura foret, &c.*] Qui erant cum Pompejo, ubi viderunt non regio more, non magnifice Pompejum excipi, ſed ad hoc officium paucos una cymba venire, ſuſpectam habuere eam contemptionem, Pompejumque hortati ſunt, uti navem in altum detruderet, dum adhuc extra jactum teli eſſet. Plut. Simul & naves in lit. &c.

573. *Sceptrorum auctori, &c.*] Cujus ſuaſu & beneficio regnum à Senatu Ptolomæo fuerat confirmatum.

576. *Letumque juvat præferre timori.*] Timori mavult, quam vel ſuſpicari fidem vel mortem formidare. ita Juvenal. 8. Sat. *Summum crede nefas animam præferre pudori.*

577. *Ibat in hoſtilem, &c.*] Ire parabat comes viro. Salutata (inquit Plutarchus) Cornelia, quæ jam tum mariti exitum lamentabatur, &c. ad uxorem & filium converſus hos Sophoclis Jambos protulit: ὁ τὸν κ̓ ἀνὴρ τὸν ἐμὸν ἐμπο-

Hoc magis impatiens egresso desse marito,
Quòd metuit clades. remane temeraria conjux,
580 *Et tu nate precor, longeque è lictore casus*
Expectate meos: & in hac cervice tyranni
Explorate fidem. dixit: sed surda vetanti
Tendebat geminas amens Cornelia palmas:
Quò sine me crudelis abis? iterumne relinquor
585 *Thessalicis summota malis? nunquam omine lato*
Distrahimur miseri. poteras non flectere puppim,
Cùm fugeres aliò, latebrisque relinquere Lesbi,
Omnibus à terris si nos arcere parabas?
An tantum in fluctus placeo comes? Hac ubi frustrà
590 *Effudit, prima pendet tamen anxia puppe:*
Attonitoque metu nec quoquam avertere visus,
Nec Magnum spectare potest. stetit anxia classis
Ad ducis eventum, metuens non arma, nefasque;
Sed ne submissis precibus Pompejus adoret
595 *Sceptra suâ donata manu. transire parantem*
Romanus Pharia miles de puppe salutat
Septimius: qui, prô superûm pudor, arma satelles
Regia gestabat posito deformia pilo,
Immanis, violentus, atrox, nullaque ferarum
600 *Mitior in cædes. quis non, Fortuna, putasset*
Parcere te populis, quòd bello hac dextra vacasset,

Thes-

ἀμπροδίστῃ Κόιν 'ει δῦλ@, καὶ ἐλεύθερ@ μόλῃ. Hac postrema voce suos allocutus, cymbam conscendit.

578. *Hoc magis.*] Hac de causa.

579. *Remane, &c.*] Inquit Pomp.

585. *Nunquam omine lato.*] Non sine cladis omine secernimur, quod dudum summota è Pharsalia, sum experta.

586. *Non flectere puppim.*] Non divertisse, sed me in Lesbo reliquisse: si me demuo eras à te semoturus, neque passurus tecum una terram tangere.

593. *Non arma, nefasque.*] Non gladios & cædem nefariam.

594. *Ne submissis, &c.*] Ne se indigne supplicem projiceret ad genua regis à se creati.

596. *Romanus Pharia.*] Ad ✠ſ. 562. & 563. supra.

597. *Qui, prô superûm pudor.*] Qui olim sub Pompejo duxerat ordinem in bello prædonum jam stipator & famulus Ptolomæi Ægyptiaca gerit arma, positis Romanis.

601. *Parcere te populis, &c.*] Septimium

Theſſaliaque procul tam noxia tela fugaſſes?
Diſponis gladios, ne quo non fiat in orbe,
Heu, facinus civile tibi. victoribus ipſis
605 *Dedecus, & nunquam Superûm caritura pudore*
Fabula; Romanus Regi ſic paruit enſis,
Pellæuſque puer gladio tibi colla recidit
Magne tuo. qua poſteritas in ſecula mittet
Septimium fama? ſcelus hoc quo nomine dicent,
610 *Qui Bruti dixêre nefas? jam venerat horæ*
Terminus extremæ, Phariamque ablatus in alnum
Perdiderat jam jura ſui. tum ſtringere ferrum
Regia monſtra parant. ut vidit comminus enſes,
Involvit vultus: atque indignatus apertum
615 *Fortunæ præbere caput, tunc lumina preſſit,*
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Poſſet, & æternam fletu corrumpere famam.
At poſtquam mucrone latus funeſtus Achillas
Perfodit, nullo gemitu conſenſit ad ictum:

Deſpe-

mium amovendo, qui ſi prœlio interfuiſſet Theſſalico, ingentem editurus fuerat ſtragem.

603. *Diſponis gladios, &c.*] Verum non amoviſti hunc, quo parceres populis: ſed ut in omni orbis parte diſpoſitos haberes civilium facinorum miniſtros.

605. *Nunquam Superûm, &c.*] Non ſine deorum inclementiæ nota vulgandum facinus.

607. *Pellæuſque puer gladio, &c.*] Enſis Romani Septimii juſſu regis barbari ejuſque pueri obtruncavit Magnum. Indigna omnia!

609. *Fama.*] Infamia. *Sulpit. Scelus hoc quo, &c.*] Quo nomine deſignabunt hoc Septimii ſcelus illi, qui Brutum Cæſaris tyranni percuſſorem, appellant *Parricidam*; factumque ipſum *nefas*?

611. *Phariamque ablatus in alnum, &c. ut vidit comminus enſes.*] Cum jam procul à ſua triremi avectus nullam benignam mentionem ad ſe factam audiviſſet, Septimium intuitus: *Non ego te*, inquit, *commilitonem olim meum agnoſco*? atque is capite tantum annuit, &c. terræ vero appropinquante cymba, multisque ad litus confluentibus aulicis velut honoris & ſalutandi cauſa, Pompejum ut facilius ſurgeret, Philippi manum apprehendentem Septimius à tergo enſe trajecit. poſt hunc Salvius, inde Achillas gladios ſtrinxere: Pompejus nihil ſe indignum neque agens neque locutus, utraque manu togam faciei prætendens, emiſſo tantum ſuſpirio ictus excepit, &c. Plut. Pomp.

612. *Perdiderat jam jura ſui.*] Erat jam ſub alterius poteſtate. *Sulpit.*

617. *Æternam famam.*] Fortitudinis & conſtantiæ hactenus ſervatæ. *Sulpit.*

619. *Nullo gemitu conſenſit ad ictum.*] Patienter ictum recepit.

621. *Se-*

Digitized by Google

620 *Despexitque nefas, servatque immobile corpus,*
Seque probat moriens, atque hac in pectore volvit:
Secula Romanos nunquam tacitura labores
Attendunt, avumque sequens speculatur ab omni
Orbe fatem, Phariamque fidem. nunc consule fama.
625 *Fata tibi longa fluxerunt prospera vita.*
Ignorant populi, si non in morte probaris,
An scieris adversa pati. ne cede pudori,
Auctoremque dole fati. quacunque feriris,
Crede manum soceri. spargant, lacerentque licebit,
630 *Sum tamen, ô superi, felix, nullique potestas*
Hoc auferre Deo. mutantur prospera vita:
Non sum morte miser. videt hanc Cornelia cedem,
Pompejusque meus. tanto patientius ore
Claude dolor gemitus: natus, conjuxque peremptum
635 *Si mirantur, amant. talis custodia Magno*
Mentis erat: jus hoc animi morientis habebat.
At non tam patiens Cornelia cernere sævum

Quàm

621. *Seque probat moriens.*] Magnum morte æque ac vita se præstat. *Atque hæc in pectore volvit.*] Atque hæc secum in animo versat Pompejus moriens.

622. *Secula Romanos, &c.*] Puta jam præsentes posterosque omnes observare qua mente mortem oppetas, vel indigne sic Ægyptiis insidiis & perfidia exceptus. vide ut extremus hic actus antecactæ vitæ fabulæ respondeat.

627. *Ne cede pudori.*] Ne tibi pudori aut dolori sit, quod jussu pueri & manu desertoris occideris: sed crede te ipsa Cæsaris manu cadere. *Grotius.*

630. *Nullique potestas, &c.*] Neque hanc fortis animi felicitatem mihi auferte in manibus Deorum est.

631. *Mutantur prospera vita.*] Simul cum fortuna mea defiit & vita. neque ultra res prosperas vivo, morte miseriis præveniente. infra ✠ſ. 703. & libro 9. ✠ſ. 208. *Felix Priamus: Felix, quisquis bello moriens, Omnia secum consumpta videt.* Senec. in Troad. ✠ſ. 157.

632. *Non sum morte miser.*] Quia mors malum non est, & in mea constantia persevero; & fretus recta conscientia, post triumphos animo tranquillo morior. *Videt hanc Cornelia cedem.*] Consolatur se Pompejus, quod in conspectu suorum cadat, hoc est, Conjugis & Sexti Pompeji filii. Pathos à sexu & ætate. *Hortens.*

634. *Peremptum, &c.*] Si animi mei in morte magnitudinem cum admiratione intueantur, amant certe.

635. *Talis custodia Magno.*] Talem habuit Pompejus moderationem, imperium sui, & constantiam in morte. *Custodia.*] Ratio, temperantia, moderatio. *Sulpit.*

636. *Jus hoc animi.*] Imperium & potestatem, ut dolori non cederet. *Sulpit.*

637. *At non tam patiens.*] Gravius

Quàm perferre nefas, miserandis æthera complet
Vocibus: ô conjux, ego te scelerata peremi:
640 *Letiferæ tibi causa moræ fuit avia Lesbos,*
Et prior in Nili pervênit littora Cæsar.
Nam cui jus alii sceleris? sed quisquis in istud
A superis immisse caput, vel Cæsaris iræ,
Vel tibi prospiciens, nescis crudelis, ubi ipsa
645 *Viscera sint Magni; properas, atque ingeris ictus,*
Quà votum est victo. pœnas non morte minores
Pendat, & antè meum videat caput. haud ego culpa
Libera bellorum, quæ matrum sola per undas,
Et per castra comes, nullis absterrita fatis,
650 *Victum, quod reges etiam timuêre, recepi.*
Hoc merui conjux in tuta puppe relinqui?
Perfide parcebas? te fata extrema petente
Vita digna fui? moriar, nec munere regis.
Aut mihi præcipitem nautæ permittite saltum:
655 *Aut laqueum collo tortosque aptate rudentes:*
Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem.

Pom-

ferens conspectum trucidati mariti, quam ipsa necem latura fuisset.

638. *Miserandis æthera, &c.*] Uxor & amici ejus hæc intuentes ejulatu qui in terram usque exauditi posset edito, sublatis ancoris summa celeritate fugerunt, ventusque alto incumbens eos juvit, ut ne volentibus quidem persequi Ægyptiis licuisset. Plut. & Appian.

639. *Ego te scelerata peremi.*] Dum me semotam in Lesbo petitum diverteres.

640. *Letiferæ tibi causa, &c.*] Conjicit Cæsarem vel à Cæsare missos antevenisse, qui Pompejum interficiendum curarent.

642. *Quisquis in istud, &c.*] Quicunque permissus es à Diis vel missus à Cæsare ad interficiendum Pompejum.

644. *Nescis crudelis, &c.*] Ego illi cor sum & vitalia, quam sibi superesse voluit: tu ingeris Pompejo ictus, parte ea qua voluit mori, quin me pete, majores luet pœnas si me truncatam videris, quam quod ipse jugulatur.

647. *Haud ego culpa, &c.*] Neque enim ego vaco culpa, ut quæ sola è fœminis Rom. comes fuerim civilis belli.

650. *Victum, &c.*] Pompejum excepi, in Lesbo.

652. *Perfide parcebas.*] Qui me deseruisti *comitem supremum iter carpere paratam, non ego perfidum dixi sacramentum, &c.* Horat. lib. 2. od. 17.

653. *Moriar nec munere regis.*] Mortem inveniam, utut Ptolomæi beneficio illam non impetrarim.

654. *Præcipitem.*] In mare.

656. *Exigat ensem.*] Immittat. *Sulpitius.*

657. *Pom-*

Pompejo præstare potest, quod Cæsaris armis
Imputet. ô sævi, properantem in fata tenetis?
Vivis adhuc conjux, & jam Cornelia non est
660 *Juris, Magne, sui. prohibent accersere mortem:*
Servor victori. sic fata, interque suorum
Lapsa manus, rapitur, trepida fugiente carina.
At Magni cùm terga sonent, & pectora ferro,
Permansisse decus sacræ venerabile formæ,
665 *Iratamque Deis faciem, nihil ultima mortis*
Ex habitu, vultuque viri mutasse, fatentur
Qui lacerum videre caput. nam sævus in ipso
Septimius sceleris majus scelus invenit actu:
Ac retegit sacros, scisso velamine, vultus
670 *Semianimis Magni, spirantiaque occupat ora,*
Collaque in obliquo ponit languentia transtro.
Tunc nervos, venasque secat, nodosaque frangit
Ossa diu: nondum artis erat caput ense rotare.
At postquam trunco cervix abscissa recessit,
675 *Vendicat hoc Pharius dextra gestare satelles.*
Degener, atque operæ miles Romane secundæ,

Pom-

657. *Pompejo præstare, &c.*] Qui Pompejo beneficium hoc præstiterit, vacabit culpa, quæ in Cæsaris conferetur crudelitatem.

659. *Vivis adhuc conjux, &c.*] Etiam te nondum mortuo, amisi libertatem, negaturne mihi jus mortis, ut in potestatem victoris redigar?

662. *Lapsa manus.*] Decidit exanimata. ut lib. 5. ✠ f. 799. & supra, ✠ f. 58.

663. *At Magni cum terga, &c.*] Dilatat narrationem copiose ab iis, quæ eædem consecuta sunt. Pompejus utraque manu ad frontem obducta, multis uno tempore ictibus confossus, nullam emisit vocem, tanti viri majestate indignam; sed suspirio tantum edito, obtulit corpus percussoribus feriendum. *Hortens. Sonent.*] Ictibus.

664. *Permansisse, &c.*] Supra, ✠ f. 613.

665. *Ultima mortis.*] Extremum mortis tempus.

669. *Velamine.*] Toga qua faciem involverat. supra ✠ f. 613. *Vultus, &c.*] Spirantis adhuc caput prehendit & crudeliter lanians amputavit, nec uno, uti jam ense rotato artis est, ictu.

670. *Occupat ora.*] Prendit adhuc spirantis caput. *Sulpit.*

673. *Nondum artis erat rotare, &c.*] Nondum norant artifices, caput uno ictu, rotato ense amputare. *Sulpit.*

675. *Pharius, &c.*] Achillas, cui delegatum hoc negotium, caput sibi ad regem sumit deferendum. *Satelles Pharius.*] Ptolemæi regis ministrum, Achillam vocat.

676. *Degener, &c.*] O degener Septimi,

Digitized by Google

Pompeji diro sacrum caput ense recidis,
Ut non ipse feras? ô summi fata pudoris!
Impius ut Magnum nosset puer, illa verenda
680 *Regibus hirta coma, & generosa fronte decora*
Cæsaries compressa manu est; Pharioque veruto,
Dum vivunt vultus, atque os in murmura pulsant
Singultus animæ, dum lumina nuda rigescunt,
Suffixum caput est, quo nunquam bella jubente
685 *Pax fuit: hoc leges, campumque, & Rostra movebat:*
Hac facie Fortuna tibi Romana placebas.
Nec satis infando fuit hoc vidisse tyranno:
Vult sceleri superesse fidem. tunc arte nefanda
Submota est capiti tabes, raptoque cerebro
690 *Adsiccata cutis, putrisque effluxit ab alto*
Humor, & infuso facies solidata veneno est.
Ultima Lageæ stirpis, perituraque proles,

Dege-

ptimi, tunc primas tanti sceleris suscepisti partes, ut tibi honoris, quem hinc petebas, secundæ cederent? Primum vulnus inflixerat Septimius & caput absciderat; quod non ipse jam gestat, sed Achillas. *Operæ secundæ.*] Τῶν δευτερείων, partium secundarum. à fabulis ductum. Major enim Achillæ dignitas qui caput gestavit, quam Septimii, qui abscissum gestare ipse non potuit. *Grotius.*

679. *Impius ut Magnum, &c.*] Ptolomæus, ut Pompejum agnosceret, caput illius à cæde recens contemplatus tractavit.

681. *Pharioque veruto.*] Et caput etiamdum spirans & palpitans Ægyptio pilo suffixum est.

683. *Nuda rigescunt.*] Non clausa; aperta.

684. *Quo nunquam, &c.*] Caput, pacis semper amans, in Senatu, comitiis, foro potens; felix & toties triumphale. *laurigeros agerets cum læta triumphos, Hoc tibi Roma caput erat.* Martial. ep. 70. lib. 3.

685. *Leges.*] Forum. *Campum.*] Comitia. *Rostra.*] Senatum. *Sulpit.*

688. *Fidem.*] Monimentum, quo Pompejum à se occisum fidem faciat. *Tunc arte nefanda, &c.*] Ab intimo humor arte educitur.

691. *Infuso facies, &c.*] Medicamentis & aromatibus, quibus condiuntur cadavera, conservatum est Pompeji caput Cæsari, deferendum, lib. 9 v. 1035.

692. *Ultima Lageæ stirpis.*] Invectiva Apostrophe ad Ptolomæum, ultimum regum Ægypt. è progenie Lagi, cujus filius Ptolomæus Alexandro mortuo Ægyptum occupavit, posterisque suis reliquit. *Perituraque proles.*] Periit brevi post hæc in pugna contra Cæsarem. navigio depresso à fugientibus, & ipse, ut creditur, immersus flumine. Regis corpus inquit Florus, obrutum limo repertum est in aureæ loricæ honore. & Plutarch. & Patercul.

693. *In-*

Digitized by Google

Degener, incestæ sceptris cessure sororis,
Cùm tibi sacrato Macedon servetur in antro,
695 *Et regum cineres extructo monte quiescant,*
Cùm Ptolemæorum manes, seriemque pudendam,
Pyramides claudant, indignaque Mausolea:
Littora Pompejum feriunt, truncusque vadosis
Huc illuc jactatur aquis. adeone molesta
700 *Totum cura fuit socero servare cadaver?*
Hac Fortuna fide Magni tam prospera fata
Pertulit: hac illum summo de culmine rerum
Morte petît: cladesque omneis exegit in uno
Sæva die, quibus immunes tot præstitit annos:
705 *Pompejusque fuit, qui nunquam mista videret*
Læta malis: felix nullo turbante Deorum,
Et nullo parcente miser. semel impulit illum
Dilata Fortuna manu. pulsatur arenis,
Carpitur in scopulis, hausto per vulnera fluctu
710 *Ludibrium pelagi: nullaque manente figura,*

Una

693. *Incestæ sceptris cessure sororis.*] Sororis Cleopatræ, cujus nuptias à patre consecutus fuerat, moriens el regnum reliquit.

694. *Macedon servetur in antro.*] Corpus Alexandri Magni serv. in immani sepulchri mole.

696. *Cum Ptolemæorum manes.*] Cum Ptolomæo omnes Ægypti continua serie post Alexandrum reges conditos tegant Pyramides. De quibus vide quæ nos ad Martial. epist. 1. *Pudendam.*] Luxu & ignavia perditam.

697. *Indignaque.*] Quibus illi erant indigni. *Mausolea.*] Sepulchra & monimenta illius æmula, quod Mausolo regi Cariæ ab uxore Artemisia extructum erat.

698. *Littora Pompejum feriunt.*] Post hæc, Magni *jacet ingens litore truncus.* neque jacet, sed alliditur litori, pulsatum arenis, ludibrium pelagi, ut mox.

700. *Totum cura fuit, &c.*] Æque ac caput. modo ✝ſ. 691.

701. *Hac Fortuna, &c.*] Inconstanti, prout ipsa levis Dea est, quæ more Scorpii cauda ferit. *tantum in illo viro à se discordante Fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam.* Paterc.

702. *Pertulit.*] Ad exitum deduxit.

703. *Exegit in uno, &c.*] Omnes calamitates & mala, quæ antehac fuisset passurus, immisit uno hoc die. *Sulpit. In uno, &c.*] Fr. Modius è l. Weidneri legit *in imo.* ea mente, qua supra, ✝ſ. 29. Sed placet *in uno:* ut opponatur dies unus infelix tot annis felicibus; & propter *semel*, quod seq. ✝ſ. 707.

705. *Fuit, &c.*] Unus mortalium fuit, qui, &c.

Una nota est Magno capitis jactura revulsi.
Ante tamen Pharias victor quàm tangat arenas,
Pompejo raptim tumulum Fortuna paravit,
Ne jaceat nullo, vel ne meliore sepulcro.
715 *E latebris pavidus decurrit ad æquora Cordus.*
Quæstor ab Idalio Cinyræa littore Cypri
Infaustus Magni fuerat comes. ille per umbras
Ausus ferre gradum, victum pietate timorem
Compulit, ut mediis quæsitum corpus in undis
720 *Duceret ad terram, traheretque ad littora Magnum.*
Lucis mœsta parum per densas Cynthia nubes
Præbebat; cano sed discolor æquore truncus
Conspicitur. tenet ille ducem complexibus arctis
Eripiente mari: nunc victus pondere tanto
725 *Expectat fluctus, pelagoque juvante cadaver*
Impellit. postquam sicco jam littore sedit,
Incubuit Magno, lacrymasque effudit in omne
Vulnus, & ad Superos, obscuraque sidera fatur:
Non pretiosa petit cumulato ture sepulcra

Pom-

711. *Una nota est Magno.*] Hoc solum agnoscitur; quod capite caret.

712. *Pharias.*] Ægyptias, à Pharo inf. *Victor.*] Cæsar.

713. *Pompejo raptim, &c.*] Hæc Plutarchus ad hunc modum refert: Illi capite amputato truncum nudum ex cymba projecerunt: quem Philippus libertus Pompeji, qui in cymbam una cum Pompejo ingressus fuerat, discedentibus iis, qui aspectu saturabantur, aqua marina abluit, sua tunica involvit & rogo è fragmentis naviculæ piscatoriæ extructo impositum cremavit, à sene quodam Rom. adjutus.

715. *E latebris.*] Ubi latuerat, ut furtim Pompejum sepeliret. *Sulpitius. Cordus.*] Quæstor Pompeji, ut vult poëta.

716. *Idalio.*] Idalus, mons Cypri, Veneri sacer. *Cinyræa.*] A rege Cinyra, Pindari Nem. ode 8. & Pythior ode 2.

717. *Infaustus Magni fuerat comes.*] Ms. P. *Infaustus fugæ*, unde scribere liceat: *Infaustusque fugæ fuerat comes.* Grotius. *Per umbras.*] Noctu.

721. *Lucis mœsta, &c.*] *Et Luna in nimbo nox intempesta tenebat.*

722. *Discolor æquore.*] Diversi à mari coloris.

724. *Eripiente mari.*] Refluo.

725. *Fluctus.*] Veniliam quæ cadaver sublevaret.

726. *Sedit.*] Truncus Pompeji.

728. *Obscuraq; sidera fatur.*] Ut modo v. f. 723.

729. *Non pretiosa, &c.*] Non poscit *nidorem thuris Eoi, Et Cilicum messes, vel lucrique exempta superbæ Cinnama, & Assyrio manantes gramine succos.* qualia func-

730 *Pompejus, Fortuna, tuus: non pinguis ad astra*
Ut ferat è membris Eoos fumus odores,
Ut Romana suum gestent pia colla parentem,
Præferat ut veteres feralis pompa triumphos,
Ut resonent cantu tristi fora, totus ut ignem
735 *Projectis mœrens exercitus ambiat armis.*
Da vilem Magno plebeji funeris arcam,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.
Robora non desint misero, nec sordidus ustor.
Sit satis, ô superi, quòd non Cornelia fuso
740 *Crine jacet, subicique facem complexa maritum*
Imperat, extremo sed abest à munere busti
Infelix conjux, nec adhuc à littore longè est.
Sic fatus, parvos juvenis procul aspicit ignes,
Corpus vile suis, nullo custode cremantes.

Inde

funeribus felicium cumulate infunduntur.

731. *Eoos fumus odores.*] Arabicos, Indicos, Panchæi thuris odores.

732. *Ut Romana suum, &c.*] Non ut tanquam pater patriæ efferatur, à nobilissimis civibus feretrum subeuntibus.

733. *Præferat ut veteres, &c.*] Non ut in funebri pompa præferantur rerum gestarum tituli & insignia, non triumphorum suorum imagines.

734. *Cantu tristi fora.*] Epicediis & næniis deplorantium ad tibiam. *Totus ut ignem, &c.*] Ut militari more exercitus demissis hastis ter rogum circumeat. *Ter circum accensos cincti fulgentibus armis Decurrêre rogos, ter mœstum funeris ignem Lustravêre in equis, ululatusque ore dedêre.* Virg. 11. Æneid.

735. *Projectis armis.*] Demissis. nam per terram hastas trahebant. *Sulpit.*

736. *Plebeji funeris arcam.*] Orcinianam spondam, popularem sandapilam, qua plebeji vilesque efferebantur. *angustis ejecta cadavera cellis Conservus vili portanda locabat in arca.* Horat. Satyr. 8. lib. 1.

737. *Siccos effundat in ignes.*] In quos nulla conjiciuntur aromata, *Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.* Æneid. 6.

738. *Robora non desint misero.*] Ligna quibus uratur. *Sordidus ustor.* Vespillo saltem.

739. *Quod non Cornelia fuso.*] Quod non adest mariti funeri Cornelia, quæ virum defleat fuso crine humum verrens, solo pectus affligens, &c. vide quæ Senecæ Troad. ℣. 83. & nostrum, lib. 2. ℣. 28.

740. *Subicique facem, &c.*] Subjici facem funebrem, quod officium defuncto præstabant necessitudine devincti, sed aversa facie *subjectam more parentum Aversi tenuere facem.* Virg. 6. Æneid.

741. *Munere busti.*] Ita Ms. non *funere.* Dolet enim Corneliam ultimum marito officium subjiciendi facem non præstitisse. *Grotius.*

743. *Juvenis.*] Cordus.

744. *Vile suis.*] Neglectum, non custoditum suis.

745. *Inde*

745 *Inde rapit flammas, semustaque robora membris*
Subducens, Quæcunque es (ait) neglecta, nec ullis
Cara tuo, sed Pompejo felicior umbra,
Quòd jam compositum violat manus hospita bustum,
Da veniam: si quid sensus post fata relictum est:
750 *Cedis & ipsa rogo, paterisque hæc damna sepulcri,*
Teque pudet, sparsis Pompeji manibus, uri.
Sic fatur: plenusque sinus ardente favilla
Pervolat ad truncum; qui fluctu panè relatus
Littore pendebat. summas dimovit arenas,
755 *Et collecta procul laceræ fragmenta carinæ*
Exigua trepidus posuit scrobe. nobile corpus
Robora nulla premunt, nulla strue membra recumbunt:
Admotus Magnum, non subditus, accipit ignis.
Ille sedens juxta flammas, O maxime, dixit,
760 *Ductor, & Hesperii majestas nominis una,*
Si tibi jactatu pelagi, si funere nullo
Tristior iste rogus; manes, animamque potentem
Officiis averte meis: injuria fati
Hoc fas esse jubet; ne ponti belua quicquam,
765 *Ne fera, ne volucres, ne sævi Cæsaris ira*
Audeat: exiguam, quantum potes, accipe flammam

Ro-

745. *Inde rapit flammas.*] Ab illo rogo.

747. *Felicior umbra.*]. Quia rogum nacta.

748. *Quod jam, &c.*] Ignosce mihi rogum tuum violanti.

750. *Cedis & ipsa rogo.*] Et ipsa videris tardius uri quo Pompejo cedas pyræ tuæ partem. *Damna sepulchri.*] Faces rogo subtractas, pyræ reliquias.

751. *Sparsis Pompeji manibus, uri.*] Inhumatis, adeoque ex Platonicorum opinione, errantibus per ripas Stygis centum annos: *Centum errant annos, volitantque hæc litora circum.* Virg. 6. Æn. vel fluctu jactantis.

751. *Plenusque sinus, &c.*] Ipse sinu vestis, arena, ut verisimile est, strato, prunas ferens.

755. *Collecta, &c.*] Supra, ad vs. 715.

756. *Nobile corpus, &c.*] Hypallage. Nobile corpus non premit robora. ut versu seq. extrui enim pyra è roboreis fissilibus solebat, atque illi medio imponi cadaver.

761. *Si tibi jactatu pelagi.*] Nisi forte fluctibus jactati aut funere carere malles, quam habere tam vile.

763. *Officiis averte meis.*] Ignosce tenuitati hujus officii mei; noli advertere funeris exiguitatem, quam excuset prementis fati injuria.

767. *Re-*

Romana succense manu. Fortuna recursus
Si det in Hesperiam, non hac in sede quiescent
Tam sacri cineres: sed te Cornelia, Magne,
770 *Accipiet, nostraque manu transfundet in urnam.*
Intereà parvo signemus littora saxo,
Ut nota sit busti; si quis placare peremtum
Fortè volet, plenos & reddere mortis honores;
Inveniat trunci cineres, & norit arenas,
775 *Ad quas, Magne, tuum referat caput. hæc ubi fatus,*
Excitat invalidas admoto fomite flammas.
Carpitur, & lentum Magnus distillat in ignem,
Tabe fovens bustum. sed jam percusserat astra
Auroræ promissa dies: ille, ordine rupto
780 *Funeris, attonitus latebras in littore quærit.*
Quam metuis demens isto pro crimine pœnam,
Quo te fama loquax omneis accepit in annos?
Condita laudabit Magni socer impius ossa.
I modò securus veniæ, fassusque sepulcrum
785 *Posce caput. cogit pietas imponere finem*

Offi-

767. *Recursus, &c.*] Reditum mihi felicem in Italiam.

771. *Saxo.*] Quod denotet busti locum.

772. *Placare peremtum.*] Justa & inferias rite solvere.

775. *Caput.*] Quod his cineribus deest.

777. *Distillat in ignem.*] Collapsus in cineres.

778. *Tabe.*] Adipe.

779. *Promissa dies.*] Alii leg. *præmissa* per hypallagen, Aurora præmissa diei. Sed hanc lectionem præfert Sabellicus, exponitque: ut ab Aurora intelligatur dies promitti illius splendore. *Rupto, &c.*] Interrupto, non continuato consummatoque funeris officio.

781. *Quam metuis demens.*] Non potest non exclamare Poëta in timiditatem Cordi ustoris; cui quum pro pio officio, non gratiæ solum haberi debuissent, verum etiam præmium debebatur; insuper fugit adventante luce, quasi pœnam ob malam noxam meritus fuisset. *Hortens.*

782. *Quo te fama, &c.*] Quo famæ immortalitatem consecutus es.

783. *Socer impius.*] Ipse Cæsar.

784. *I modo securus.*] Hortatur eum, ut secutus eadem via Ptolemæum & percussores adeat, & eadem via caput humandum petat, nihil periculi futurum: imo laudem apud Cæsarem consecuturum, propter pietatem in hostem etiam. *Hortens.*

785. *Cogit pietas, &c.*] Metum tandem Cordo excussit pietas, prorepitque ad absolvendum funeris officium.

787. *In-*

Digitized by Google

Officio. semusta rapit, resolutaque non dum
Ossa satis, nervis, & inustis plena medullis
Æquorea restinguit aqua, congestaque in unum
Parva clausit humo. tum ne levis aura retectos
790 *Asserret cineres, saxo compressit arenam:*
Nautaque ne bustum religato fune moveret,
Inscripsit sacrum semusto stipite nomen:
Hic situs est Magnus. placet hoc, Fortuna, sepulcrum
Dicere Pompeii: quo condi maluit illum,
795 *Quàm terra caruisse socer? temeraria dextra*
Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes
Includis? situs est, quà terra extrema refuso
Pendet in Oceano. Romanum nomen, & omne
Imperium Magno est tumuli modus. obrue saxa
800 *Crimine plena Deûm. si tota est Herculis Oete,*
Et juga tota vacant Bromio Nyseia; quare

Unus

787. *Inustis plena medullis.*] Non absumptis.

788. *Æquorea restinguit aqua.*] Quæ lacte & vino extingui perfundique oportuit. de more colligendi ac componendi ossa, vide quæ nos ad Senec. Troad. ℣. 797. *Unum, &c.*] Vide quæ ad ℣. 84. infra.

791. *Ne bustum moveret.*] Summum semper scelus habitum fuit, violasse sepulchrum. Lex inquit, ubi corpus mortui hominis condas, locus sacer esto. Mortui *sacri* dicuntur Plutarcho in Numa; quorum sacra sint sepulchra. Sancitum lege fuit, ut graviter mulctaretur, si quis bustum violasset, aut ex sepulchro columnam dejecisset fregissetve. Apud Athenienses dux capite puniebatur, qui bello cæsos non humasset, &c. *Hortens. Bustum religato fune.*] Saxum quo signabatur busti locus, sanctum cautumque ne violaretur.

793. *Hic situs est Magnus.*] Appianus refert, aliud inscriptum carmen: τοῦ ναοῖς βεβόθοῦ πόσῃ ἀπαόις ἐπαλιτο τύμβοῦ.

795. *Quam terra.*] Quam insepultum abjici. *Temeraria dextra, &c.*] Verba poëtæ increpantis Cordum de sepulchro & inscriptione solicitum: quasi Pompejo angustum sit monimentum, cui totus à se triumphatus orbis est tumulus. Sic Germanicus in Themistoclem. Antholog. libro 3. epistola 5. Ἀντὶ τοῖφῦ λιτοιοῖς Ἑλλάδα, &c. Στέλαθθ' ἀ Σαλαμὶς ἐπικείστεμ, ἔρχα λέγῦ(α Τάμα. τί με σμικρῆς τε μέγαν σὺλθεπε.

799. *Obrue saxa Crimine plena Deûm. si tota est Herculis Oete.*] Terra obrue ô Corde saxum hoc tuum, Diis potius inclementiæ, quam Pompejo sepulchri notam futurum; cui si signum hoc amoveas tota Ægyptus loco tumuli erit, perinde ac mons Oeta Herculi, aut Nysa Baccho.

801. *Quare Unus, &c.*] Conclusio, qua infert, non unius lapidis spatium

debere

Digitized by Google

Unus in Ægypto Magno lapis? omnia Lagi
Rura tenêre potest, si nullo cespite nomen
Hæserit. erremus populi, cinerumque tuorum,
805 *Magne, metu nullas. Nili calcemus arenas.*
Quòd si tam sacro dignaris nomine saxum;
Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum:
Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella,
Armaque Sertorî revocato Consule victa,
810 *Et currus, quos egit eques: commercia tuta*
Gentibus, & pavidos Cilicas maris. adde subactam
Barbariem, gentesque vagas, & quicquid in Euro
Regnorum, Boreaque jacet. dic semper ab armis
Civilem repetisse togam: ter curribus actis
815 *Contentum patriæ multos donasse triumphos.*
Quis capit hæc tumulus? surgit miserabile bustum
Non ullis plenum titulis, non ordine tanto
Fastorum: solitumque legi super alta Deorum

Cul-

debere Pompeji sepulchrum dici, sed totam Ægyptum. *Hortens.*

804. *Erremus populi, &c.*] Quin migremus omnes ex Ægypto, eamque universam tanquam religione & veneratione Diis Manibus Pompeji consecratam cedamus.

807. *Adde actus tantos.*] Res gestas abs te à juventute, usque ad ultimum vitæ diem. Inde enumerat aliquot monumenta rerum ab eo gestarum. *Hortensius.*

808. *Adde truces.*] Inscribe res illius gestas. *Lepidi motus.*] Lib. 2. ✠ f. 547. *Alpinaque bella.*] Lepidus provinciam Galliam supra Alpes sortitus, inde movit bellum.

809. *Armaque.*] Lib. 2. ad ✠ f. 549. *Sertorî.*] Sertorii. δοτικῶς. *Consule victa.*] Metello, qui impar adversus Sertorium videbatur.

810. *Currus, quos egit eques.*] Triumphales, quos egit annum agens 24. immaturus honoribus & adhuc eques, lib. 7. ✠ f. 14. & hoc lib. ✠ f. 25.

811. *Pavidos Cilicas maris.*] Piratas Cilicas coërcitos, lib. 2. ✠ f. 576.

812. *Barbariem.*] Barbaras nationes, devicto Mithridate, Ponticos, Armenios, Paphlagonas, Cappadocas. *Gentesque vagas.*] Scythas, vagos ἀμφιξοῖσι, Nomadas. *Quicquid in Euro, &c.*] Albanos, Iberos, Basternas, Syros, Judæos, omnesque gentes Orientales à Mæotide palude ad rubrum usque mare.

813. *Dic semper ab armis.*] Adde etiam rediisse semper in ordinem, reddidisse se civilibus officiis neque affectasse tyrannidem.

814. *Ter curribus actis.*] Ter triumphasse, lib. 7. ✠ f. 685.

816. *Surgit miserabile bustum.*] Atque illi interea, cui nullus erat satis amplus, erigitur tumulus titulis nudus.

818. *Fastorum.*] Rerum gestarum Fastis

Digitized by Google

Culmina, & extructos spoliis hostilibus arcus,
820 *Haud procul est ima Pompeji nomen arena,*
Depressum tumulo, quod non legat advena rectus,
Quod nisi monstratum Romanus transeat hospes.
Noxia civili tellus Ægyptia fato,
Haud equidem immeritò Cumana carmine Vatis
825 *Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora*
Hesperius miles, ripasque æstate tumentes.
Quid tibi sæva precer pro tanto crimine tellus?
Vertat aquas Nilus, quo nascitur orbe, retentus,
Et steriles egeant hybernis imbribus agri,
830 *Totaque in Æthiopum putres solvaris arenas.*
Nos in templa tuam Romana accepimus Isin,

Senis

ses inscribi dignarum, lib. 5. ✠ſ. 5. *Solitumque legi, &c.*] Nomenque illius quod inscribi solebat summis Deorum culminibus, arcubus triumphalibus, jam depressum est.

821. *Rectus.*] Nisi inclinet se ad legendum.

823. *Noxia civili tellus, &c.*] Apostrophe ad Ægyptum, adjecta imprecatione; ut divertatur Nilus, sterilisque fiat Ægyptus.

824. *Haud equidem immeritò, &c.*] Exitium illud, Romanis impendere è carmine Sibyllino interpretati sunt XV. viri, si Ptolomæus Auletes à Gabinio, qui tum Syriæ præfuit, ex autoritate Pompeji & S. C. reduceretur. de qua re Cic. multa in lib. 1. epist. fam. poëta refert ad rem Pompeji præsentem.

826. *Hesperius miles ripasque, &c.*] Ex membranis Andinis Gronovius ita legit: *ripasque æstate carentes.* Æstatis opus est in fluviis ut decrescant & laxè contineantur; hyemis, ut intumescant, & ripas egrediantur. Quibus alterutrum horum consueto tempore non accidit, vel *æstate* vel *hyeme carere*, ob perpetuum earundem partium anni effectum deficientem elegantissime dicuntur per notam μεταφορικὴν causæ efficientis. Sic media æstate hiemem, ait esse Statius in Tiburtina Vopisci villa:

Talis hiems tectis, frangunt sic improba Solem
Frigora, Piscinæque domus non æstuat annum.

Hiems tectis, quæ nimium æstatis calorem arcent & procul habent. *Gronov. Ripasque æstate tumentes.*] Nili qui Sole in Cancro, Leone, Virgine inundat, lib. 10. ✠ſ. 210. & deinceps.

828. *Quo nascitur orbe.*] Lib. 1. ✠. 20.

829. *Hybernis imbribus agri.*] Tempestuosis inundationibus, rarissime enim pluit in Ægypto.

830. *Totaque in Æthiopum.*] Deserta sias, arenosa, qualia incolunt Æthiopes supra Ægyptum.

831. *Nos in templa, &c.*] Expostulatio indignabunda. Nos recepimus sacra vestræ Isidis Romam translata, cui in campo Martio templum constituimus cum 9. dierum sacrorum ceremoniis. Erant & plures Isidis ædes. *Isin.*] Eandem cum Io, quam Ægyptii colebant sub specie vaccæ, ut & Osirim sub imagine bovis maris. *Herodot.* 3. illam deno-

Semideosque canes, & sistra jubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim:
Tu nostros Ægypte tenes in pulvere Manes.
835 *Tu quoque cùm sævo dederis jam templa tyranno,*
Nondum Pompeji cineres ô Roma petisti:
Exul adhuc jacet umbra ducis. si secula prima
Victoris timuere minas; nunc excipe saltem
Ossa tui Magni, si nondum subruta fluctu
840 *Invisa tellure sedent. quis busta timebit?*
Quis sacris dignam movisse verebitur urnam?
Imperet hoc nobis utinam scelus, & velit uti

Nostro

denotantes terram ceu rerum naturam Osiri, id est, Soli suppositam, è qua conjunctione nascuntur omnia. Lunam, alii esse autumant. vide Diod. Sic. lib. 1. & Plutarchum, lib. de Iside. Lucian. περὶ θυσιῶν. Cœl. Rhod. lib. 5. cap. 12.

832. *Semideosque canes.*] Anubin. Deum canino capite pictum. sive quod tempus significet; ut Macrob. 1. Saturn. cap. 20. vel Horizonta; ut Cœl. Rhod. lib. 5. cap. 12. vel Nilum producentem Cynocephalos serpentes, crocodilos, &c. ut Diod. Sicul. lib. 1. sive Mercurium; ut Strabo lib. 17. sive Canem stellam referat, qui Solis recessus ceu Nili inundationis tempus denotat. *Sistra jubentia luctus.*] Crepitacula ex ære aut argento, adhibita in sacris Isidis, modum luctus indicentia.

833. *Quem tu plangens, &c.*] Cujus obitum plangendo, hominem non deum testaris fuisse Osirim, regem Ægypti à Typhone fratre cæsum, ab Iside uxore diu quæsitum. Diod. Sicul. lib. 1. de cujus cultus apud Ægyptios ratione C L V. atque extra omnem ingenii, curæ, judicii aleam positus Joan. Seldenus eruditissime disserit in Syntagmate 1. de DIS Syris, cap. 3. & 2. Syntagm. cap. 10. ubi exactissima mensium computatione Osiridis ἀφανισμὸν, ζήτησιν, εὕρεσιν ad Solis accessum & recessum redigit. Neque fortassis absurdum fuerit & cultum hunc ad Nilum referre, qui iisdem mensibus inundans Isidi, id est, terræ conjungitur, & in Typhona, id est, mare lapsus deperit. cum, ut ipse ibidem docet, Osiris à Siti, hoc est, Nilo denominetur.

834. *Manes.*] Pompeji, qui nobis numinis instar.

835. *Tu quoque, &c.*] Apostrophe ad Romam, immemorem Pompeji & ingratam. *Tyranno, &c.*] Cæsari. cui in numerum Deorum relato Augustus templum consecravit & divinos honores instituit. *Sueton.*

837. *Si secula prima, &c.*] Quod si metu Cæsaris, quoad vixit hoc officio supersederint: quin nunc tandem petit aliquis?

840. *Invisa tellure sedent.*] Ægypto, terra infesta & meritum funeris honorem negante.

841. *Urnam.*] Ossa semiusta & cineres, quæ urnis condi solita. quod si timido huic vespilloni ad manum fuisse urnam crederem, & supra ℣. 788. legissem *congestaque in urnam Parva clausit humo.* Sed & alii *umbram* hic legunt.

842. *Nobis utinam scelus.*] Mihi honori & pio officio futuro quod illi pro scelere habent, inquit poëta.

Digitized by Google

Nostro Roma sinu: satis ô nimiumque beatum,
Si mihi contingat manes transferre revulsos
845 *Ausoniam, si tale ducis violare sepulcrum.*
Forsitan aut sulco sterili cùm poscere finem
A Superis, aut Roma volet feralibus Austris,
Ignibus aut nimiis, aut terræ tecta moventi:
Consilio, jussuque Deûm transibis in urbem,
850 *Magne, tuam, summusque feret tua busta sacerdos.*
Nam quis ad exustam Cancro torrente Syenen
Ibit, & imbrifera siccas sub Pleiade Thebas
Spectator Nili: quis rubri stagna profundi,
Aut Arabum portus mercis mutator Eoæ,
855 *Magne, petet, quem non tumuli venerabile saxum,*
Et cinis in summis forsan turbatus arenis
Advertet? manesque tuos placare jubebit,
Et Casio præferre Jovi? nil ista nocebunt

Fama

843. *Sinu.*] Ossa suorum peregre defunctorum amici solebant in sinu referre. *Retulit ossa sinu cari Nigrina mariti.* Martial. epist. 31. lib. 9. Sen. cons. ad Albican. cap. 2.

844. *Manes transferre.*] Cineres illius transferre in Italiam.

846. *Forsitan.*] Erit credo tempus, ubi ad avertendam sterilitatem, pestem, incendia aut terræ motum consulta oracula docebunt Pompeji ossa & cineres ex Ægypto transferenda in Urbem: ita demum cessuram iram Deorum. vide quæ ad ✠ſ. 109. lib. 5. *Sulco sterili.*] Sterilitati.

847. *Feralibus.*] Pestiferis.

848. *Ignibus.*] Incendiis. *Terræ tecta moventi.*] Terræ motui.

850. *Summusque feret tua, &c.*] Cineres feret Pontif. max. Tumulus obrutus & statuæ exesæ, ætate mea (inquit Appianus) ab Hadriano Imp. summa diligentia perquisita & inventa erigebantur, ut ab omnibus dignosci possent.

851. *Nam quis ad.*] Idque commodius nostris futurum, quos in Ægyptum navigantes invitabit veneranda Pompeji memoria ad visendum, placandum, adorandum, ipsius tumulum. *Exustam, &c.*] Lib. 2. ✠ſ. 587.

852. *Imbrifera siccas, &c.*] Thebas Ægyptiacas, in exusta regione siccas, quamvis subjectæ sint Tauro signo Zodiaci: in cujus humero septem stellæ dictæ Pleiades, ceu Virgiliæ: *Navita eas Hyadas Graius ab imbre vocat.* Ovid. 5. Fast. ab ὕω, pluviam enim ortæ inducunt.

853. *Rubri stagna profundi.*] Maris Erythræi. de quo vide quæ ad Senec. Thyest. ✠ſ. 370.

854. *Mercis mutator Eoæ.*] Qui merces mutat sub sole recenti.

857. *Advertet?*] Ita rectè Mss. *Grotius.*

858. *Casio.*] Qui in monte Casio colitur. *Præferre Jovi?*] Potius visere. *Ista nocebunt.*] Utcunque humilia & vilia.

860. *Nunc*

Famæ busta tuæ. templis, auroque sepultus
860 *Vilior umbra fores: nunc est pro numine summo,*
Hoc tumulo Fortuna jacens. augustius aris
Victoris Libyco pulsatur ab æquore saxum.
Tarpeiis qui sæpe Deis sua tura negarunt,
Inclusum fusco venerantur cespite fulmen.
865 *Proderit hoc olim, quòd non mansura sepulcri*
Ardua marmoreo surrexit pondere moles.
Pulveris exigui sparget non longa vetustas
Congeriem, bustumque cadet, mortisque peribunt
Argumenta tuæ. veniet felicior ætas,
870 *Qua sit nulla fides saxum monstrantibus istud:*
Atque erit Ægyptus populis fortasse nepotum
Tam mendax Magni tumulo, quàm Creta Tonantis.

M. AN-

860. *Nunc est pro numine summo.*] Fortuna quodammodo ipsa hic cum Pompejo cui semper faverat, sepulta inquit Grotius. Alii exponunt ut Fortuna sit Vocandi casus.

861. *Augustius aris.*] Saxum hoc Pompeji in litore undis allisum augustius est quam templum Cæsari dicatum.

863. *Tarpejis qui sæpe Deis, &c.*] Qui Diis Capitolinis, Jovi, Junoni, Apollini, Minervæ, Marti negarunt sacrificia, venerabuntur ossa ustulata Pompeji, signata saxo hoc, cui Cordus *Inscripsit sacrum semusto stipite saxum.* ut supra v. 792. Alii fuscum exponunt cespitem terram Ægypti, cui nomen à nigredine, uti probat CL. V. Jo. Seldenus, Synt. de DIS Syris 1. cap. 4.

864. *Inclusum fusco venerantur, &c.*] Nollem à me sollicitatum hunc locum. Nam omnes Mss. ut & vulgati, habent *Thusco.* Sensus est; Non mirum, si Pompejus tam vili tumulo conditus honoratur: nam & multi, qui in Capitolio sacrificare insuper habent, venerantur molem terream, cui ab aruspice inclusum est aliquid, quod erat fulminatum. Suprà lib. 1.

—— *Arnus dispersos fulminis ignes*
Collegit & terræ mæsto cum murmure condit.

Hominem fulmine exanimatum cremari fas non est: condi terra religio tradidit, est apud Plinium. *Grotius.*

865. *Proderit hoc olim, &c.*] Bene tibi cedet quod tam vile & cito interituram nactus es sepulchrum, sterneturque tibi ad immortalitatem gradus, ita ut Ægyptiis de sepulchro tuo, nusquam tamen comparente gloriantibus, non majorem fidem posteri sint habituri, quam Cretensibus habita est de Jove apud eos sepulto. unde vana & mendax dicitur Creta, quasi vero Dii sint mortales: vide J. Seldenum in Titulis honorum, l. 1. c. 7. Callimach. hym. 1. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα σεῖο Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θνάσκεις ἐστὶ γὰρ ἀεί.

Digitized by Google

M. ANNÆI LUCANI
CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ,
LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

SPiritus in nono Magni petit æthera: pugnæ
Relliquiasque Cato Libyæ transportat in oras,
Et cum Pompejis Magnum Cornelia luget.
Quem Cato commendans Cilices, castigat, & inde
Per Syrtes agitur, Libycas quoque calcat arenas:
Hammonemque tuens serpentum senta peragrat.
Dux & ab Emathia Trajanam vectus in urbem,
It Pharon, & generi lacrymans pia conspicit ora.

AT non in Pharia manes jacuêre favilla,
Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram:
Prosiluit busto, semustaque membra relinquens,
Degenerémq; rogum, sequitur convexa Tonantis.
Quà niger astriferis connectitur axibus aër:
Quodque patet terras inter, lunæque meatus

Semi-

Manes jacuere favilla.] Pompeji anima. absolvit autem poëta ἀποθέωσιν Pompeji.

4. *Sequitur convexa Tonantis.*] Beatarum animarum sedem repetit, campos Elysios, de quibus vide quæ nos ad Senec. Troada, ver. 942. Hos alii in Hispania, alii in insulis Fortunatis locant. Platonicorum alii in summo loco tertii ordinis ex ter quaterna elementorum divisione, in cœlo scilicet quod terra ἀστολαστὴς dicitur, alii vero in regione proxime Lunam, quam vitæ mortisque confinium esse volunt, &c. Macrobius in Somn. Scipion. lib. 1. cap. 11.

7. *Semi-*

Digitized by Google

Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitæ patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.
10 *Non illuc auro positi, nec ture sepulti*
Perveniunt. illic postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratur, & astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.
15 *Hinc super Emathiæ campos, & signa cruenti*
Cæsaris, ac sparsas volitavit in æquore classes;
Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
Sedit, & invicti posuit se mente Catonis.
Ille ubi pendebant casus, dubiumque manebat,
20 *Quem mundi dominum facerent civilia bella,*
Oderat & Magnum, quamvis comes isset in arma
Auspicis raptus patriæ, ductuque Senatus.
At post Thessalicas clades jam pectore toto
Pompejanus erat. patriam tutore carentem
25 *Excepit, populi trepidantia membra refovit,*
Ignavis manibus projectos reddidit enses:

Nec

7. *Semidei manes habitant.*] Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, quos ἥρως, id est, aëris filios corpore solutos emicare & cum Dæmonibus habitare volunt aëris in campis. *Quos ignea virtus.*] *Quos ardens evexit ad æthera virtus.* Virg. 6. Æn. *Igneus* quippe *est ollis vigor & cœlestis origo.*

8. *Innocuos vitæ, &c.*] Non gravatos, non corruptos inferiorum contage, verum sedem suam appetentes.

9. *Orbes.*] Sphæras.

10. *Non illuc auro positi, &c.*] Non illuc semper ascendunt Cæsares aureis conditi loculis, eburneis auratisque elati lectis, argo, thure cremati, &c. qui mos est referendi Imperatores in numerum Deorum, Herod. lib. 4.

11. *Illic postquam, &c.*] *Insuetum postquam miratus lumen Olympi Sub pedibus vidit nubes, & sidera.* Virg. ecl. 5.

13. *Vidit quanta, &c.*] Vide Platonis Gorgiam, & de Rep. atque Cic. de somnio Scip.

16. *Classes.*] Quæ integræ adhuc erant circa Corcyram.

17. *Et scelerum vindex, &c.*] Et vindicaturus scelestum bellum à Cæsare summæ dominationis studio susceptum, transfudit se quasi per μετεμψύχωσιν in pectus Bruti, qui eum interfecturus erat, & Catonis.

19. *Ille ubi pendebant casus.*] Cato, dum incertus esset belli exitus, patriæ & civium à se mutuo cæsorum miserius, Pompejum & Cæsarem ex æquo oderat, veritus ne victor imperium invaderet.

Digitized by Google

Nec regnum cupiens gessit civilia bella,
Nec servire timens. nil causa fecit in armis
Ipse sua: totæ post Magni funera partes
30 *Libertatis erant: quas ne per littora fusas*
Colligeret rapido victoria Cæsaris actu,
Corcyræ secreta petit, ac mille carinis
Abstulit Emathiæ secum fragmenta ruinæ.
Quis ratibus tantis fugientia crederet ire
35 *Agmina? quis pelagus victas arctasse carinas?*
Dorida tunc Malean, & apertam Tænaron umbris,
Inde Cythera petit: Boreaque urgente carinas
Creta fugit: Dictæa legit, cedentibus undis,
Littora. tunc ausum classi præcludere portus
40 *Impulit, ac sævas meritum Phycunta rapinas*
Sparsit: & hinc placidis alto delabitur auris

In

28. *Nec servire timens.*] Ut, cui perfecto Stoico semper ad manum libertatis portus, mori parato. τὶς ἐστ ὀδλ⊖ ⊖ θανεῖν ἀφροντὶς ὢν.

29. *Partes.*] Copiæ Pompeji.

30. *Quas ne per litora fusas.*] Pompejus Cæsarem in Thessaliam persecuturus, multis suorum Dyrrhachii relictis præfecit Catonem, quem usque verebatur ne sibi obstaret quo minus victoria liceret ex suo animo uti. Is itaque accepta apud Pharsalum clade, statuit suos in Italiam trajicere, si modo Pompejus periisset, sin superesset, copias quas habebat illi servare. atque hoc animo Corcyram ad classem trajecit. Plutarchus. sed aliter hæc Appianus.

31. *Victoria Cæsaris actu.*] Cæsar victor, pro expeditione & celeritate solita.

32. *Corcyræ secreta petit.*] Inf. sub Epiro, ubi erat Pompeji classis. *Mille carinis.*] Synecdoche Hyperbolica.

34. *Quis ratibus, &c.*] Cladis Pharsalicæ reliquias.

35. *Arctasse carinas.*] Contraxisse, angustum reddidisse, texisse.

36. *Dorida tunc, &c.*] Navigationem Catonis, e Corcyra in Africam descripturus, narrat loca, quæ præternavigarit. *Hort. Malean.*] Malea promontorium est Laconiæ, quam incoluere Dores. *Apertam Tænaron.*] Lib. 6. ✓f. 648. *Tænaron apertam.*] In cujus promontorio spelunca erat, per quam aditus erat ad inferos. *Horatius.*

37. *Cythera petit.*] Insulam Peloponnesi, hodie *Cerigo.*

38. *Fugit.*] Præternavigantibus & provectis recedere videtur; causam vide ad Sen. Troad. ✓f. 1044. *Dictæa legit.*] Cretensia. Dicte urbs & mons Cretæ.

39. *Ausum classi, &c.*] Phycunta opp. cum promontorio Cyrenaicæ regionis. quia portum Catoni præclusit, expugnavit & militibus suis diripiendum concessit.

40. *Impulit.*] *Foxeed. Phycunta.*] Urbs Cyrenaicæ contra Tænarum. Meminerunt Plinius lv. 12. ✓f. 5. Stephanus etiam. *Crotius.*

42. Pa-

Digitized by Google

In littus Palinure tuum: (neque enim æquore tantùm
Ausonio monimenta tenes: portusque quietos
Testatur Libye Phrygio placuisse magistro.)
45 *Cum procul ex alto tendentes vela carinæ*
Ancipites tenuêre animos, sociosne malorum,
An veherent hostes: præceps facit omne timendum
Victor, & in nulla non creditur esse carina.
Ast illæ puppes luctus, planctusque ferebant,
50 *Et mala vel duri lacrymas motura Catonis.*
Nam postquam frustra precibus Cornelia nautas
Privignique fugam tenuit, ne fortè repulsus
Littoribus Phariis remearet in æquora truncus,
Ostenditque rogum non justi flamma sepulcri:
55 *Ergo indigna fui, dixit, Fortuna, marito*
Accendisse rogum, gelidos effusa per artus
Incubuisse viro, laceros exurere crines,
Membraque dispersi pelago componere Magni?
Vulneribus cunctis largos infundere fletus?
60 *Ossibus, & tepida vestes implere favilla?*

Quic-

42. *Palinure tuum.*] Promontorium Cyrenaicæ regionis in Africa, à Palinuro Æneæ navis magistro denominatum, ut & illud Pæstani sinus in Italia.

44. *Testatur Libye.*] Ante fuit *Libyæ.* Non Italia sola, sed & Africa testatur tutos portus Palinuro placuisse, & ab ipso dictos. *Grot. Testatur Libye, &c.*] Neque Africa minus quam Italia testatur tutos portus placuisse Palinuro atque ab eo nomen accepisse. *Phrygio Magistro.*] Æneæ. *Hortens.*

45. *Cum procul, &c.*] Ubi, conspectis navibus in quibus erant Cornelia & Sextus Pompejus cum suis, Cato dubitare cœpit utrum Cæsaris essent an Pompeji.

50. *Duri lacrymas.*] Stoici, ἀπαθῆς.

51. *Frustra precibus, &c.*] Frustra laborabat retinere Sextum Pomp. natum ex Æmylia, & cæteros in litore Ægyptio, desiderio atque expectatione trunci conjugis, si forte illum fluctu relabente delapsum possent excipere.

54. *Non justi, &c.*] Indigni Pompejo.

55. *Ergò indigna, &c.*] Querulatoria oratio Corneliæ, quæ invita à nautis ab Ægyptio mari avecta fuit. *Fortuna.*] Ad Fortunam vertitur oratio. Recenset aliquot pietatis officia, quæ marito Pompejo in funere præstare potuisset. *Hortens.*

56. *Accendisse rogum.*] De more luctus. vide lib. 2. ℣. 21. & ad Senec. Troada, ℣. 83.

60. *Ossibus, &c.*] Mulieres autem ossa sinu legebant. *Modo in eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti.* Senec. ad Albinam cap. 2.

Quicquid ab extincto licuisset tollere busto,
In templis sparsura Deûm. sine funeris ullo
Ardet honore rogus: manus hoc Ægyptia forsan
Obtulit officium grave manibus. ô bene nudi
65 *Crassorum cineres! Pompejo contigit ignis*
Invidia majore Deûm. similisne malorum
Sors mihi semper erit? nunquam dare busta licebit
Conjugibus: nunquam plenas plangemus ad urnas?
Quid porrò tumulis opus est, aut ulla requiris
70 *Instrumenta dolor? non toto pectore portas*
Impia Pompejum? non imis hæret imago
Visceribus? quærat cineres victura superstes.
Nunc tamen hic, longè qui fulget luce maligna,
Ignis, adhuc aliquid, Phario de littore surgens
75 *Ostendit mihi, Magne, tui: jam flamma resedit,*
Pompejumque ferens vanescit Solis ad ortus
Fumus, & invisi tendunt mihi carbasa venti.
Non mihi nunc tellus Pompejo siqua triumphos
Victa dedit, non alta terens Capitolia currus
80 *Gratior: elapsus felix de pectore Magnus:*

Hunc

61. *Quicquid, &c.*] Cineres & ossa.

62. *Sine funeris ullo.*] Idem questus erat Cordus lib. 8. ℣. 729. & deinceps.

63. *Manus hoc Ægyptia.*] Ita & Cordus, lib. 8. ℣. 762.

64. *O bene nudi, &c.*] Feliciores illi qui inhumati abjecti, quam Pompejus cui tam despicatus & vilis contigit ignis quasi Deorum odio.

68. *Conjugibus.*] P. Crassò prius, nunc Pompejo negata. *Plenas plangemus ad urnas?*] Cinere & ossibus. Respicit ad cenotaphia, quæ in acie desideratis vel naufragio amissis accumulata sunt ab amicis repræsentantia omnes ceremonias & officia vera sepultis debita. ὃς ἂν μὴ θάπτοιτο, κενοτάφιον αὐτοῖς ἔστησαν μέγα, Xenoph. 6. ἀναβάσεως.

69. *Quid porro tumulis opus est.*] Sed quid, &c. ἐπιτάφιος, cum pectus meum sit tumulus illius & monimentum vivum?

72. *Victura superstes.*] Quæ diu conjugi superesse cupit; quod ad me, vitæ tædet.

73. *Maligna.*] Non clara, sed tenui & paupertina. vel ingrata, ut modo ℣. 64.

75. *Flamma residit.*] Rectius Ms. P. *refidit.* Sequitur *vanescit.* Grotius.

76. *Solis.*] Oriente die.

78. *Non mihi nunc tellus, &c.*] Non ulla tellus Pompejo triumphata, gratior jam mihi est, quam hæc, quæ utcunque nocens, illius ossa habet.

80. *Elapsus felix.*] Felicitatem Pompeji nolo ulterius recordari; fortuna illius

Hunc volumus, quem Nilus habet, terræque nocenti
Non hærere queror: crimen commendat arenas.
Linquere, si qua fides, Pelusia littora nolo.
Tu pete bellorum casus, & signa per orbem,
85 *Sexte, paterna move: namque hæc mandata reliquit*
Pompejus vobis in nostra condita cura,
Me cùm fatalis leto damnaverit hora,
Excipite ô nati bellum civile, nec unquam,
Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit,
90 *Cæsaribus regnare vacet. vel sceptra, vel urbes*
Libertate sua validas impellite fama
Nominis: has vobis parteis, hæc arma relinquo.
Inveniet classes quisquis Pompejus in undas
Venerit: & noster nullis non gentibus hæres
95 *Bella dabit: tantum indomitos, memoresque paterni*
Juris habete animos. uni parêre decebit,
Si faciet partes pro libertate, Catoni.
Exolui tibi, Magne, fidem, mandata peregi.
Insidiæ valuêre tuæ, deceptaque vixi,
100 *Ne mihi commissas auferrem perfida voces.*
Jam nunc te per inane chaos, per Tartara, conjux,
Si sunt ulla, sequar: quàm longo tradita leto

Incer-

illius lætiori nolo frui, tristiori malo, infra ✝ſ. 112.

87. *Me cum fatalis, &c.*] Repetit Cornelia Pompeji mandata ad liberos, fidei suæ & curæ commissa.

90. *Vacet.*] Immune sit, labore & periculo vacuum. *Sceptra, &c.*] Regna & urbes liberas impel.

92. *Nominis.*] Mei, quod sufficiet ad partes, ad arma, ad classes & exercitus comparandos.

93. *Quisquis Pompejus.*] Uter è filiis, sive quis alius Pompeji nomine.

95. *Bella dabit.*] Ad arma excitabit gentes quascunque.

96. *Juris habete, &c.*] Quod mihi à Senatu datum ad gerendum hoc bellum.

98. *Exolui tibi.*] Apostrophe ad maritum. *Fidem, mandata peregi.*] Quibus te periculis objiciens me tibi superesse voluisti, quo mandata hæc ad filios tuos perferrem.

99. *Insidiæ valuere tuæ.*] Quod me in navi relicta, solus in cymbam Ægyptiacam descenderis. Habent tamen illæ momentum aliquod, quod tua mandata ad filium pertuli. *Hortens.*

100. *Auferrem.*] Ut omninò vobis hæc patris mandata declararem. *Hort.*

101. *Chaos per Tartara.*] Lib. 1. ✝ſ. 74.

102. *Si sunt, sequar.*] Nisi & fabula

Incertum est: pœnas animæ vivacis ab ipsa
Ante feram. potuit cernens tua vulnera, Magne,
105 *Non fugere in mortem: planctu contusa peribit:*
Effluet in lacrymas: nunquam veniemus ad enses,
Aut laqueos, aut præcipites per inania jactus.
Turpe mori post te solo non posse dolore.
Sic ubi fata, caput ferali obducit amictu,
110 *Decrevitque pati tenebras, puppisque cavernis*
Delituit: sævumque arctè complexa dolorem
Perfruitur lacrymis, & amat pro conjuge luctum.
Illam non fluctus, stridensque rudentibus Eurus
Movit, & exurgens ad summa pericula clamor:
115 *Votaque sollicitis faciens contraria nautis,*
Composita in mortem jacuit, favitque procellis.
Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis:
Inde tenens pelagus, sed jam moderatior, Eurus
In Libycas egit sedes, & castra Catonis.
120 *Tristis, ut in multo mens est præsaga timore,*
Aspexit patrios comites à littore Magnus,
Et fratrem: medias præceps tunc fertur in undas.
Dic ubi sit, germane, parens: stat summa, caputque
Orbis,

manes sint. *Quam longe, &c.*] Vitam, quamcunque mihi fata extenderint, luctu & cruciatu reddam amaram.

103. *Incertum est.*] Ignoro mortis meæ tempus, quam me discruciando & torquendo doloribus miseram animam anticipabo. *Sulpit.*

104. *Feram.*] Auferam.

105. *Non fugere in mortem.*] Non separari à corpore. *Sulpit.*

106. *Nunquam veniemus, &c.*] Non erit opus vi extrinsecus: sufficiet dolor internus.

107. *Per inania.*] Per aërem.

112. *Perfruitur lacrymis.*] Delectationem capit in lacrymis.

115. *Contraria nautis, &c.*] Moram in Ægyptio litore expetens. naufragium & mortem: cum nautæ abitum & salutem voverent.

118. *Tenens pelagus.*] Sibi vendicans imperium pelagi.

119. *Catonis.*] Qui jam erat ad Palinurum, supra ℣. 12.

121. *Magnus, &c.*] Cn. Pompejus major natu filius Pompeji, quem è Pharsalica clade elapsum cum Catone in Africam trajecisse refert. In Hispaniam tamen profectum solicitasse Iberos & Celtiberos tradit Appianus.

122. *Et fratrem, &c.*] Cato oram Africæ legens (inquit Plutarchus in Catone min.) in Sext. Pompejum incidit, Magni Fil. natu minorem; is ei patrem in Ægy-

Digitized by Google

Orbis, an occidimus? Romanaque Magnus ad umbras
125 *Abstulit? hæc fatur: quem contra talia frater.*
O felix, quem sors alias dispersit in oras,
Quique nefas audis: oculos, germane, nocenteis
Spectato genitore fero. non Cæsaris armis
Occubuit, dignoque perit auctore ruinæ.
130 *Rege sub impuro Nilotica rura tenente,*
Hospitii fretus Superis, & munere tanto
In proavos, cecidit donati victima regni.
Vidi ego magnanimi lacerantes pectora patris:
Nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum,
135 *Littore Niliaco socerum jam stare putavi.*
Sed me nec sanguis, nec tantum vulnera nostri
Affecêre senis, quantum gestata per urbes
Ora ducis, quæ transfixo sublimia pilo
Vidimus: hæc, fama est, oculis victoris iniqui
140 *Servari, sceleristque fidem quæsisse tyrannum.*
Nam corpus Phariæne canes, avidæque volucres
Distulerint, an furtivus, quem vidimus, ignis
Solverit, ignoro. quæcunque injuria fati

Abstu-

in Ægypto necatum refert. *Præceps fertur in undas.*] Celer navi occurrit. *Sulpitius.*

124. *Romanaque Magnus.*] Res Romanas, quæ ab illo pendebant.

126. *O felix.*] O te felicem. *O felix una ante alias Priameia virgo.* Virgilius Æneid. 3. *Alias dispersit in oras.*] Qui neque interfuisti, neque vidisti quæ nos. *Sulpit.*

127. *Quique nefas audis.*] Neque visu læsisti pietatem & venerationem.

130. *Impuro Nilotica.*] Incesto, impio, perfido Ptolomæo.

131. *Hospitii fretus.*] Fretus Diis hospitii præsidibus, & beneficentia qua sibi demeruerat reges Ægyptios Auleten in regnum autoritate sua restituens, jure hospitalitatis cum patre ejus Lathyro usus, & Dionysio huic, cui tutor à Senatu datus erat confirmato regno.

135. *Socerum.*] Cæsarem. sic Cornelia lib. 8. ✠ſ. 641.

137. *Per urbes.*] *Per urbem*, Mss. omnes. *Grotius.*

138. *Ora ducis.*] Amplificatio crudelitatis in cæde paterna. Itaque pater ratus eum jus hospitalitatis servaturum, & Superos ipsumque Jovem, qui jure hospitali præsidet revertiturum, crudeliter in nostro conspectu necatus fuit. *Hortens. Ora ducis.*] Lib. 8. ✠ſ. 681.

140. *Sceleristque.*] Lib. 8. ✠ſ. 688. indicia sceleris.

143. *Solverit.*] In cineres verterit. lib. 8. ✠ſ. 755. *Ignoro.*] Quod in mari, ex tanto intervallo, nihil certi videre potuerint. *Hortens.*

144. *Dono.*]

Abstulit hos artus, Superis hæc crimina dono:
145 *Servata de parte queror. Cùm talia Magnus*
Audisset: non in gemitus, lacrymasque dolorem
Effudit; justaque furens pietate profatur:
Præcipitate rates è sicco littore nautæ;
Classis in adversos erumpat remige ventos:
150 *Ite duces mecum: nunquam civilibus armis*
Tanta fuit merces, inhumatos condere manes,
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
Non ego Pellæas arces, adytisque retectum
Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?
155 *Non mihi Pyramidum tumulis evulsus Amasis,*
Atque alii reges Nilo torrente natabunt?
Omnia dent pœnas nudo tibi, Magne, sepulcra:
Evolvam busto jam numen gentibus Isin,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirim,
160 *Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis,*
Suppositisque Deis uram caput. has mihi pœnas

Ter-

144. *Dono.*] Condono, ignosco.

145. *Servata de parte queror.*] De capite illius in adventum Cæsaris servato.

147. *Justaque furens.*] Conjunctiva *que*, pro discretiva *sed*. lib. 1. ℣ſ. 252. & lib. 2. ℣ſ. 35.

148. *Præcipitate rates.*] Decorum hic servat Poëta, in oratione juvenilis ætatis, immodice vehementis, nulloque judicio præcipitantis se ad vindictam. *Hortens.*

152. *Sanguine semiviri.*] Ptolemæum cædere inferias Pompejo.

153. *Non ego Pellæas, &c.*] Commemorat vindictæ genera varia. Primum vult refodere corpus Alexandri Magni, & aliorum regum sepulchra demoliri, & ossa eorum dispergere in flumine, &c. *Hortens. Pellæas.*] Alexandriam. *Adytisque retectum, &c.*] Sepulchro effossum Alexandri corpus. lib. 8. ℣ſ. 694.

154. *Mareotide mergam.*] Ægypti palude.

155. *Pyramidum.*] Vide quæ nos ad epist. 1. Martial. b. *Amasis.*] Ægypti rex. Herodot. lib. 2. Plin. 36. cap. 12.

157. *Nudo.*] Insepulto.

158. *Isin.*] Eandem cum Io, quam Ægyptii colebant sub specie vaccæ, ut & Osirim sub imagine bovis maris. vide lib. 8. ℣ſ. 831.

159. *Tectum lino, &c.*] Osirim à fratre Typhone dilaniatum Isis uxor tela lini recepit. hinc statuæ ejus & sacerdotibus lineæ vestes. *Linigeri calvi, &c.* Martial. epigr. 29. lib. 12. vide lib. 10. ℣ſ. 175. *Osirim.*] Lib. 1. ℣ſ. 835.

160. *Et sacer in Magni, &c.*] Et bovem, qui Apin Deum repræsentat, & post certos annos in puteum demergitur, mactabo ad tumulum Pompeji. de Api, vide quæ ad ℣ſ. 479. & 833. lib. 8.

161. *Deis, &c.*] Deorum statuis.

163. *Solus-*

Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros;
Nec, Nilus cui crescat, erit: solusque tenebis
Ægyptum genitor, populis superisque fugatis.
165 *Dixerat, & classem sævas rapiebat in undas.*
Sed Cato laudatam juvenis compescuit iram.
Interea totis audito funere Magni
Littoribus sonuit percussus planctibus æther:
Exemploque carens, & nulli cognitus ævo
170 *Luctus erat, mortem populos deflere potentis.*
Sed magis, ut visa est lacrymis exhausta, solutas
In vultus effusa comas, Cornelia puppe
Egrediens, rursus geminato verbere plangunt.
Ut primùm in sociæ pervenit littora terræ,
175 *Collegit vestes, miserique insignia Magni,*
Armaque, & impressas auro, quas gesserat olim,
Exuvias, pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.
Ille fuit miseræ Magni cinis. accipit omnis
180 *Exemplum pietas, & toto littore busta*

Sur-

163. *Solusque tenebis.*] Lib. 8. ✝ f. 803.

167. *Interea, &c.*] Sparsa miserabili catastrophe exitus Pompeji, redintegratur planctus in littore Africo, cum amplificatione ejus hyperbolica. *Hortens.*

170. *Mortem populos.*] Ut populi deflerent mortem potentis viri, Pompeji. *Hellenism.*

171. *Sed magis, &c.*] Sed major ingeminatur planctus, ubi visa est Cornelia.

174. *Sociæ.*] Africæ, ubi Cn. Pompejus & Cato.

175. *Vestes, &c.*] Efferebantur illustres viri apud Rom. in pompam funebrem, conspicui insignibus honorum quos gessissent. In imaginaria hac sepultura Pompejo suo hunc honorem præstat Cornelia. Illustrium item virorum bustis injecta atque una cremata fuisse arma, & quæ illis in vita fuerant charissima, docet Virgil. in funere Miseni, Æneid. 6.

177. *Pictasque togas.*] Palmatas, id est, palmis pictas, quas gerebant triumphantes.

178. *Ter conspecta Jovi.*] Jovi Capitolino conspecta, in tribus triumphis, lib. 7. ✝ f. 685.

179. *Cinis.*] Imaginarium bustum, loco veri cineris. *Accipit, &c.*] Corneliæ pietatem & cæteri imitati repræsentativa extruunt busta & cenotaphia suis quisque amicis qui in Thessalia occubuerant.

180. *Et toto littore busta.*] Totum rogis lucet litus, non secus atque ubi pastores Apuli agros & montes igne per hyemem depascunt ad renovanda gramina eliciendasque novas herbas.

182. *Sic,*

Abstulit hos artus, Superis hæc crimina dono:
145 *Servata de parte queror. Cùm talia Magnus*
Audisset: non in gemitus, lacrymasque dolorem
Effudit; justaque furens pietate profatur:
Præcipitate rates è sicco littore nauta;
Classis in adversos erumpat remige ventos:
150 *Ite duces mecum: nunquam civilibus armis*
Tanta fuit merces, inhumatos condere manes,
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
Non ego Pellæas arces, adytisque retectum
Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?
155 *Non mihi Pyramidum tumulis evulsus Amasis,*
Atque alii reges Nilo torrente natabunt?
Omnia dent pœnas nudo tibi, Magne, sepulcra:
Evolvam busto jam numen gentibus Isin,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirim,
160 *Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis,*
Suppositisque Deis uram caput. has mihi pœnas

Ter-

144. *Dono.*] Condono, ignosco.

145. *Servata de parte queror.*] De capite illius in adventum Cæsaris servato.

147. *Justaque furens.*] Conjunctiva *que*, pro discretiva *sed.* lib. 1. ✠ſ. 252. & lib. 2. ✠ſ. 35.

148. *Præcipitate rates.*] Decorum hic servat Poëta, in oratione juvenilis ætatis, immodice vehementis, nulloque judicio præcipitantis se ad vindictam. *Hortens.*

152. *Sanguine semiviri.*] Ptolemæum cædere inferias Pompejo.

153. *Non ego Pellæas, &c.*] Commemorat vindictæ genera varia. Primum vult refodere corpus Alexandri Magni, & aliorum regum sepulchra demoliri, & ossa eorum dispergere in flumine, &c. *Hortens. Pellæas.*] Alexandriam. *Adytisque retectum, &c.*] Sepulchro effossum Alexandri corpus. lib. 8. ✠ſ. 694.

154. *Mareotide mergam.*] Ægypti palude.

155. *Pyramidum.*] Vide quæ nos ad epist. 1. Martial. b. *Amasis.*] Ægypti rex. Herodot. lib. 2. Plin. 36. cap. 12.

157. *Nudo.*] Insepulto.

158. *Isin.*] Eandem cum Io, quam Ægyptii colebant sub specie vaccæ, ut & Osirim sub imagine bovis maris. vide lib. 8. ✠ſ. 831.

159. *Tectum lino, &c.*] Osirim à fratre Typhone dilaniatum Isis uxor tela lini recepit. hinc statuæ ejus & sacerdotibus lineæ vestes. *Linigeri calvi, &c.* Martial. epigr. 29. lib. 12. vide lib. 10. ✠ſ. 175. *Osirim.*] Lib. 1. ✠ſ. 835.

160. *Et sacer in Magni, &c.*] Et bovem, qui Apin Deum repræsentat, & post certos annos in puteum demergitur, mactabo ad tumulum Pompeji. de Api, vide quæ ad ✠ſ. 479. & 833. lib. 8.

161. *Deis, &c.*] Deorum statuis.

163. *Solus-*

Digitized by Google

Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros;
Nec, Nilus cui crescat, erit: solusque tenebis
Ægyptum genitor, populis superisque fugatis.
165 *Dixerat, & classem sævas rapiebat in undas.*
Sed Cato laudatam juvenis compescuit iram.
Interea totis audito funere Magni
Littoribus sonuit percussus planctibus æther:
Exemploque carens, & nulli cognitus ævo
170 *Luctus erat, mortem populos deflere potentis.*
Sed magis, ut visa est lacrymis exhausta, solutas
In vultus effusa comas, Cornelia puppe
Egrediens, rursus geminato verbere plangunt.
Ut primùm in sociæ pervenit littora terræ,
175 *Collegit vestes, miserique insignia Magni,*
Armaque, & impressas auro, quas gesserat olim,
Exuvias, pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.
Ille fuit miseræ Magni cinis, accipit omnis
180 *Exemplum pietas, & toto littore busta*

Sur-

163. *Solusque tenebis.*] Lib. 8. ✝ ſ. 803.

167. *Interea, &c.*] Sparsa miserabili catastrophe exitus Pompeji, redintegratur planctus in littore Africo, cum amplificatione ejus hyperbolica. *Hortens.*

170. *Mortem populos.*] Ut populi deflerent mortem potentis viri, Pompeji. *Hellenism.*

171. *Sed magis, &c.*] Sed major ingeminatur planctus, ubi visa est Cornelia.

174. *Sociæ.*] Africæ, ubi Cn. Pompejus & Cato.

175. *Vestes, &c.*] Efferebantur illustres viri apud Rom. in pompam funebrem, conspicui insignibus honorum quos gessissent. In imaginaria hac sepultura Pompejo suo hunc honorem præstat Cornelia. Illustrium item virorum bustis injecta atque una cremata fuisse arma, & quæ illis in vita fuerant charissima, docet Virgil. in funere Miseni, Æneid. 6.

177. *Pictasque togas.*] Palmatas, id est, palmis pictas, quas gerebant triumphantes.

178. *Ter conspecta Jovi.*] Jovi Capitolino conspecta, in tribus triumphis, lib. 7. ✝ ſ. 685.

179. *Cinis.*] Imaginarium bustum, loco veri cineris. *Accipit, &c.*] Corneliæ pietatem & cæteri imitati repræsentativa extruunt busta & cenotaphia suis quisque amicis qui in Thessalia occubuerant.

180. *Et toto littore busta.*] Totum rogis lucet litus, non secus atque ubi pastores Apuli agros & montes igne per hyemem depascunt ad renovanda gramina eliciendasque novas herbas.

182. *Sic,*

Digitized by Google

Surgunt Thessalicis reddentia manibus ignem.
Sic, ubi depastis submittere gramina campis,
Et renovare parans hybernas Appulus herbas,
Igne fovet terras, simul & Garganus, & arva
185 *Vulturis, & calidi lucent buceta Matini.*
Non tamen ad Magni pervenit gratius umbram,
Omne quòd in Superos audet convicia vulgus.
Pompejumque Deis obicit, quàm pauca Catonis
Verba, sed à pleno venientia pectore veri.
190 *Civis obit (inquit) multo majoribus impar*
Nosse modum juris, sed in hoc tamen utilis ævo,
Cui non ulla fuit justi reverentia, salva
Libertate potens, & solus plebe parata
Privatus servire sibi, rectorque Senatus,
195 *Sed regnantis, erat. nil belli jura poposcit:*

Qua-

182. *Sic, ubi depastis, &c.*] Collatio incendii littoralis in busto Pompeji, cum igne Appulo, quoties pastores in Appulia ignem in herbis immittunt, & quidem hyeme, ut renoventur & novas eliciant. *Hortens.*

184. *Garganus, & arva Vulturis.*] Montes Apuliæ.

185. *Buceta Matini.*] Boum pascua. Al. *buxeta*, malè.

186. *Non tamen ad Magni, &c.*] Inter omnia vero quæ vulgus in defuncti Pompeji laudes jactabat, indignam ejus calamitatem & cædem Deorum inclementiæ objiciens; nihil pervenit ad Pompeji umbram gratius, quam funebris oratio à Catone habita.

190. *Civis obit.*] Oratio Catonis laudatorii generis. Laudat enim Pompejum jam defunctum, ab heroïcis virtutibus, quibus inter omnes Romanos eminebat; sed præcipuè à singulari modestia, quæ raro in summos viros & triumphales incidere solet. *Hortensius. Obit.*] Pro obiit. *Multo majoribus, &c.*] Qui defecit quidem à priscorum Rom. moderatione & justitia, sed tamen utilis.

192. *Cui non ulla.*] Micyllus sic hunc locum exponit: Sed in hoc tamen scilicet, quod se ultrà civem non extulit; & semper minus potestatis ac juris, quam ei concedebatur, sibi usurpavit. Profuit ac utilis fuit huic ævo, cui nulla reverentia justi est, hoc est, quando omnes jus ac fas contemnunt ac negligunt, suo quisque arbitrio viventes & agentes; profuit itaque vel aliis etiam exemplum exhibendo. Laudat ergo Pompejum, vel isto nomine, quod corrupto sæculo, tum præsenti, tum Syllano, potens esset salva libertate, quam alii oppressum irent. *Hortens. Cui non ulla fuit.*] Cui, ævo nostro scil. *Salva libertate fuit.*] In tantum potentiæ evectus, quantum civi consequi licet salva libertate, neque tamen se extulit supra civem, utcunque plebs illi servire prompta fuerit. *In id evectus supra quod adscendi non potest.* Vell. Paterc. 2.

195. *Regnantis.*] Liberi. cuncta regentis, cui & ipse Pompejus parebat.

Nil

Quaque dari voluit, voluit sibi posse negari.
Immodicas possedit opes: sed plura retentis
Intulit: invasit ferrum, sed ponere norat.
Prætulit arma togæ: sed pacem armatus amavit.
200 *Juvit sumta ducem, juvit dimissa potestas.*
Casta domus, luxuque carens, corruptaque nunquam
Fortuna domini. clarum, & venerabile nomen
Gentibus, & multum nostræ quod proderat urbi.
Olim vera fides Sylla Marioque receptis
205 *Libertatis obît: Pompejo rebus ademto*
Nunc & ficta perît. non jam regnare pudebit:
Nec color imperii, nec frons erit ulla Senatus.
O felix, cui summa dies fuit obvia victo,
Et cui quærendos Pharium scelus obtulit enses:
210 *Forsitan in soceri potuisses vivere regno.*
Scire mori, sors prima viris, sed proxima cogi.
Et mihi, si fatis aliena in jura venîmus,
Da talem Fortuna Jubam: non deprecor hosti
Servari, dum me servet cervice recisa.

Voci-

Nil belli jura poposcit.] Neque enim bello tam potens in animo habuit vi senatum cogere.

197. *Retentis intulit.*] Quam ipse sibi retinuit.

198. *Intulit.*] In ærarium publ. *Invasit ferrum, sed ponere norat.*] Suscepit bellum, sed & ponere norat.

204. *Olim vera fides Sylla Marioque.*] Vera libertas jamdudum temporibus Marii & Syllæ periit, cujus tamen species aliqua retenta est, Pompejo vivente: jam vero illo mortuo & de specie illa libertatis & imagine Imperii atque Senatus actum est. *Receptis, &c.*] In urbem vicissim reversis ad internecionem adversarum partium, lib. 2. ℣. 69. & deinceps.

207. *Nec color.*] Species. *Frons.*] Neque verecundia. *Hortens.*

208. *O felix, &c.*] Eum tempestiva morte felicem appellat. nam si vixisset, in servitutis discrimen potuisset incidere. Seneca in Troade act. *Felix Priamus, felix quisque bello moriens, omnia secum consumpta videt.* Sulpit. *O felix.*] Lib. 8. ℣. 360.

209. *Quærendos.*] Vel expetendos. *Emphasis. Pharium scelus.*] Ægyptiorum scelus.

210. *Soceri.*] Cæsaris. *Regno.*] Invidiose.

211. *Scire mori, &c.*] Mortem, Stoicum ab omnibus miseriis portum, libenter oppetere, sibique conscisceré. *Cogi.*] Aliunde illata morte perire.

213. *Talem Fortuna Jubam, &c.*] Qualem habuit Pompejus Ptolemæum, potius quam victori reservet, me vel sic detruncatum servet.

215. *Fo-*

215 *Vocibus his major, quàm si Romana sonarent*
Rostra ducis laudes, generosam venit ad umbram
Mortis honos. fremit interea discordia vulgi
Castrorum, bellique piget post funera Magni:
Cùm Tarcho in motu linquendi signa Catonis
220 *Sustulit; hunc rapta fugientem classe secutus*
Littus in extremum, tali Cato voce notavit:
O nunquam pacate Cilix! iterumne rapinas
Vadis in æquoreas? Magnum Fortuna removit:
Jam pelago pirata redis. tunc respicit omnes
225 *In cœtu, motuque viros: quorum unus aperta*
Mente fugæ, tali compellat voce regentem:
Nos Cato, da veniam, Pompeji duxit in arma,
Non belli civilis amor, partesque favore
Fecimus. ille jacet, quem paci prætulit orbis,
230 *Causaque nostra perit: patrios permitte penates,*
Desertamque domum, dulcesque revisere natos.
Nam quis erit finis, si nec Pharsalia, pugna,
Nec Pompejus erit? perierunt tempora vitæ,

Mors

215. *Vocibus his major.*] Ut supra ℣. 186.

216. *Rostra ducis laudes.*] Pro rostris enim in foro Rom. habebantur hujusmodi orationes funebres.

217. *Vulgi, &c.*] Ab armis discedere cupientis.

219. *Cum Tarcho in motu linquendi.*] In medio animorum motu signum secessioni dedit. Frigidius ante: *Cum Tarchon motus.* Sed in Ms. P. inter lineas asscriptum erat *alias: dimotus*, quod viam præit ad veram lectionem *Tarcondimotus.* ita enim apud Florum nominatur hic Cilicum Princeps, & Græcè Dioni eodem modo Ταρκονδίμοτος. Apud Cæsarem corruptè legi videtur *Tarcundarius*, & apud Strabonem Ταρκονδάριος. *Grotius. In motu linquendi signa Catonis sustulit.*] In motu secessionis & relinquendi Catonem sustulit signa. Ita H. Grotius emendat, cum prius legeretur: *Cum Tarchon motus linquendi.* Tarcho autem dux Cilicum.

220. *Fugientem, &c.*] Abitum & fugam apparantem.

223. *Magnum, &c.*] Lib. 2. ℣. 576.

225. *Aperta, &c.*] Reddita ratione consilii sui & secessionis.

226. *Regentem.*] Catonem.

228. *Partesque favore.*] In illius gratiam partes has secuti sumus.

229. *Quem paci prætulit orbis.*] Cujus arma & signa sequi paci prætulit orbis.

230. *Causaque nostra.*] Et cum illo, nostra quoque belli causa.

233. *Perierunt tempora, &c.*] Consenuimus in bellis, à quibus liceat discedere ut domi tuto moriamur.

234. *Ju-*

Mors eat in tutum: justas sibi nostra senectus
235 *Prospiciat flammas. bellum civile sepulcra*
Vix ducibus præstare potest. non barbara victos
Regna manent: non Armenium mihi sæva minatur,
Aut Scythicum Fortuna jugum: sub jura togati
Civis eo. quisquis Magno vivente secundus,
240 *Hic mihi primus erit: sacris præstabitur umbris*
Summus honor: dominum, quem clades cogit, habebo:
Nullum, Magne, ducem. te solum in bella secutus,
Post te, fata sequar: neque enim sperare secunda
Fas mihi, nec liceat. Fortuna cuncta tenentur
245 *Cæsaris: Emathium sparsit victoria ferrum.*
Clausa fides miseris, & toto solus in orbe est,
Qui velit, ac possit victis præstare salutem.
Pompejo, scelus est bellum civile, peremto,
Quo fuerat vivente, fides. si publica jura,
250 *Si semper patriam sequeris Cato, signa petamus*
Romanus quæ Consul habet. sic ille profatus
Insiluit puppi, juvenum comitante tumultu.
Actum Romanis fuerat de rebus, & omnis

In-

234. *Justas Prospiciat flammas.*] Rogos.

236. *Vix ducibus.*] Bene *vix*: nam non totus Pompejus sepultus est, & quidem miserande: alii vero quum innumeri sint, sepeliri non possunt. *Sulpit.* *Non barbara, &c.*] Neq; enim servitutem sub Parthis aut Scythis duram metuo, sed sub Romano levem, quam subeo libens potius quam bella ulterius sequar.

240. *Sacris præstabitur umbris Summus honor.*] Summus à me honor habebitur semper umbris & memoriæ Pompeji, det modo veniam lasso jam militiæ, ut adversarium victorem potius induam dominum, quam victarum partium sequar ullum ducem.

243. *Fata sequar.*] Fortunam atque exitum belli hujus. *Secunda, &c.*] Prospera; victoriam harum partium, vel pristinam libertatem excusso omnino servitio.

244. *Nec liceat.*] Ostendit se sorti suæ acquiescere, & simul rebellionis tollit suspicionem, & felicitatem Romano precatur imperio. *Sulpit.*

245. *Emathium, &c.*] Victoria Cæsaris dissipavit Pompejanos & reliquias cladis Pharsalicæ.

246. *Clausa fides.*] Bello victis negatur fides & victoris in supplices clementia. *Toto solus in orbe est.*] Altero è contendentibus cæso, Imperii summa in potestatem superstitis cedat.

251. *Consul.*] Cæsar.

252. *Insiluit puppi.*] Propere conscendit navem. *Tumultu.*] Turba.

Digitized by Google

Indiga servitii fervebat littore plebes:
255 *Erupêre ducis sacro de pectore voces:*
Ergo pari voto gessisti bella juventus
Tu quoque pro dominis, & Pompejana fuisti,
Non Romana manus? quòd non in regna laboras,
Quòd tibi, non ducibus, vivis, moriensque quòd orbem
260 *Acquiris nulli, quòd jam tibi vincere tutum est,*
Bella fugis, quærisque jugum cervice vacante,
Et nescis sine rege pati. nunc causa pericli
Digna viris. vestro potuit Pompejus abuti
Sanguine: nunc patriæ jugulos ensesque negatis,
265 *Cùm propè libertas. unum Fortuna reliquit*
Jam tribus è dominis. pudeat: plus regia Nili
Contulit in leges, & Parthi militis arcus.
Ite ô degeneres, Ptolemæi munus, & arma

Sper-

254. *Indiga servitii, &c.*] In servitutem prona plebs.

255. *Erupere, &c.*] In hunc modum locutus est Cato.

256. *Pari voto, &c.*] Eodem voto quo Cæsariani. tu pro Pompeji dominatu, ut illi pro Cæsaris, non utique pro libertate Rom.

257. *Tu quoque pro dominis.*] Oratio Catonis ad milites generis Judicialis est. Exordium ab acerba reprehensione quod pro Pompejo, non pro libertate patriæ, arma sumpsisse dicantur, quod jam eo mortuo, illa deponere studeant, quasi res ad umbilicum perducta sit: quâ in re, inquit, se testari servos Pompeji, non defensores libertatis Romanæ fuisse. Nunc vero illo sublato è rebus humanis, cum nondum alicujus dominatui subjecti sint, malint adhuc liberi, Cæsaris servi esse sine sanguine, quam secum adversus illum consociare arma. *Hortens.*

258. *Quod non in regna, &c.*] Postquam autem spei dominationis summæ filum incisum est; postquam tuæ libertati asserendæ, non ducis, qui cecidit, partibus es superstes; quia mortis tuæ discrimine neutri regnum confirmasti, & quia jam minimo cum labore & periculo te in libertatem vindicare licet, tu ab armis discedis: collo servitutis jugum ferre parato.

261. *Cervice vacante.*] Libera ab omni jugo, hoc est, servitute. *Hortens.*

262. *Sine rege pati.*] Sine rege & domino esse. lib. 5. ỳ f. 314. non potes esse liber. *Causa pericli.*] Libertatis ergo.

263. *Abuti sanguine.*] Adempta libertate, & regno sibi constituto.

264. *Jugulos ensesque.*] Mortem & vires. *Sulpit.*

266. *Tribus è dominis.*] Pompejo, Crasso, Cæsare lib. 1. ỳ f. 4. quorum fœdera & affinitates jam olim metuens Cato exclamavit Remp. nuptiarum lenocinio corruptam prodi. Appianus. *Plus regia Nili.*] Ad libertatem nostram tuendam plus profuit Ptolemæus, qui Pompejum; plus Parthi, qui Crassum sustulerunt.

268. *Ite ô degeneres.*] Contemptim per exclamationem eos facessere jubet, qui

Digitized by Google

Spernite. quis vestras ulla putet esse nocenteis
270 *Cæde manus? credet facileis sibi terga dedisse,*
Credet ab Emathiis primos fugisse Philippis.
Vadite securi: meruistis judice vitam
Cæsare, non armis, non obsidione subacti.
O famuli turpes, domini post fata prioris
275 *Itis ad hæredem. cur non majora mereri,*
Quàm vitam, veniamque libet? rapiatur in undas
Infelix Magni conjux, prolesque Metelli:
Ducite Pompejos: Ptolemæi vincite munus.
Nostra quoque inviso quisquis feret ora tyranno,
280 *Non parva mercede dabit. sciat ista juventus*
Cervicis precio bene se mea signa secutam.
Quin agitè, & magna meritum cum cæde parate:
Ignavum scelus est tantùm fuga. dixit: & omneis
Haud aliter medio revocavit ab æquore puppes,
285 *Quàm simul effetas linquunt examina ceras,*

Atque

qui à virtute Romana degeneratis, indigni nomine Romano, qui Ptolemæi munus, hoc est, libertatem spernitis. Cum tolleret Pompejum, vobis vestram libertatem restituit; qui vivus eam adimere potuisset. Et cum dicit manus eorum non esse nocentes cæde; exprobrat eos minime fortiter pugnasse pro libertate. *Hortens. Ptolemæi munus.*] Libertatem à Ptolemæo donatam simul cum bello deserere.

269. *Quis vestras, &c.*] Quis credat vos strenue pugnando manus vestras cæde hostium cruentasse? imo credet potius fugam à vobis in Pharsalico prœlio cœptam.

271. *Philippis.*] Ad ℣. 680. lib. 1.

275. *Hæredem.*] Dominatus successorem. *Cur non majora mereri.*] Sed cur non & majora suscipitis scelera, quo ampliora à Cæsare accipiatis præmia quam veniam & vitam? Cur non Corneliam, juvenes Pompejos, vel me pro dentes perdentesve melius de Cæsare meremini, quam ipse Ptolemæus?

277. *Prolesque Metelli.*] Hujus filia erat Cornelia, Scipionis scil. Metelli filia.

278. *Ptolemæi munus.*] Quod gratius ei futurum est, quam quod ille Pompejum sustulerat ferro. *Hortens.*

280. *Sciat.*] Probo quod habent Mss. P. & T. *sciet.* Grotius.

281. *Cervicis precio.*] Mez. *Bene sa mea signa.*] Sibi utiliter.

283. *Ignavum scelus est tantum fuga.*] Fuga est simplex defectio; nisi & aliud adjungatis scelus.

284. *Haud aliter medio revocavit.*] Cilicas secedere volentes ad officium & in castra revocat: non secus atque apum examina in alveos reducuntur tinnitu æris.

285. *Simul.*] Ubi, postquam. *Effetas linquunt examina ceras.*] Petu destitutos favos.

Atque oblita favi non miscent nexibus alas,
Sed sibi quæque volat, nec jam degustat amarum
Desidiosa thymum: tum si sonus increpat æris,
Attonitæ posuêre fugam, studiumque laboris
290 *Florigeri repetunt, & sparsi mellis amorem:*
Gaudet in Hyblæo securus gramine pastor
Divitias servasse casæ: sic voce Catonis
Inculcata viris justi patientia Martis.
Jamque actu belli non doctas ferre quietem
295 *Constituit mentes, serieque agitare laborum.*
Primùm littoreis miles lassatur arenis.
Proximus in muros, & mœnia Cyrenarum
Est labor: exclusus nulla se vindicat ira:
Pœnaque de victis sola est, vicisse, Catoni.
300 *Inde peti placuit Libyci contermina Mauris*
Regna Jubæ, sed iter mediis Natura negabat
Syrtibus: has audax sperat sibi cedere virtus.

Syr-

286. *Non miscent nexibus alas.*] Non in formam uvæ ceu racemi pendent ab arbore βοτρυδὸν, nec conglobatim volant.

287. *Tum si sonus increpat æris.*] Al. *at Phrygii sonus ut crepat æris.* Virgil. 4. Georg. *Tinnitusque cie & Martis quate cymbala circum.*

289. *Studiumque laboris, &c.*] *Ipse Intima more suo sese in cunabula condent.*

291. *Hyblæo.*] Hybla, Siciliæ mons floribus & mellificiis clarus.

292. *Divitias.*] Apes.

294. *Jamque actu belli, &c.*] Jamque ne per ocium ad seditiones relaberentur, militaribus operibus eos exercuit.

296. *Lassatur arenis.*] Exercitatione vel itinere.

298. *Exclusus nulla se vindicat ira.*] Sed Plutarchus in Catone Min. refert, cum profectum Cyrenen, receptum fuisse, cum paucis ante diebus Labienus inde esset exclusus.

299. *Pœnaque, &c.*] Non crudeliter usus est victoria; non aliam sumpsit de hostibus pœnam, præter ipsos vicisse: id illi supplicii satis visum. *De victis.*] Antea ubique fuit, *devictis. Catoni* autem habent & Ms. *Grot.*

300. *Inde peti placuit, &c.*] Ibi (id est, Cyrenis, inquit Plutarchus) cum inaudiisset Scipionem à Juba susceptum, & una esse Atium Varum cum copiis quem Pompejus Africæ præfecerat: hyeme durante ad eos itinere terrestri contendit. *Eorum copias*, inquit Paterculus, *auxerat M. Cato, ingenti cum difficultate itinerum, locorum inopia, perductis ad eos legionibus, qui, cum summum ei à militibus deferretur imperium, honorati pareré maluit.* lib. 2.

302. *Syrtibus.*] Lib. 1. ℣. 367. *Has audax sperat sibi cedere virtus.*] Et tamen Catonis virtuti nulla via erit invia.

303. *Syr-*

Digitized by Google

Syrtes vel primam mundo Natura figuram
Cùm daret, in dubio pelagi terræque reliquit.
305 *(Nam neque subsedit penitus, quò stagna profundi*
Acciperet, nec se defendit ab æquore tellus:
Ambigua sed lege loci jacet invia sedes:
Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo,
Et post multa sonant projecti littora fluctus.
310 *Sic malè deseruit, nullosque exegit in usus*
Hanc partem natura sui.) vel plenior alto
Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat:
Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens,
Æquora subduxit Zonæ vicina perustæ:
315 *Et nunc pontus adhuc Phœbo siccante repugnat.*
Mox ubi damnosum radios admoverit ævum,
Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda supernè
Innatat, & latè periturum deficit æquor.
Ut primùm remis actum mare propulit omne

Clas-

303. *Syrtes vel primam, &c.*] Utrum (inquit poëta, in rationis Physicæ de natura Syrtium inquisitionem digressus) Natura vel naturæ molitor Deus, cum è rudi Chao cætera omnia eximeret loca, hæc reliquerit indigesta atque indiscreta: sive olim in totum mari contecta, jam à rapido vicini Solis calore exhausta alibi emineant vadosa, procedente vero tempore in totum exhalarint humorem & in terram penitus solida sint futura.

305. *Neque subsedit penitus.*] Neque litore arcet maria, sed incerto sinu est mare vadosum, alternis fluxus atque refluxus vicibus dubium, terræ ac maris mira inæqualitate.

307. *Invia sedes*] Inaccessa, quod in eas accessus, nisi cum præsenti periculo non sit. *Ambigua lege.*] Natura conditioneque incerta. Est enim æquor vadosum, & terra mari intermista. *Sulpitius.*

309. *Et post multa littora.*] Post multos arenarum spissosque cumulos. *Sulp.*

312. *Natabat.*] Mersa erat.

313. *Rapidus Titan, &c.*] Sol & sidera maris fluctibus & exhalationibus ali opinabantur Stoici & alii vet. Arist. lib. 2. Meteor. & hos secuti poëtæ, *convexa polus dum sidera pascet.* Æneid. 1. Virgil. vide lib. 1. ℣. 415.

314. *Subduxit.*] Attraxit magna ex parte. *Perustæ.*] Torridæ.

315. *Et nunc pontus, &c. repugnat.*] Obstat adhuc, quo minus in terram solidam tutus abeat. quod temporis processu fiet.

319. *Ut primum, &c.*] Describit periculosam Catonis navigationem ad Jubam Mauritaniæ Regem. *Hortens. Ut primum, &c.*] Poëta Catonem partem itineris classe emensum usque ad Tritonidem paludem fingit. *Actum mare.*] *Ictum mare* Ms. P. *aptum mare*, Ms. R. R. *Grotius.*

320 *Claßis onus, densis fremuit niger imbribus Auster*
In sua regna furens: tentatum claßibus æquor
Turbine defendit, longeque à Syrtibus undas
Egit, & illato confregit littore pontum.
Tum quarum recto deprendit carbasa malo
325 *Eripuit nautis, frustraque rudentibus ausis*
Vela negare Noto, spatium vicêre carinæ,
Atque ultra proram tumuit sinus. omnia siquis
Providus antennæ suffixit lintea summæ,
Vincitur, & nudis avertitur armamentis.
330 *Sors melior claßi, quæ fluctibus incidit altis,*
Et certo jactata mari. quæcunque levatæ
Arboribus cæsis flatum effudêre prementem:
Abstulit has ventis liber contraria volvens
Æstus, & obnixum victor detrusit in Austrum.
335 *Has vada destituunt, atque interrupta profundo*

Ter-

320. *Claßis onus.*] Milites navi vectos.

321. *In sua regna furens.*] In regiones Meridionales. *Tentatum claßibus, &c.*] Auster impetu arcuit mare tentatum classibus, repulitque undas longe à Syrtibus: idem Auster objecit ponto cumulos arenæ ingestos interruptis undis.

323. *Illato confregit littore pontum.*] Emenda ex Ms. P. *In lato confregit littore pontum.* Id est, non in vadis. *Grotius.*

324. *Tum quarum, &c.*] Vela tensa impellens Auster, non passus ea à nautis dimitti, fractis funibus rapuit.

326. *Vela negare Noto, spatium, &c. ultra proram, &c.*] Cumque rudentibus nautæ frustra tentarent submittere vela, sinus velorum propellebantur ultra proram.

327. *Omnia si quis, &c.*] Quod si quis vela collecta antennæ substrinxisset, vinciretur tamen vi Austri, & avertitur à cursu quem intenderat, spoliata velo antenna.

329. *Avertitur.*] Hoc est, ab incepto navigationis cursu disjicitur. *Nudis armamentis.*] Armamenta propriè sunt armorum collectiones. Hinc in navibus *armamenta* dicuntur navalia instrumenta; ut vela & funes nautici. *Hortens.*

330. *Sors melior claßi, &c.*] Minus vexabantur illæ naves quæ altum tenuerunt mare, evitatis his incertis inter Syrtes undis.

331. *Quæcunque levatæ, &c.*] Quæ leviores factæ succisis malis ventum effudere.

333. *Abstulit has ventis liber.*] Mss. *Abstulit has liber, ventis contraria volvens.* Melius. *Grot. Abstulit has, &c.*] Æstus obvius sui juris, ut contra quem non obnitebantur vela, has eripuit ventis.

334. *Obnixum.*] Contra quem obnitebantur. *Victor detrusit in Austrum.*] Æstus potentior vento.

335. *Has.*] Alias. *Interrupta profundo.*] Nam terram interruptam mari, arenas

Terra ferit puppes: dubioque obnoxia fato
Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.
Tunc magis impactum brevibus mare, terraque sævit
Obvia consurgens: quamvis elisus ab Austro,
340 *Sæpe tamen cumulos fluctus non vincit arenæ.*
Eminet in tergo pelagi procul omnibus arvis,
Inviolatus aqua, sicci jam pulveris agger,
Stant miseri nautæ, terraque hærente carina
Littora nulla vident. sic partem intercipit æquor:
345 *Pars ratium major regimen, clavumque secuta est,*
Tuta fuga, nautasque loci sortita peritos,
Torpentem Tritonos adit illæsa paludem.
Hanc, ut fama, Deus, quem toto littore pontus
Audit ventosa perflantem murmura concha,
350 *Hanc & Pallas amat: patrio quæ vertice nata*
Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo est,

Ut

arenas appellat, quæ vento collectæ, mare vadosum reddunt. *Hortens.*

336. *Terra ferit puppes.*] Arena. *Dubioque, &c.*] Arenane an aquis sit peritura.

337. *Pars sedet una ratis.*] Prora hæret in vado, puppis fluctuat in undis.

338. *Brevibus mare, &c.*] *The flats, the sholes. In brevia & Syrtes urget, miserabile visu, Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.*

341. *Tergo pelagi, &c.*] *Dorso maris.* Virg. Æneid. 1.

342. *Pulveris agger.*] Multum arenæ, in modum montis congestæ. *Hortensius.*

344. *Sic partem intercipit æquor.*] Sic navium aliæ à Syrtibus retinebantur, aliæ gubernatorum peritia è Syrtibus in altum provectæ appellebant, ostium fluvii Tritonis juxta Tritonida paludem in Africa Propria. Mela lib. 1. c. 7.

347. *Torpentem paludem.*] Ob naturam palustrem. *Hortens.*

348. *Deus.*] Triton, Neptuni tubicen.

349. *Perflantem, &c.*] *Cæruda concha exterrentem freta.* Æneid. 10. Virgil. *conchaque sonanti Inspir. &c.* Ovidius 1. Metam.

350. *Hanc & Pallas amat.*] Ut quæ ibi primum apparuisse dicitur in terra proximiore cœlo. hinc *Pallantias* dicta Callimacho & Plin. & Solin. cap. 40. palus, quam Triton amnis inflexit. ubi speculatam se artium deam crediderunt. *Patrio quæ vertice nata.*] E cerebro Jovis nata, Ovid. Fast. 3. summa quippe aëris regio tribuitur Minervæ, ut media Jovi & infima Junoni.

351. *Terrarum primam Libyen, &c.*] Ægyptum, inquit Marcellinus lib. 22. omnium antiquissimam, nisi quod super antiquitate certat cum Scythis. de quo certamine vide quæ Justinus lib. 2. & Claudian. in Eutropium. Herodotus tamen cum Phrygiis Ægyptios contendisse refert lib. 2.

Ut probat ipse calor) tetigit: stagnique quieta
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.
355 *Quam juxta Lethes tacitus prælabitur amnis*
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis:
Atque insopiti quondam tutela draconis,
Hesperidum pauper spoliatis frondibus hortus.
Invidus, annoso famam qui derogat ævo,
360 *Qui vates ad vera vocat. Fuit aurea silva,*
Divitiisque graves, & fulvo germine rami,
Virgineusque chorus nitidi custodia luci,
Et nunquam somno damnatus lumina serpens,
Robora complexus rutilo curvata metallo.
365 *Abstulit arboribus pretium, nemorique laborem*
Alcides: passusque inopes sine pondere ramos
Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.
His igitur depulsa locis, ejectaque classis
Syrtibus, haud ultrà Garamantidas attigit undas:

Sed

355. *Quam juxta Lethes, &c.*] Circa extimum Syrtium cornu, Berenicen civitatem alluit Lethon (ita appellat Solinus cap. 40.) amnis, inferna ut putant, exundatione prorumpens, & apud pristinos vates latice memoratus oblivionis. Quamvis longè à Tritonide palude distant Lethon ceu Lethe fluv. & Hesperidum horti.

357. *Insopiti quondam tutela draconis.*] Pervigilis draconis, sive ille pastor fuerit custodiens χρύσεα μῆλα, id est, pecora, nativo rutila colore, ut Athenæus vult lib. 3. cap. 7. ceu mala citrea Medica, aurea involverit sinuosus amnis, ut Plinius lib. 5. cap. 1.

358. *Hesperidum pauper, &c.*] Hesperi filiarum, Ægles, Arethusæ & Hesperethusæ. quarum hortum Solin. cap. 37. Virg. 3. Æneid. & Plin. lib. 5. cap. 5. in Mauritania Tingitana ponunt, atque idem Plin. lib. 5. c. 1. ad Syrtim Man. Sed Claudianus 1. laud. Stiliconis, ad Tritonem fluv.

359. *Invidus, &c.*] Maligni est antiquitati fidem derogare, & in poëtis fidem requirere.

361. *Divitiisque graves.*] Aureis pomis.

362. *Virgineusque chorus, &c.*] Hesperides, modo ad ✠ſ. 358.

364. *Robora, &c.*] Arbores auriferas.

365. *Abstulit arboribus pretium.*] *Alcida adortus nemoris opulenti domos Aurifera vigilis spolia serpentis tulit.* Sen. Herc. Fur. ✠ſ. 238.

367. *Argolico, &c.*] Eurystheo Argivorum regi, qui jussu Junonis fuit Herculi ἐπιτροπεύσας.

368. *His igitur, &c.*] Classis par Syrtibus provecta sub Pompejo non ultra litus Garamantum, appulit meliorem Africæ partem, ubi Varus. sed vide quæ ad ✠ſ. 120. supra.

370. *Sed*

370 *Sed duce Pompejo Libyes melioris in oris*
Mansit. at impatiens virtus hærere Catonis
Audet in ignotas agmen committere gentes,
Armorum fidens, & terra cingere Syrtim.
Hæc eadem suadebat hyems, quæ clauserat æquor.
375 *Et spes imber erat, nimios metuentibus ignes:*
Ut neque sole viam, nec duro frigore sævam,
Inde polo Libyes, hinc bruma temperet annus:
Atque ingressurus steriles, sic fatur, arenas.
O quibus una salus placuit mea castra secutis
380 *Indomita cervice mori, componite mentes*
Ad magnum virtutis opus, summosque labores.
Vadimus in campos steriles, exustaque mundi,
Quà nimius Titan, & raræ in fontibus undæ,
Siccaque letiferis squalent serpentibus arva,
385 *Durum iter. ad leges, patriæque ruentis amorem*
Per mediam Libyen veniant, atque invia tentent,
Si quibus in nullo positum est evadere voto,

Si

370. *Sed duce Pompejo.*] Filio magni Pompeji.

371. *At impatiens, &c.*] Supra versu 300.

373. *Terra cingere Syrtim.*] Terrestri itinere circuire.

374. *Hæc eadem suadebat hyems.*] Timebat quippe tempestates hyeme jam claudente maria sperabatque clementius iter bruma mitigante regionis calorem. Ita, inquit Plutarchus, per Africam hyberno tempore suos traduxit, haud multo pauciores decem millibus, spacio 30. dierum. Strab. ult. lib.

377. *Inde polo, &c.*] Inde ab æstu Austrino: hinc à frigore Boreali. *Hortensius.*

379. *O quibus una salus.*] Exhortatoria oratio, Catonis personæ conveniens, tetrica ac dura, ad tolerantiam laborum, quos subituri sunt per deserta Libyæ. Proponit pericula æstus & sitis; tum autem discrimina à serpentum morsibus. Sed his rursum opponit libertatem, quam vindicaturi sint, ni malint Cæsarem dominum. *Hortens. Una scelus.*] Sola: nam sine libertate nolumus esse salvi. *Sulpit.*

380. *Indomita.*] Libera, non subjugata Cæsari. *Sulpitius.*

382. *Vadimus in campos, &c.*] Quicunque forti estis animo & patriæ amantes; sequimini me libertatem petentes per deserta, sitim, æstum, discrimina serpentum, &c.

385. *Durum iter ad leges.*] Ad leges decusque patriæ tuendum, fortes invitat: molles, qui servire possunt, repellit à se ad Cæsarem. *Sulpit.*

387. *In nullo voto positum.*] Id est, qui nulla vota faciunt evadendi. *Sulpitius.*

Digitized by Google

Si quibus ire sat est. neque enim mihi fallere quenquam
Est animus, tectoque metu perducere vulgus.
390 *Hi mihi sint comites, quos ipsa pericula ducent,*
Qui me teste, pati, vel quæ tristißima, pulcrum,
Romanumque putant. at qui sponsore salutis
Miles eget, capiturque anima dulcedine, vadat
Ad dominum meliore via. dum primus arenas
395 *Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam,*
Me calor ætherius feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens; fatoque pericula vestra
Prætentate meo: sitiat, quicunque bibentem
Viderit: aut umbras nemorum quicunque petentem,
400 *Æstuet: aut equitem peditum præcedere turmas,*
Deficiat; si quo fuerit discrimine notum
Dux, an miles eam. serpens, sitis, ardor, arena,
Dulcia virtuti: Gaudet patientia duris.
Lætius est, quoties magno sibi constat, honestum.
405 *Sola potest Libye turbam præstare malorum,*

Ut

389. *Perducere.*] Deludere, vel detinere.

390. *Ipsa pericula ducent.*] Hoc est, qui causa experiendi pericula veniunt. *Sulpit.*

392. *Romanumque putant.*] Romano, id est, forti viro dignum. *At qui sponsore salutis.*] Qui vero adeo ignavi sunt, ut saluti suæ & vitæ plus consulant quam honesto & libertati; iis patet mollior & facilior ad turpem servitutem via.

394. *Dominum meliore via.*] Cæsarem libertatis oppressorem. *Primus arenas, &c.*] Septem continentibus diebus iter factum est, cum ipse agmen pedes duceret, neque unquam equo aut jumento uteretur. Cœnabat etiam sedens; nam post Pharsalicam cladem, priori id luctui addiderat, ut nunquam nisi dormiendi causa accumberet. Plutarch. in Catone Min. Strabo vero in ult. lib. refert eum 30. diebus Syrtim lustrasse.

396. *Me calor ætherius.*] Rigidum Catonem delineat disertè, dum se ducem ad omnium periculorum tolerantiam offert.

398. *Bibentem.*] Me.

404. *Lætius est.*] Omnis virtus quo circa difficiliora versatur eo laudabilior est & major. *Sulpit.*

405. *Sola potest Libye, &c.*] Timiditatis & turpis fugæ crimine absolvet nos iter hoc per Libyæ pericula omni hoste graviora sponte susceptum. *Libye turbam præstare, &c.*] Quasi dicat, Cum alias turpe sit viris fugere malorum metu, quale quiddam post pugnam Pharsalicam accidisse videri potest: Libya, quia tot malis abundat, ignominiam & turpitudinem hanc tollet. Neque enim malorum metu fugisse videbimur, quum ultrò malorum turbam petamus,

Digitized by Google

Ut deceat fugisse viros. Sic ille calentes
Incendit virtute animos, & amore laborum,
Irreducemque viam deserto limite carpit:
Et sacrum parvo nomen clausura sepulcro
410 *Invasit Libye securi fata Catonis.*
Tertia pars rerum Libye, si credere famæ
Cuncta velis: at si ventos cœlumque sequaris,
Pars erit Europæ. nec enim plus littora Nili,
Quàm Scythicus Tanais primis à Gadibus absunt:
415 *Unde Europa fugit Libyen, & littora flexu*
Oceano fecêre locum: sed major in unam
Orbis abit Asiam. nam cùm communiter istæ
Effundant Zephyrum, Boreæ latus illa sinistrum
Contingens, dextrumque Noti, discedit in ortus,

Eu-

tamus, eamque terram peragremus, unde periculorum plus metuendum sit, quam si hosti obviam iremus. Loquitur ut Stoïcus; docent enim Stoïci ἀπαθείας, voluntque à sapiente, omnem metum ac perturbationem abesse debere. *Micyllus.*

408. *Irreducemque, &c.*] Per quam non erit redeundum.

409. *Et sacrum parvo, &c.*] Et Cato securus fati, quod eum hic manebat, invasit Libyam sibi fatalem.

411. *Tertia pars rerum Libye.*] Si vulgarem admittas orbis divisionem, Africa est tertia orbis pars: ita & Salustius in bello Jug. *In divisione*, inquit, *orbis terræ plerique in parte tertia Africam posuere: pauci, tantummodo Asiam & Europam esse, sed Africam in Europa, &c.*

412. *At si ventos, &c.*] At si ventorum cœlique revoluti rationem sequaris; Africam complectitur Europa, quæ duæ conjunctæ, excepto quod interluat mare Mediterraneum, Occidentalem conficiunt orbis modietatem, uti Asia Orientalem.

413. *Nec enim plus litora Nili.*] Neque enim Nilus qui Africam, in divisione tripartita, ab Asia disterminat, remotior est à Gadibus inf. extremæ Hispaniæ; quam Tanais fluv. qui cum Euxino, in quem prolabitur, Europam ab Asia dividunt. *Nili.*] Nilus Asiam ab Africa; Tanais ab Europa disterminat. Et ab occasu Europam ab Africa ita dividit, ut per fretum Gaditanum ortum petenti, Europam lævam, Africam dextram habeat. *Fugere Libyam* videtur Europa, quod ab interluente medio mari interraneo sevulsa sit. *Hortens.*

415. *Unde Europa fugit Libyen.*] Ad quas Gades, Europa separatur ab Asia interjectu maris Mediterranei. *Et littora fluxu.*] Malim *flexa.* Grotius.

416. *Sed major in unam, &c.*] Et tamen Asia est major orbis terrarum pars, quam Europæ conjuncta Africa.

417. *Nam cum communiter istæ, &c.*] Cum Africa & Europa in Orientem effundant Zephyrum; illa à Noto, hæc à Boreali parte: Asia sola se extendens utrinque ad Austrum à dextra, ad Boream à sinistra. vendicat sibi totum Eurum.

420. *Li-*

420 *Eurum sola tenens. Libycæ quod fertile terræ est,*
Vergit in occasus: sed & hæc non fontibus ullis
Solvitur: Arctoos raris Aquilonibus imbres
Accipit, & nostris reficit sua rura serenis.
In nullas vitiatur opes; non ære, nec auro
425 *Excoquitur, nullo glebarum crimine, pura,*
Et penitus terra est. tantum Maurusia genti
Robora divitiæ, quarum non noverat usum:
Sed citri contenta comis vivebat, & umbra.
In nemus ignotum nostræ venêre secures:
430 *Extremoque epulas, mensasque petivimus orbe.*
At quæcunque vagam Syrtim complectitur ora
Sub nimio projecta die, vicina perusti
Ætheris, exurit messes, & pulvere Bacchum
Enecat, & nulla putris radice tenetur.
435 *Temperies vitalis abest: & nulla sub illa*
Cura Jovis terra est: Natura deside torpet

Orbis,

420. *Libycæ, &c.*] Libyes pars occiduæ fertilior est, sicca tamen. Plin. libro 5. cap. 22.

422. *Arctoos raris.*] A Septentrione immissos. *Aquilonibus imbres, &c.*] Boreas enim qui nobis serenus est, illis pluviam inducit: ut Auster contra nobis humidus & imbrifer, illis serenus.

424. *In nullas vitiatur opes, &c. penitus terra est.*] Pura enim & simplex terra, ubere tantum glebæ potens, non sterilescit admistione venarum metallorum. sic Pers. Sat. 2. *Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.* Juvenal. sat. 3. *nec ingenuum violarent marmora tophum.* & infra ✠s. 519.

425. *Glebarum crimine.*] Crimen terræ est aurum & argentum producere. *Sulpit.*

426. *Tantum Maurusia genti.*] Tantum Mauritaniæ divitiæ sunt citri arbores, quarum tamen usum non noverunt ultra quam umbris earum gaudebant: nostris vero in summo precio & honore sunt lectuli & mensæ è citra. *Accipe felices Atlantica munera sylvas: Aurea qui dederit dona, minora dabit.* Martial. epigr. 89. lib. 24. vide Plin. lib. 13. & 15. cap. 5.

430. *Extremoque orbe.*] E Mauritania. *Epulas.*] Esculenta & poculenta. *At quæcunque, &c.*] Orientalis vero Africæ pars quæ in Meridiem excurrit, Syrtes complexa, zonæ torridæ subjecta aut vicina, solis æstu exusta, in totum sterilis est.

431. *Vagam.*] Instabilem.

432. *Sub nimio projecta die.*] In meridiem extenta, qui nimis illic æstuat. *Sulpit.*

433. *Bacchum.*] Vites.

434. *Nulla putris radice tenetur.*] Soluta in pulverem, non habet arbores.

436. *Jovis terra est.*] Cœli & ætheris; pluviæ, ut lib. 8. ✠s. 447. vel simpliciter, Dei.

437. *Or-*

Orbis, & immotis annum non sentit arenis.
Hoc tam segne solum raras tamen exerit herbas,
Quas Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto
440 *Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis*
Syrtis alit. nam littoreis populator arenis
Imminet, & nulla portus tangente carina,
Novit opes. sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Nasamones habent. hâc ire Catonem
445 *Dura jubet virtus. illîc secura juventus*
Ventorum, nullasque timens tellure procellas,
Æquoreos est passa metus. nam littore sicco,
Quàm pelago, Syrtis violentiùs excipit Austrum,
Et terræ magis ille nocet, non montibus ortum
450 *Adversis frangit Libye, scopulisque repulsum*
Dissipat, & liquidas è turbine solvit in auras:
Nec ruit in sylvas, annosaque robora torquens
Lassatur: patet omne solum, liberque meatu
Æoliam rabiem totis exercet arenis:

At

437. *Orbis.*] Illa orbis terræ pars. *Immotis.*] Inaratis. *Annum non sentit arenis.*] Anni vices & vires. nec messes autumni, &c.

438. *Segne solum.*] Infæcundum.

439. *Nasamon gens dura legit, &c.*] Nasamones Africæ pop. in solo arenoso, vicini Syrtibus. quarum naufragiis victitant, quippe obsident litora & æstu destituta navigia notis sibi vadis occupant. Curt. 4. quos antea *Mesammones* Græci appellavere, quia medios inter arenas sitos. *Sulpit.*

440. *Nudus.*] Pauper. *Mundi damnis.*] Præda omnium qui incidunt in Syrtes. diripiunt enim naves & naufragos. *Sulpit.*

441. *Nam littoreis, &c.*] Et quamvis portus atque commercii expertes sint, fruuntur tamen mercibus & opibus ab omni orbis parte, rapientes scil. naves Syrtibus allisas.

444. *Habent.*] Habere videntur ob naufragia.

445. *Illic secura, &c.*] Atque hic Romani securi jam, uti credebant, ventorum; experti sunt graviores procellas in terra quam quæ in æquore timentur.

447. *Æquoreos metus.*] Pericula, quæ solent in mari timeri. *Sulpit. Nam littore sicco.*] In plana enim & exposita regione juxta Syrtes, violentius furit Auster quam in pelago; majores hic arenæ quam ibi aquarum fluctus concitans.

449. *Non montibus ortum, &c.*] Non habet illa pars Africæ montes, scopulos aut sylvas quæ venti impetum frangant & aërem resolvant: sed patet, exposita rapidis ventis.

450. *Libye.*] Ita rescribendum pro *Libyæ.* Grotius.

451. *E turbine.*] Ita maluimus quam *se.* Grotius.

454. *Æoliam rabiem, &c.*] Ventorum

455 *At non imbriferam cum torto pulvere nubem*
In flexum violentus agit: pars plurima terræ
Tollitur, & nunquam resoluto vertice pendet.
Regna videt pauper Nasamon errantia vento,
Discussasque domos: volitantque à culmine raptæ
460 *Detecto Garamante casæ. non altius ignis*
Rapta vehit: quantumque licet consurgere fumo,
Et violare diem, tantum tenet aëra pulvis.
Tum quoque Romanum solito violentior agmen
Aggreditur, nullusque potest consistere miles,
465 *Instabilis raptis etiam, quas calcat, arenis.*
Concuteret terras, orbemque à sede moveret,
Si solida Libye compage, & pondere duro
Clauderet exesis Austrum scopulosa cavernis:
Sed quia mobilibus facilis turbatur arenis,
470 *Nusquam luctando stabilis manet: imaque tellus*
Stat, quia summa fugit. galeas, & scuta virorum,
Pilaque contorsit violento spiritus actu,
Intentusque tulit magni per inania cœli.

Illud

rum ex Æoli antro ruentium rabiem.

455. *Non imbriferam.*] Γ'φ'ὖν. Nubem non imbriferam, hoc est, areniferam. *Grot. Non imbriferam.*] Sed areniferam.

457. *Et nunquam, &c.*] Neque unquam in aëre suspenditur, more nubis imbriferæ resoluta.

458. *Regna videt, &c.*] Describit Catonis laboriosum iter per deserta Libyæ, ad Ammonis templum apud Garamantas. Finitimi hi Psyllis sunt, à Garamante Apollinis filio nominati, qui illic de suo nomine oppidum Garamantum condidit. *Hortens. Regna videt, &c.*] Urbes & terram quam possidet, vel casas & tuguria. ut ecloga 1. Virg. *mea regna videns.* Cic. 1. de Oratore, *nisi in tuo regno essemus.*

461. *Rapta vehit.*] Quæcunque rapuit, favillam, flammam, fumum.

462. *Et violare diem.*] Obscurare lucem diei.

463. *Violentior.*] Ventus.

465. *Raptis etiam.*] A vento subtractis.

466. *Concuteret terras.*] Quod si Africa durati esset soli, quod ventis resisteret; aut cavernosa, quæ ventos clauderet: ventorum procul dubio rabie dimoveretur è loco. *Orbemque à sede moveret.*] Illam orbis partem, Libyam.

470. *Luctando stabilis manet.*] Resistendo ventorum flatibus.

471. *Stat.*] Non concutitur. *Fugit.*] Cedit Austro.

472. *Spiritus.*] Ventus. *Actu.*] Impulsu.

473. *Intentusque tulit magni.*] Continuus, non intermittens. *Per inania cœli.*] Per aëra.

474. *Illud*

Digitized by Google

Illud in externa forsan longeque remota
475 *Prodigium tellure fuit: delapsaque cœlo*
Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
A Superis demissa putant. sic illa profectò
Sacrifico cecidêre Numæ, quæ lecta juventus
Patritia cervice movet: spoliaverat Auster
480 *Aut Boreas populos ancilia nostra ferentes.*
Sic orbem torquente Noto Romana juventus
Procubuit, metuensque rapi, constrinxit amictus,
Inseruitque manus terræ: nec pondere solo,
Sed nixu jacuit, vix sic immobilis Austro,
485 *Qui super ingenteis cumulos involvit arenæ,*
Atque operit tellure viros. vix tollere miles
Membra valet, multo congestu pulveris hærens.
Alligat & stantes affusæ magnus arenæ
Agger, & immoti terra surgente tenentur.
490 *Saxa tulit penitus discussis proruta muris,*
Effuditque procul miranda sorte malorum:
Qui nullas vidêre domos, vidêre ruinas.

Jam-

474. *Illud in externa, &c.*] Videtur poëta non tam ad miracula, & præmonita Deorum referre has pluvias prodigiosas, quam ad rationem Physicam. atque in illorum inclinare sententiam, qui opinantur illa, quæ ita per pluviam decidunt, vi ventorum in sublime evecta è longinquis locis ferri atque inde decidere, quanquam hæc alii à calore Solis attrahi atque ex aprilitudine materiæ mutari credunt. Arist. 5. Phys. c. 2. & de gen. animal. lib. 4. cap. 4.

477. *Sic illa profecto.*] Ita fortasse ancile illud quod Numæ tempore è cœlo decidisse creditur, aliunde huc vento delatum est.

478. *Sacrifico cecidere Numæ.*] Sacrorum & religionis institutori. *Lecta juventus, &c.*] Salii, sacerdotes Martis, è Patritiis lecti. lib. 1. ✗ſ. 603.

481. *Orbem torquente, &c.*] Arenas, terram Libycam, ut supra ✗ſ. 466.

483. *Nec pondere solo.*] Vix prono in terram nixu saburrati tuebantur se Romani, quo minus ab Austro abriperentur.

484. *Nixu.*] Conatu, ne raperentur. *Sulpit.*

485. *Qui super ingenteis, &c.*] Allusum videtur ad historiam Psyllorum, qui Nasamonibus vicini, cum ab Austro valido & diutino aliquando vexarentur, contra illum tanquam hostem profecti, interierunt congestu arenæ universi oppressi. Herod. lib. 4. A. Gell. lib. 16. cap. 11.

489. *Agger, &c.*] Aggestis arenæ cumulis, & tenacissimo sabulo, quod præaltum & vestigio cedens ægre moliuntur pedes.

493. *Jam-*

Digitized by Google

Separat ardentem tepida Berenicida Lepti,
525 *Ignorat frondes: solus nemus extulit Ammon.*
Silvarum fons causa loco, qui putria terra
Alligat, & domitas unda connectit arenas.
Sic quoque nil obstat Phœbo, cum cardine summo
Stat librata dies: truncum vix protegit arbor:
530 *Tam brevis in medium radiis compellitur umbra.*
Deprensum est hunc esse locum, quà circulus alti
Solstitii medium signorum percutit orbem.
Non obliqua meant, nec Tauro Scorpius exit
Rectior, aut Aries donat sua tempora Libra,
535 *Aut Astræa jubet lentos descendere Pisces.*
Par Geminis Chiron, & idem quod Carcinos ardens
Humidus Ægoceros: nec plus Leo tollitur Urna.
At tibi, quacunque es Libyco gens igne diremta,

In

fuerit) arbores non habet. Plin. lib. 5. cap. 5. Strab. ult.

525. *Solus nemus extulit Ammon.*] Sola Ammonitis arbores producit. *Extulit Ammon.*] Malè libri, *abstulit*, aut *attulit*. Sola Ammonitis arbores erigit. *Gros.*

526. *Silvarum fons causa loco.*] Modo ad ✠ſ. 522.

528. *Sic quoque, &c.*] Et quamvis sylva sit, non tamen arcet solem. Alii leg. *Hic quoque. Cardine summo, &c.*] Medio cœlo perpendiculariter. vide quæ ad ✠ſ. 587. lib. 2.

529. *Truncum vix protegit arbor.*] Arboris frondes vix opacant truncum.

531. *Circulus alti, &c.*] Tropicus æstivus (qui Proclo est vertici proximus) tangitur à Zodiaco. vel colurus solstitialis. *Al.* Æquinoctialis.

533. *Non obliqua meant.*] Lucanus (inquit Jos. Scal. in prolegomenis ad Manilium) quum legisset apud rudiores priscæ Matheseos magistros sub recta sphæra Zodiacum ad verticem esse, & omnia signa propterea oriri recte: (quod utique falsum est, cum obliquatio quædam sit etiam sub Æquatore) sciret autem sub Tropico Cancrum culminare omnium signorum Borealissimum, hinc putavit totum quoque Zodiacum μετεωρεῖν, & consequenter omnia signa recte oriri, &c. Atque adeo quia medius signorum ordo culminat, ideo ipsa non obliqua meare, sed recta, &c. *Nec Tauro Scorpius exit, &c.*] Recte & æqualiter ascendunt descendunt que opposita sibi in Zodiaco signa, Taurus & Scorpius, Aries & Libra, Virgo & pisces, Gemini & Sagittarius, Cancer & Capric. Leo & Aquarius.

535. *Aut Astræa.*] Virginem indicat, signum æstivum, Piscibus hyemali signo oppositum. *Hortens.*

536. *Par Geminis Chiron.*] Sagittarius, Geminis objectus. *Hortens.* *Et idem quod Carcinos ardens.*] Quia nobis Septentrionem versus sitis Cancer æstivi solstitii signum est; ut Capricornus, hiemalis: *Neque tamen Ammonitis sub Æquatore est, sed citra Tropicum Cancri.*

538. *At tibi, quacunque es, &c. Tu seguis Cynosyra subit: tu ficca, &c.*] In vero,

Digitized by Google

In Noton umbra cadit, quæ nobis exit in Arcton.
540 *Te segnis Cynosura subit: tu sicca profundo*
Mergi plaustra putas, nullumque in vertice semper
Sidus habes immune maris, procul axis uterque est,
Et fuga signorum medio rapit omnia cœlo.
Stabant ante fores populi, quos miserat Eos,
545 *Cornigerique Jovis monitu nova fata petebant:*
Sed Latio cessere duci: comitesque Catonem
Orant, exploret Libycum memorata per orbem
Numina, de fama tam longi judicet ævi.
Maximus hortator scrutandi voce Deorum
550 *Eventus Labienus erat. sors obtulit, inquit,*
Et fortuna viæ, tam magni numinis ora,
Consiliumque Dei: tanto duce possumus uti
Per Syrtes, bellique datos cognoscere casus.
Nam cui crediderim Superos arcana daturos,
555 *Dicturosque magis, quàm sancto vera Catoni?*
Certè vita tibi semper directa supernas
Ad leges, sequerisque Deum. datur ecce loquendi

Cum

vero, qui à nobis dividuntur torrida zona, aut quorum zenith Sol Cancrum versus transierit; umbra projicitur in Austrum, ut nobis in Arcton. iis, Ursa minor, quæ, cum polo vicinior sit, tardius moveri videtur, sub Horizonte est: iis Ursa major, quæ nobis maris immunis est, hoc est, non occidit, subit Horizontem mari mergi visa.

542. *Axis uterque est.*] Polus uterque Arcticus atque Antarcticus.

543. *Et fuga signorum, &c.*] Medius inter utrunque polum circumvolvitur Zodiacus. *Fuga signorum.*] Revolutio signorum, quæ fugere observantibus videntur in occasum, omnia sidera secum trahit, ut adventante luce, jam minus minusque appareant: ita inter utrumque axem rapitur volviturque Zodiacus. *Hortens.*

544. *Stabant ante fores populi.*] Aderant ex Asia & Oriente populi ad limen templi Jovis Ammonis oracula consulturi: qui tamen Catoni cesserunt, si quid vellet.

545. *Nova fata.*] Oracula.

548. *Numina memorata.*] Jovis Ammonis responsum, cujus oraculum perinde ut Apollinis Delphici, per totum orbem celebre habebatur. *Hortens.*

549. *Maximus hortator, &c.*] Comites, & Labienus maxime Catonem orant, ut celebris hujus oraculi fidem experiatur, consulatque de hujus belli eventu.

550. *Labienus erat.*] Lib. 5. ℣. 346.

551. *Ora.*] Oracula.

554. *Arcana daturos.*] Declaraturos arcana.

556. *Supernas.*] Divinas.

Cum Jove libertas: inquire in fata nefandi
Cæsaris, & patriæ venturos excute mores:
560 *Jure suo populis uti, legumque licebit,*
An bellum civile perit. tua pectora sacra
Voce reple: duræ saltem virtutis amator
Quære quid est virtus, & posce exemplar honesti.
Ille Deo plenus, tacita quem mente gerebat,
565 *Effudit dignas adytis è pectore voces.*
Quid quæri Labiene jubes? an liber in armis
Occubuisse velim potiùs, quàm regna videre?
An sit vita nihil, sed longam differat ætas?
An noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat
570 *Opposita virtute minas? laudandaque velle*
Sit satis, & nunquam successu crescat honestum?
Scimus, & hoc nobis non altiùs inseret Ammon.
Hæremus cuncti Superis, temploque tacente
Nil facimus non sponte Dei: nec vocibus ullis

Nu-

558. *Inquire in fata, &c.*] Exquire, explora, quo in statu futura sit patria: liberane; an frustra à nobis ad libertatem propugnandam sumptis armis, tyrannide oppressa.

559. *Excute.*] Explora, an suis legibus & libertate victuri sint populi; an frustrà bellum civile fiat, & tyranni sint dominaturi.

563. *Exemplar honesti.*] Ut exitus hujus belli causam honestam & virtutem eorum qui pro patriæ libertate pugnaverint comprobet.

565. *Dignas adytis è pectore voces.*] *Erratis nisi illam vocem non M. Catonis, sed oraculi creditis. Quid enim est oraculum? Nempe voluntas divina hominis ore enunciata. Et quem tandem antistitem sanctiorem invenire sibi divinitas potuit, quam Catonem?* Senec. controvers. lib. 1. proæm.

566. *An liber in armis, &c.*] An hæc, quæ jamdudum constant, neque opus habent oraculo consulto? potiorne scilsit mors quam servitus? &c.

568. *Longam differat ætas.*] Ita reposuimus, cum alii, *longa an differat*, alii aliter haberent. *Longam differt ætas*, hoc est, producit, non tamen mutat. Hoc quærere ex Ammone nihil necesse est. Scitum est Stoïcum, ut & cætera. Seneca: *Non est vita major quæ longior*: & alia in hanc sententiam, Epist. LXXIII. *Grot.*

569. *Perdat, &c.*] Cum forti nocere non possit.

571. *Et nunquam, &c.*] Et honestum non recipit majus aut minus laudis, quod successu gaudeat aut careat.

572. *Et hoc nobis, &c.*] Neque hoc melius & plenius Jovis ipsius oraculum nobis ingeret, quam nos sciamus.

573. *Hæremus cuncti Superis.*] Inest nobis anima divinæ particula auræ; *est Deus in nobis; sibi quisque profecto Est Deus*; & vel tacente oraculo, Deum sequimur & fato paremus.

575. *Dixit-*

575 *Numen eget: dixitque semel nascentibus auctor*
Quicquid scire licet: sterileis nec legit arenas,
Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum:
Estne Dei sedes nisi terra, & pontus, & aër,
Et cœlum, & virtus? Superos quid quarimus ultra?
580 *Juppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.*
Sortilegis egeant dubii, semperque futuris
Casibus ancipites: me non oracula certum,
Sed mors certa facit: pavido, fortique cadendum est.
Hoc satis est dixisse Jovem. Sic ille profatur:
585 *Servataque fide templi discedit ab aris,*
Non exploratum populis Ammona relinquens.
Ipse manu sua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non jubet: & nulla vehitur cervice supinus,
590 *Carpentove sedens. somni parcissimus ipse est,*
Ultimus haustor aquæ. cùm tandem fonte reperto
Indiga cogatur latices potare juventus,
Stat, dum lixa bibat. Si veris magna paratur
Fama bonis, & si successu nuda remoto

In-

575. *Dixitque semel, &c.*] Et nobis omnibus nascentibus inseruit Deus scientiam recti, atque discrimen boni ac mali.

576. *Sterileis nec legit arenas.*] Neque secluſit veritatem in oraculis solis, aut elegit sibi arenosum hunc Libyæ locum, unde fata prænoscerent paucis.

578. *Estne Dei sedes.*] Ita rectè Mss. non *Estque.* Ullane alia Dei sedes est, quam Universum, & Mens Sapientis? *Grotius.*

579. *Superos quid quærimus, &c.*] Si quicquid videmus Deus est: si omnia quæ sub cælo sunt, opificis præsentiam & magnitudinem testantur, quorsum consuluerimus Ammonem. *Hortensius.*

584. *Hoc satis est, &c.*] Nascentibus semel dictasse, ✝ſ. 575. modo.

585. *Servataque fide, &c.*] Salva oraculi fide; non diminuta aut derogata Jovis ibi culti fide.

586. *Populis Ammona relinquens.*] Orientalibus, ut supra ✝ſ. 544. ipse non exploravit.

587. *Præcedit anheli.*] Supra versu 304.

588. *Tolerare labores.*] Mss. *Vapores.* Grotius.

589. *Nulla vehitur.*] Non lectica, non curru.

591. *Cum tandem fonte reperto.*] Quo loco repererit fontem, incertum. Captat Poëta occasionem ad divagandum in descriptionem serpentum, quorum Africa ferax est. *Hortens.*

595 *Inspicitur Virtus, quicquid laudamus in ullo*
Majorum, fortuna fuit. quis Marte secundo,
Quis tantum meruit populorum sanguine nomen?
Hunc ego per Syrtes, Libyæque extrema triumphum
Ducere maluerim, quàm ter Capitolia curru
600 *Scandere Pompeji, quàm frangere colla Jugurthæ.*
Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris
Roma tuis; per quem nunquam jurare pudebit,
Et quem, si steterit unquam cervice soluta,
Tunc olim facturæ Deum. Jam spissior ignis,
605 *Et plaga, quam nullam Superi mortalibus ultra*
A medio fecêre die, calcatur, & unda
Rarior: inventus mediis fons unus arenis
Largus aquæ: sed quem serpentum turba tenebat
Vix capiente loco. stabant in margine siccæ
610 *Aspides, in medius sitiebant Dipsades undis.*
Ductor, ut aspexit perituros fonte relicto,

Allo-

595. *Quicquid laudamus, &c.*] Majores fortuna superarunt Catonem, illos Cato vera virtute.

598. *Quis Marte secundo, &c.*] Quis victoria & hostium cæde tantam gloriam est assecutus, quantam Cato continentia & tolerantia?

598. *Hunc ego per Syrtes.*] Malim ego, inquit poëta, hanc Catonis per Syrtes fugam, quam Pompeji tres triumphos. lib. 7. ℣ 685. aut Marii de Jugurtha triumphum.

601. *Ecce parens, &c.*] Exclamatio in laudem Catonis egregia; cum propter eximias animi dotes; tum propter non solum laborem fortitudinemque innatam, sed patriæ amorem; ad quam asserendam, has difficultates subierit. Estque gravis aversio ad Romam. *Hortensius.*

602. *Per quem nunquam, &c.*] Tanquam numen. *Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Horat. 1. epist. lib. 2.

603. *Et quem, &c.*] Et quem, si unquam excusso domino dabitur tibi tui juris esse, in Deorum numerum referes.

604. *Spissior ignis.*] Calor & æstus violentior.

605. *Quam nullam, &c.*] Ultra quam, nullam posuere Dii habitabilem. *Ita creditum antiquitus.*

610. *Siccæ Aspides, &c.*] Adeo diversa species aspis & dipsas; ut hæc aquatilis sit, illa terrestris. Tres aspidum species fatit Galenus: χερσαίας, χελιδονίας & πτυάδας. Χερσαίας dictæ, quæ in mediterraneis degebant; quum chelidoniæ circà ripas fluminum colerent, & præcipuè Nili. *Aspides.*] Serpentum genus, quo icti torpore & somno extinguuntur. *Dipsades undis.*] Dipsas, serpens quemcunque morsu læserit, siti enecat. ἀπὸ τῆς δίψας. hinc Situla dicta.

611. *Perituros fonte relicto.*] Siti, nisi ex illo fonte biberent.

612. *Vana*

Alloquitur: Vana specie conterrite leti
Ne dubita miles tutos haurire liquores:
Noxia serpentum est admisto sanguine pestis:
615 *Morsu virus habent, & fatum dente minantur:*
Pocula morte carent. dixit; dubiumque venenum
Hausit: & in tota Libyæ fons unus arena
Ille fuit, de quo primus sibi posceret undam.
Cur Libycus tantis exundet pestibus aër
620 *Fertilis in mortes, aut quid secreta nocenti*
Miscuerit Natura solo, non cura, laborque
Noster scire valet: nisi quòd vulgata per orbem
Fabula pro vera decepit secula causa.
Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus
625 *Accipit Oceanum demisso sole calentem,*
Squalebant latè Phorcynidos arva Medusæ,
Non nemorum protecta coma, non mollia sulco,
Sed dominæ vultu conspectis aspera saxis.
Hoc primùm natura nocens in corpore sævas
630 *Eduxit pestes: illis è faucibus angues*
Stridula fuderunt vibratis sibila linguis,
Femineæ qui more comæ per terga soluti,
Ipsa flagellabant gaudentis colla Medusæ.

Sur-

612. *Vana specie, &c.*] Cum non sit timendum ab aquis, quas non inficiunt veneno, sed à morsu solo, quo virus suum nostro sanguini admiscent.

616. *Dubiumque venenum, &c.*] Aquam; quam reliqui tanquam venenatam horruerant.

619. *Cur Libycus, &c.*] Cur Libya serpentibus abundet, non ita in promptu causa est, nisi forte adhibenda sit fides fabulæ referenti, quod cum Perseus referens Medusæ caput *stridentibus alis, Ipse super Libycas victor penderet arenas, Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ: Quas humus excepias varios animavit in angues. Unde frequens illa est, infestaque terra colubris.* Ovid. Metam. 4. Sed Nicander Titanum sanguini id tribuit.

623. *Fabula, &c.*] Diod. Sic. lib. 3.

625. *Demisso sole cadentem.*] Occiduo, prono.

626. *Phorcynidos arva Medusæ.*] Filiæ Phorci ceu Phorcynos & Cetus. Hesiod. Theogon.

628. *Dominæ vultu, &c.*] Medusæ, quæ visa omnia vertebat in saxa.

629. *Hoc primum, &c.*] In Medusa, namque Minerva crines ejus in angues convertit, quod in suo templo fuerat à Neptuno stuprata.

630. *Pestes.*] Angues, colubros.

633. *Gaudentis colla.*] His anguibus, vel,

Surgunt adversa subrecta fronte colubræ,
635 *Vipereumque fluit depexo crine venenum.*
Hoc habet infelix, cunctis impunè, Medusa,
Quod spectare licet. nam victus, oraque monstri
Quis timuit? quem, qui recto se lumine vidit,
Passa Medusa mori est? rapuit dubitantia fata.
640 *Prævenitque metum: anima perière retenta*
Membra, nec emissa riguêre sub ossibus umbræ.
Eumenidum crines solos movêre furores:
Cerberus Orpheo lenivit sibila cantu:
Amphitryoniades vidit, cùm vinceret, Hydram:
645 *Hoc monstrum timuit genitor, numenque secundum*
Phorcus aquis, Cetosque parens, ipsæque sorores
Gorgones: hoc potuit cœlo pelagoque minari
Torporem insolitum, mundoque obducere terram.
E cœlo volucres subito cum pondere lapsæ:
650 *In scopulis hasêre feræ: vicina colentes*
Æthiopum tota riguerunt marmore gentes.

Nul-

vel, colla sua ab his flagellari gaudentis.

636. *Hoc habet infelix.*] Hanc solum Medusæ partem, crines scil. habet Medusa, quæ impune spectatur. Nam vultum ejus nemo impune aspexerit.

639. *Mori est?*] Sensu mortis affici. *Dubitantia fata.*] Dubitationem & moram mortis. ut lib. 3. ℣. 635.

641. *Sub ossibus umbræ.*] Animæ retentæ & manentes in saxis.

642. *Eumenidum crines, &c.*] Collatione hujus cum aliis monstris, amplificat. Furiæ anguicomæ conspectu tantum inducunt furorem, L. 7. ℣. 178.

643. *Cerberus Orpheo, &c.*] Orphei *carminibus stupens Demittit atras bellua ceniceps aures.* Horat. ode 13. lib. 2.

644. *Amphitryoniades vidit.*] Hercules impune vidit Hydram, quam contudit.

645. *Genitor.*] Suus. *Numenque secundum.*] Deus marinus. Neptuni F. & illi proximus. pater Gorgonum ex Cetonympha, ceu, ut alii volunt, monstro marino.

646. *Cetosque parens.*] Lege *Cetoque* cum Mss. Apollonius bibliothecæ l. 1. Φόρκυ ὃ τῷ κητοῦς Φορκυάδας γοργόνας: unde & hoc apparet, quod præcedit *genitor & numen secundum aquis*, de eodem Phorco dici. *Grot. Sorores Gorgones.*] Sthenio & Euriale sorores Medusæ, quæ Gorgonum sola mortalis erat.

647. *Hoc potuit.*] Hoc monstrum, id est, Medusa. *Cœlo pelagoque.*] Metonymia. *Minari.*] In saxa vertere, petrifacere, ut loquuntur Philosophorum filii.

648. *Torporem insolitum.*] Hoc est, in saxa vertere.

649. *Cum pondere.*] Quia saxeæ.

650. *Hæsêre feræ.*] Saxeæ scil. factæ.

651. *Riguerunt marmore gentes.*] Obduruerunt in saxum.

652. *Visu*

Nullum animal visus patiens, ipsique retrorsum
Effusi faciem vitabant Gorgonis angues.
Illa sub Hesperiis stantem Titana columnis
655 *In cautes Atlanta dedit: cœloque timente*
Olim Phlegræo stantes serpente gigantes,
Erexit montes, bellumque immane Deorum
Pallados è medio confecit pectore Gorgon.
Quò postquam partu Danaës, & divite nimbo
660 *Ortum Parrhasiæ vexerunt Persea pennæ*
Arcados auctoris citharæ, liquidæque palæstræ,
Et subitus præpes Cyllenida sustulit Harpen,
Harpen alterius monstri jam cæde rubentem,
A Jove dilecta suso custode juvencæ:

Auxi-

652. *Visus patiens.*] Potest impune videre.

653. *Angues.*] Anguineæ comæ.

654. *Illa sub Hesperiis, &c.*] Illius caput gestans Perseus, Atlanta regem Mauritaniæ ad Occidentem prope Herculis columnas Calpen & Abylam de gente Titanum, fuit enim Japeti filius, in saxum vertit. Ovid. Metam. 4.

655. *Cœloque timente, &c.*] Quo tempore, in Phlegræis campis, l. 7. ὑ. 145. Gigantum *quisque parabat Injicere anguipedum captivo brachia cœlo Centum*, quæ turba magnum terrorem intulerat Jovis, Medusæ caput à Pallade in pectore gestum Gigantes in saxa mutavit, atque ita auxit montes, quos illi alios aliis superstruxerant. *Timente Olim.*] Non est hic ponendum comma: cohærent enim cum sequentibus. Quo tempore cœlum gigantes timuit, auxit ipsa montes, mutatis in saxa gigantibus. *Grotius.*

656. *Phlegræo.*] Phlegræi campi duo fuerunt; alter in Græcia, à Phlegra valle Thessaliæ, in qua gigantes cum Cælestibus pugnarunt, à φλέγω, uro. ubi enim hoc bellum exarsit; Terra belli concitatrix fuit. Alter in Italia, haud procul à Cumis, ubi gigantes Herculem vicisse feruntur. *Horatius.*

659. *Quo postquam.*] Ad Gorgadas scil. insulas maris Atlantici, Gorgonum domos. *Partu Danaës.*] Perseo F. Danaës è Jove in aureum imbrem converso, per impluvium decidenti in sinum virginis atque illi fucum facienti. Ter. Eun.

660. *Parrhasiæ vexerunt Persea pennæ.*] Talaria Mercurii, qui Artas perhibetur. Parrhasium autem Arcadiæ opp. est.

661. *Arcados auctoris.*] Periphrasis Mercurii. *Arcados auctoris, &c.*] Sic Horat. lib. 1. ode 10. *curva citharæ parentem* canit. *Qui feros cultus hominum recentum Voce formavit catus & decora More palæstræ.* vel ut D. Heinsius legit, *humore palæstræ*, id est, oleo, ceromate, ut noster *liquidæ*, id est, unctæ.

662. *Subitus præpes.*] Perseus subito volucer. *Cyllenida sustulit Harpen.*] Falcatum Mercurii gladium. Ovid. 5. Metam. *Cyllenide confodit harpe.*

663. *Alterius monstri, &c.*] Argi centoculi, cujus custodiæ Juno Io in juvencam mutatam tradiderat. Ovid. Metam. 1.

664. *Dilecta juvencæ.*] Ius, mutatæ in

665 *Auxilium volucri Pallas tulit innuba fratri,*
Pacta caput monstri: terræque in fine Libyssæ
Persea Phœbeos converti jussit ad ortus,
Gorgonis averso sulcantem regna volatu:
Et clypeum lævæ fulvo dedit ære nitentem,
670 *In quo saxificam jussit spectare Medusam,*
Quam sopor æternam tracturus morte quietem
Obruit haud totam. vigilat pars magna comarum,
Defendunteque caput protenti crinibus hydri:
Pars jacet in medios vultus, oculique tenebras.
675 *Ipsa regit trepidum Pallas, dextraque tremente*
Perseos aversi Cyllenida dirigit Harpen,
Lata colubriferi rumpens confinia colli.
Quos habuit vultus lunati vulnere ferri
Cæsa caput Gorgon! quanto spirasse veneno
680 *Ora rear! quantumque oculos effundere mortis!*
Nec Pallas spectare potest: vultusque gelassent
Perseos adversi, si non Tritonia densos
Sparsisset crines, texissetque ora colubris.
Aliger in cœlum sic rapta Gorgone fugit.

Ille

in juvencam, quam Jupiter amabat. *Hortens.*

665. *Innuba.*] Virgo, casta. *Fratri.*] Perseo Jovis F.

666. *Pacta caput monstri.*] Clypeum æneum specularem concessit Perseo, & pugnæ rationem docuit, ea conditione ut Medusæ caput ad ipsam perferret. *Terraq; in fine Libyssæ.*] In ultima Africa. supra ℣ſ. 659.

668. *Averso sulcantem, &c.*] Aversa facie ne Medusam contueretur pervolantem Gorgadas inſ.

669. *Et clypeum lævæ, &c.*] Ovid. 4. Metam. Perseus refert. *Si tamen horrendæ, clypei, quam læva gerebat, Ære repercusso formam aspexisse Medusæ. Dumque gravis somnus colubros ipsamque tenebat, Eripuisse caput collo.*

671. *Æternam tracturus, &c.*] Lethalem illi somnum illaturus.

672. *Comarum.*] Colubrorum, quos pro crinibus habuit.

674. *Oculique tenebras.*] Somno solutum oculum.

676. *Dirigit Harpen.*] Pallas regit ensem falcatum, ne ictus aberret. *Hortensius.*

678. *Lunati vulnere ferri.*] Ita Ms. Harpes descriptio quæ falcata. *Grotius. Lunati vulnere.*] Harpes, falcati ensis.

681. *Gelassent, &c.*] Gelu obriguissent in saxum.

682. *Adversi.*] Alii, *aversi.* Emphatice.

683. *Ora colubris.*] Medusæ.

684. *Aliger in cœlum.*] Reddita per digressionem fabula Medusæ, inde & Per-

685 *Ille quidem pensabat iter, propiusque secabat*
Æthera, si medias Europæ scinderet urbes;
Pallas frugiferas jussit non ledere terras,
Et parci populis. Quis enim non præpete tanto
Æthera respiceret? Zephyro convertitur ales,
690 *Itque super Libyen, quæ, nullo consita cultu,*
Sideribus, Phœboque vacat: premit orbita solis,
Exuritque solum: nec terra celsior ulla
Nox cadit in cœlum, lunæque meatibus obstat,
Si flexus oblita vagi per recta cucurrit
695 *Signa, nec in Borean, aut in Noton effugit umbram.*
Illa tamen sterilis tellus, fecundaque nulli
Arva bono, virus stillantis tabe Medusæ
Concipiunt, dirosque fero de sanguine rores,
Quos calor adjuvit, putrique incoxit arenæ.

Hic,

Persei; aufert hunc in aërem; & dicit quam orbis partem petiverit; non Europam, sed Libyam; in quam cum guttæ sanguinis è capite Medusæ defluerent; factum cur ea orbis pars tot serpentum generibus scateat. *Hortensius. Aliger.*] Perseus alatus. *Gorgone fugit.*] Medusæ capite.

685. *Ille quidem pensabat iter.*] Perseus sibi videbatur mage compendiosum initurus iter, si Europam transvolaret. lib. 8. ✠ſ. 249. Sed vetuit Pallas.

686. *Scinderet urbes.*] Ita Ms. hoc est, transvolaret. *Grotius.*

687. *Ledere terras.*] Sanguineis guttis in serpentes conversis. supra ✠ſ. 619.

688. *Parci populis.*] Ne Medusæ caput à Perseo alite gestum suspicientes in saxa mutarentur. *Præpete tanto.*] Tanta ave. *Hortens.*

689. *Zephyro convertitur ales.*] Zephyri secundi flatu avertitur in Libyæ deserta, Soli Zodiacum peragranti subjecta, atque æstui expositæ.

691. *Sideribus, Phœboque vacat.*] Exposita est æstui Solis & siderum. *Sulpit. Orbita solis.*] Vestigium. iter sub Zodiaco ab utroque Tropico obliquans Æquatorem.

692. *Nec terra celsior ulla, &c.*] Atque Africa sub Æquatore altior est omni alia terra, inquit poëta, unde umbra terræ interpositæ Soli & Lunæ altius extenditur & pleniorem efficit Lunæ Eclipsin. Pulchra ac plausibilis plenæ Eclipseos phantasia: non tamen utique vera, cum non tumor orbis terrarum, qui ex omni parte æqualis est, sed trium corporum, Solis, terræ, Lunæ concentricitas Eclipsin reddat.

694. *Si flexus oblita, &c.*] Ubi Luna, quæ ad 5. gradus ab Ecliptica utrinque deflectit quandoque, jam non ita deviat, sed intra gradum unum & quinque minuta ab Ecliptica in latitudinem ad Austrum vel Boream, signis subjecta, & Soli, qui Ecliptica usque tenet, opposita. *Per recta cucurrit.*] Ad differentiam signorum obliquorum. Sunt autem signa recta: Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius.

698. *Rores.*] Guttas, supra ✠ſ. 619.

700. *Quæ*

700 Hîc, quæ prima caput movit de pulvere tabes,
Aspida somniferam tumida cervice levavit.
Plenior huic sanguis, & crassi gutta veneni
Decidit: in nulla plus est serpente coactum.
Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem
705 Sponte sua, Niloque tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycæ mortes, & fecimus aspida mercem.
At non stare suum miseris passura cruorem,
Squamiferos ingens Hæmorrhois explicat orbes:
710 Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arva
Chersydros, tractique via fumante Chelydri:
Et semper recto lapsurus limite Cenchris:
Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,

Quàm

700. *Quæ prima, &c.*] Quæ ex pulvere animato & sanguine Medusæ primum nata est.

701. *Somniferam.*] Quod ictis, somnum letiferum inducat. Et qui ab ea percussus sit, Ælianus negat, ultrà quatuor horas eum vivere posse. Huic infestus hostis est Ichneumon. *Hort. Somniferam.*] Plures, inquit Solinus capite 40. diversæque sunt aspidum species, verum dispares effectus ad nocendum. Dipsas siti interficit. Hypnale somno necat, teste etiam Cleopatra, emitur ad mortem. Υ'πνηλὸν δ' ἐπὶ νῶκρε ἄγει βιότοιο τελευτὴν. Nicand. Ther. *Tumida cervice levavit.*] Colla aspidum intumescere nullo ictus remedio, &c. Plin. lib. 8. cap. 23.

703. *Plus est.*] Veneni.

704. *Gelidum non transit, &c.*] Non transit in gelidas orbis partes, nisi capta & asportata venalis. *Emitur ad mortem aspis*, inquit Solin. cap. 40.

707. *Et fecimus aspida mercem.*] Quia ex Libya petita, in Europa pretio venditur.

708. *At non stare, &c.*] Hæmorrhois morsu sanguinem elicit, &c. Sol. ibid. Αἷμος ὃ καὶ ῥινῶν τε καὶ αὐχένος ἐκδὺ καὶ ὄσσων, &c. Nicand. Theriac.

709. *Hæmorrhois.*] Pestiferum serpentis genus, hujus morsu, corpus sanguine exhauritur: ex αἷμος & ῥέω, *fluo.* Est & morbi species, ut Medicorum filii testantur. *Orbes.*] Gyros & sinuosa volumina. *Hortens.*

710. *Natus & ambiguæ, &c.*] Terra & aqua degens, amphibium serpentis genus. unde & nomen ex χέρσος ὕδωρ, ἀλλ' ὅπερ ὕδωρ Σοίεις ἀξίνησι, &c. Nicand. Ther.

711. *Fumante.*] Graveolente, à tractu serpentis. *Chelydri.*] Δρυίνας Nicandro, cujus interpretem vide. ἔστι δ' ὄφις, ὃς τε δεινὰν λίμνῃ ἀλφεστήσι, &c.

712. *Et semper recto, &c.*] Non in spiras sinuosus; Ἐθείαν δ' ἄκριτος ἐπιδρομάδην εἶδον ἕρπει. Nicand.

713. *Pluribus ille notis, &c.*] Serpens, milii instar maculis distinctus, magis variegatus, inquit poëta, quam marmor in Bœotia effossum, quod

Ophi-

Quàm parvis tinctus maculis Thebanus Ophites:
715 *Concolor exustis, atque indiscretus arenis*
Ammodytes: spinaque vagi torquente Cerastæ:
Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis
Exuvias positura suas: & torrida Dipsas:
Et gravis in geminum surgens caput Amphisbæna:
720 *Et Natrix violator aquæ, Jaculique volucres,*
Et contentus iter cauda sulcare Pareas:
Oraque distendens avidus spumantia Prester:
Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Seps.
Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes,
725 *Ante venena nocens, latè sibi submovet omne*
Vulgus, & in vacua regnat Basiliscus arena.

Vos

Ophites dicitur quia maculis instar serpentum distinguitur.

716. *Atque Ammodytes, &c.*] Serpentis genus, arenæ concolor. ex ἄμμος & ὄδους, vel ὀδμή. *Torquente.*] Flexuosa & vacillanti instar navicularæ. sic enim Nicander: Αὐτὰρ ὅγε σκαιὸς μετάτω ἐπελινδὲ ὁλκῷ, &c. *Cerastæ.*] Ἀπὸ τῶν κέρατος. Cerastæ enim præferunt quadrigemina cornicula (Nicandro bina tantum) quorum ostentatione, veluti esca illice, solicitatas ad se aves perimunt. Sol. cap.40. Plin. l.8. cap. 23.

717. *Scytale sparsis.*] Scytale tanta præfulget tergi varietate, ut &c. In hoc tamen squammarum nitore hyemales exuvias prima ponit. Solin. c.40. & Nicander in Ther. *Etiam nunc sola.*] Aliæ enim serpentes vere tandem exuunt se.

718. *Torrida Dipsas.*] Sitim morsu inducens. sup. ✠ f.610. & mox ✠ f.638. Luc. dialog. Περὶ διψάδων.

719. *Gravis in geminum, &c.*] Amphisbœna consurgit in caput geminum, quorum alterum in loco suo est, alterum in ea parte qua cauda, &c. Solin. c.40. Plin. lib.8. c.23. & Nicander. ἀμφιπερίοδος, ex ἀμφὶ & βαίνω, quod utraque ex parte ingrediatur, nomen habet Amphisbœna.

720. *Natrix violator aquæ.*] Ὕδρος, serpens aquaticus. *Jaculique volucres.*] Nicandro ἀκροβόλοις ἠδὲ μόλεσσι. Jaculi serpentes subeunt arbores, è quibus se vibrant & quasi missili evolant tormento. Solin. & Plin. locis citatis & infra ✠ f. 822.

721. *Contentus iter, &c.*] Pareas, serpens pedibus duobus, quos prope caudam habet, innitens. Suidas. *Pareas.*] Variant valde in hoc nomine Mss. Sed vera hæc est lectio. Παρειάς Aristophani, Hyperidæ & aliis. *Grot.*

722. *Oraque distendens, &c.*] Infra, ✠ f. 791. *Prester.*] Ἀπὸ τῶν πρήθω.

723. *Ossaque dissolvens, &c.*] Infra, ✠ f. 776. & allusum ad etymon, σῆψις τὸ σήπειν.

724. *Sibilaque effundens, &c.*] Sibilo omnes (inquit Plin. lib.8. cap. 21.) fugat serpentes, &c. alios olfactu necat. Idem cap. 4. lib. 29. & Solinus cap.40. & Nicander in Theriacis, Οὐκ ἄρα δὴ κείνοις ἀπειρεσχέος κνώδαλα γαίης Ἰῦγλοῦ μείμνοντ', &c. Sibilo, halitu, & aspectu necat.

726. *Basiliscus arena.*] Ἐρπετῶν βασιλίσκος.

Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore Dracones,
Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum
730 *Aëra cùm pennis, armentaque tota secuti*
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros.
Nec tutus spatio est Elephas: datis omnia leto:
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.
Has inter pestes duro Cato milite siccum
735 *Emetitur iter: tot tristia fata suorum,*
Insolitasque videns parvo cum vulnere mortes.
Signiferum juvenem Tyrrheni sanguinis Aulum
Torta caput retrò Dipsas calcata momordit.
Vix dolor, aut sensus dentis fuit: ipsaque leti
740 *Frons caret invidia: nec quicquam plaga minatur.*
Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe.

Ebi-

ἀπλοῦς. Nicand. candida in capite macula quasi quodam diademate insignitus. Plin. lib. 8. cap. 21. Solin. cap. 43. & Avicenna.

727. *Vos quoque, &c.*] Serpentes alati, sacri habiti, ut quorum formam Dii assumpsisse credantur, alibi innoxii, in Africa pestiferi. Plin. cap. 4. lib. 29. *Innoxia numina, &c.*] Ἀγαθοὶ δαίμονες, quos Latini *genios* vocant. Solinus enim tradit, ora draconibus adeo parva, ut mordere non possint. præterea innoxius eorum morsus, quod veneno careant. ideo veteribus in delitiis & oblectamentis, eosque *agathodæmones* vocabant. *Salmas.*

730. *Armentaque, &c.*] Volatu insequimini armenta. Strab. lib. ult. Nican. Ther.

731. *Verbere tauros.*] Spiris & cauda.

732. *Nec tutus spatio est Elephas.*] Spatium elephantis dixit de magnitudine ac mole illius belluæ. ut Juvenal. *Spatium admirabile rhombi.* Salmas. *Elephas.*] Elephantis quia frigidissimus inest sanguis, à Draconibus expetitur. de modo insidiarum & certaminis vide Solinum cap. 38. & 43. Plinius lib. 8. cap. 11. & 12. Philostrat. lib. 3. vit. Apollonii.

733. *Nec vobis opus, &c.*] Draco non habet venena. Plin. cap. 4. lib. 29. vim habet majorem in cauda quam in dentibus.

734. *Has inter pestes.*] In ea expeditione septem diebus continuabat iter Cato, ut scribit Plutarchus. Præibat omnes pedes, neque equo, neque ullo jumento usus fuit: Sedendo cænam capiebat, &c. *Hortens.*

737. *Signiferum juvenem, &c.*] Poëta dilatat vires horum serpentum, in militibus Catonis ictis.

740. *Frons caret invidia.*] Vulneris species, vel os, &, ut vocant, orificium erat pusillum & contemnendum. ut modo v. 736.

743. *Ebi-*

Ebibit humorem circum vitalia fusum
Pestis, & in sicco linguam torrere palato

745 *Cœpit. defessos iret qui sudor in artus*
Non fuit, atque oculos lacrymarum vena refugit.
Non decus imperii, non mœsti jura Catonis
Ardentem tenuêre virum, quin spargere signa
Auderet, totisque furens exquireret agris,
750 *Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum.*
Ille vel in Tanain missus, Rhodanumque, Padumque
Arderet, Nilumque bibens per rura vagantem.
Accessit morti Libye, fatique minorem
Famam Dipsas habet terris adjuta perustis.
755 *Scrutatur venas penitus squalentis arenæ:*
Nunc redit ad Syrtes, & fluctus accipit ore:
Æquoreusque placet, sed non & sufficit, humor.
Nec sentit fatique genus, mortemque veneni:
Sed putat esse sitim: ferroque aperire tumentes
760 *Sustinuit venas, atque os implere cruore.*
Jussit signa rapi properè Cato: discere nulli
Permissum est hoc posse sitim. sed tristior illa

Mors

743. *Ebibit humorem, &c.*] Vitalem absumit humorem & sitim lethalem inducit. Δήγμαῦ δ' ἐμφλέγει κεφαλὴν, &c.

746. *Non fuit.*] Inaruerat.

747. *Non decus imperii, &c.*] Non Aquila quam gerebat, non autoritas Catonis continuit in officio Aulum siti flagrantem.

748. *Quin spargere signa.*] Mss. *ne spargere signa Auderet.* Grotius. *Spargere.*] Projicere.

751. *Ille vel in Tanaim.*] Amplificatio morbi.

753. *Accessit morti Libye, &c.*] Sitis pestem auxit, æstus regionis torridæ, qui Dipsadis vires adjuvit.

755. *Scrutatur.*] Aulus.

756. *Fluctus, &c.*] Salsos, marinos.

759. *Tumentes, &c.*] Sanguine fervido, vel ingurgitatione aquæ marinæ. Dipsadis morsus comites (inquit Dioscorides lib. 8.) sunt tumor quidam solutus, sitis contenta vehementer, nunquam explebilis, &c. Δαχθεὶς αἰμύπτυξιν δίψαι πότου οὐσίας τηδὸς ὁμφαλὸν ἐπήξεις, χλὶ δ' ὑπερφέχθεις φόρβον. Nicand.

760. *Os implere cruore.*] Sanguinem suum bibere.

761. *Signa rapi propere Cato.*] Quæ projecerat Aulus modo vſ. 748. *Discere nulli, &c.*] Sic ut nos emendavimus habent Mss. *Grot. Discere nulli.*] Noluit quemquam hoc scire, ne sitim nimium timerent. *Idem.*

762. *Illa.*] Siti & morte Auli.

763. *Mors*

Mors erat ante oculos: miserique in crure Sabelli
Seps stetit exiguus, quem fixo dente tenacem
765 *Avulsitque manu, piloque affixit arenis.*
Parva modo serpens; sed qua non ulla cruentæ
Tantum mortis habet. nam plagæ proxima circum
Fugit rupta cutis, pallentiaque ossa retexit.
Jamque sinu laxo nudum est sine corpore vulnus.
770 *Membra natant sanie: suræ fluxêre: sine ullo*
Tegmine poples erat: femorum quoque musculus omnis
Liquitur, & nigra distillant inguina tabe
Dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque
Viscera: nec, quantum toto de corpore debet,
775 *Effluit in terras: sævum sed membra venenum*
Decoquit: in minimum mors contrahit omnia virus.
Vincula nervorum, & laterum textura, cavumque
Pectus, & abstrusum fibris vitalibus, omne
Quidquid homo est, aperit pestis. natura profanâ
780 *Morte patet: manant humeri, fortesque lacerti:*
Colla, caputque fluunt. calido non ocyus Austro
Nix resoluta cadet, nec solem cera sequetur.

PARVA

763. *Mors erat, &c.*] Militis Sabelli.

764. *Seps stetit, &c.*] Hujus morsum multo tristiorem fuisse canit Poëta, quem dentibus inflixit Seps vulnificus, quem manu retractum pilo terræ affixit Sabellus miles, vide v. 723. *Hortens. Stetit.*] Inhæsit mordens. *Sulpit.*

766. *Parva modo serpens.*] Mole & magnitudine corporis non ita magna, sed, &c. *Sed qua non, &c.*] Ictus Sepium statim putredo sequitur. Solin. cap. 40. σὴψ δὲ καλεῖται, ὅθεν καὶ τὸ σήψειν τοὺς πληγέντας. Scholiastes Nicandri.

767. *Plagæ, &c.*] Vulneri vicina.

768. *Retexit.*] Nudavit.

769. *Sinu laxo nudum est.*] Orificio vulneris dilatato. *Sine corpore vulnus.*] Carne. *Inque omni nusquam corpore corpus erat.* Martial. epigr. 7. lib. Spect.

773. *Dissiluit.*] Dissoluta est cutis. *Sulpit. Stringens.*] Peritonæum.

774. *Nec quantum, &c.*] Nec quantum corruptum est excidit; sed uritur & consumitur antequam cadat. *Sulpitius.*

775. *Sævum sed membra, &c.*] Corpus veneno absumptum in minorem sui modum redigitur.

777. *Vincula nervorum, &c.*] Nervi, costæ cratesque pectoris.

779. *Natura.*] Inferior corporis pars.

780. *Manant.*] Diffluunt tabe.

781. *Nix resoluta cadet.*] Melius quam *cadit*: ut cohæreat cum *sequetur.* Grotius. *Nec solem cera sequetur.*] Neque cera liquescet celerius.

785. Hæc

Parva loquor; corpus sanie stillasse perustum:
Hoc & flamma potest. sed quis rogus abstulit ossa?
785 *Hæc quoque discedunt, putresque secuta medullas*
Nulla manere sinunt rapidi vestigia fati.
Cyniphias inter pestes tibi palma nocendi est:
Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.
Ecce subit facies leto diversa fluenti.
790 *Nasidium Marsi cultorem torridus agri*
Percussit Prester. illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem, pereunte figura,
Miscens cuncta tumor toto jam corpore major:
Humanumque egressa modum super omnia membra
795 *Efflatur sanies, latè tollente veneno,*
Ipse latet penitus congesto corpore mersus:
Nec lorica tenet distenti corporis auctum.
Spumeus accenso non sic exundat aheno
Undarum cumulus: nec tantos carbasa Coro
800 *Curvavêre sinus. tumidos jam non capit artus*
Informis globus, & confuso pondere truncus.
Intactum volucrum rostris, epulasque daturum
Haud impunè feris, non ausi tradere busto,
Nondum stante modo, crescens fugêre cadaver.

Sed

785. *Hæc quoque, &c.*] Sed hic ossa quoque absumuntur.

787. *Cyniphias, &c.*] Libycas serpentes, à Cinyphe Africæ Propriæ fluvio.

789. *Diversa fluenti.*] Contraria. illa enim absumpserat; hæc tumefacit.

791. *Illi rubor, &c.*] Prester quem percusserit, distenditur, enormique corpulentia necatur extuberans. Solinus cap. 40.

792. *Pereunte figura.*] Ut inflatum jam non cognoscas eundem esse, latet quippe mersus conglobato corpore. ut seq.

796. *Ipse latet.*] Ipse Nasidius. *Hort.*

797. *Tenet.*] Coërcet. *Auctum.*] Incrementum tumefacti corporis. *Sulpitius.*

798. *Spumeus accenso, &c.*] Non sic intumescit bulliens aqua; non velorum sinus vento turgidi.

801. *Truncus.*] Non enim apparebat caput.

802. *Intactum volucrum rostris.*] Neque enim sustinuerunt eum tangere, quo busto & sepulchro inferrent.

803. *Haud impune feris.*] Epulas scil. venenatas, & feris quoque & alitibus exitiosas futuras.

804. *Nondum stante modo.*] Etiam post mortem intumescens cadaver.

805 *Sed majora parant Libyca spectacula pestes.*
Impressit dentes Hæmorrhois aspera Tullo
Magnanimo juveni, miratorique Catonis.
Utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci: sic omnia membra
810 *Emisere simul rutilum pro sanguine virus.*
Sanguis erant lacrymæ: quæcunque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,
Et patulæ nares: sudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum est pro vulnere corpus.
815 *At tibi Leve miser fixus præcordia pressit*
Niliaca serpente cruor: nulloque dolore
Testatus morsus subita caligine mortem
Accipis, & Stygias somno descendis ad umbras.
Non tam veloci corrumpunt pocula leto,

Sti-

805. *Pestes.*] Serpentes.

806. *Impressit dentes Hæmorrhois.*] Hæmorrhois morsu sanguinem elicit, & dissolutis venarum commerciis, quicquid animæ est, evocat per cruorem. Solin. cap. 40. & Nicand. in Ther.

807. *Miratorique Catonis.*] Imitatoti, vel studioso.

808. *Utque solet, &c.*] Sic per totum ejus corpus cruor effluxit, ut solet in sparsionibus theatralibus, crocus vino aut aqua dilutus è syphonibus & tubis latentibus ejaculatus diffundi. vide Martial. epigr. 3. lib. Spect. & lib. 5. cap. 26. Apul. lib. 10. Milef. Senec. proem. lib. 10. controv. Lips. de Amphitheatro c. 16. *Signis.*] E statuis quoque emittebatur imber hic odoratus, κρόκου ὀ ῥευσόμβρου.

809. *Corycii pressura croci.*] Corycus mons Ciliciæ croco nobilis.

811. *Sanguis erant lacrymæ.*] Vide quæ ad ψ. 638. lib. 3.

813. *Omnia plenis.*] Supra ψ. 709.

815. *At tibi Leve miser.*] *Vele* habent Mss. Avertit narrationem ad alium militem, Levum nomine, quem serpente ictum canit. *Hortens.*

816. *Niliaca serpente cruor, &c.*] *Niliaca serpens*, id est, Ægyptia, propriè Aspis. hæc in sacris Isidis eum tumido collo, caput arduum attollens circumferebatur. Sic Lucanus: *Aspida somniferam tumida cervice levavit.* Græcè ὑπνάλη ἀσπὶς, aspis somniculosa, quod nullo sensu doloris, quasi somno solutos extinguat, quos pupugit. *Salmas.* vel *Niliaca* propter Cleopatram quæ aspide admota sibi necem conscivisse creditur. vel quod Ægypti reges solebant diademata figuris aspidum discriminata gestare. vel quod limo gaudeat. sic enim Nicander: μελανοῤῥῆγα τοῦ βώλῳ, Αἰθίοπον. οἰλωτὸ πολυκαμὸν εἰς ἅλα νεῖλον Πληθαίμβρον κελίχουσιν ἀσιν. *Nulloque dolore, &c.*] Καμόντα δ' ἄτερ ὀδυνῶν αἰνὸς. Ὑπνάλον, &c. ut supra, ad ψ. 701.

819. *Non tam veloci, &c.*] Non tam præsentem inferunt mortem venena quæ fatilegi Sabæi decerpunt ex arbore refe-

Digitized by Google

820 *Stipite quæ diro virgas mentita Sabinas*
Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi.
Ecce procul sævus sterilis se robore trunci
Torsit; & immisit (Jaculum vocat Africa) serpens:
Perque caput Pauli transactaque tempora fugit.
825 *Nil ibi virus agit: rapuit cum vulnere fatum.*
Deprensum est, quæ funda rotat, quàm lenta volaret,
Quàm segnis Scythicæ strideret arundinis aër.
Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri
Transactus? velox currit per tela venenum,
830 *Invaditque manum: quam protinus ille retecto*
Ense ferit, totoque simul demittit ab armo:
Exemplarque sui spectans miserabile leti
Stat tutus pereunte manu. quis fata putaret
Scorpion, aut vires maturæ mortis habere?
835 *Ille minax nodis, & recto verbere sævus,*
Teste tulit cœlo victi decus Orionis.
Quis calcare tuas metuat Solpuga latebras?

Et

referente betullam, è qua Romani magistratus, Sabinis autoribus, virgas gestabant. prius legebatur, *virgas mentita Sabæas*, id est, thureas virgas unde colligitur thus.

820. *Virgas Sabinas.*] Ante *Sabæas* ineptè: cum versu altero sequatur vox, *Sabæi.* Nec verum est turis arbori taxum similem, unde toxica; imò abieti potius aut piceæ. At virgæ Sabinæ essent eæ, quas Sabinis auctoribus Romani magistratus usurpavere. At has fermè ex betulla fuisse; ait Plin. *Grot.*

822. *Ecce procul sævus.*] Aliud exemplum Jaculi serpentis, qui sagittæ in modum per tempora Pauli militis se transmisit. *Hortens. Procul sævus, &c.*] Supra ✠. 720. & lib. 6. ✠. 677.

825. *Nil ibi virus agit.*] Neque enim tam veneno, quam ipso vulnere læsit.

826. *Deprensum est, &c.*] Deprensum est, glandem è funda, sagittam è Parthi arcu lentam & segnem esse, si Jaculo serpenti comparentur.

828. *Quid prodest miseri.*] Si etiam post mortem venenum ejus diffunditur. *Basiliscus.*] Quod de torpedine fertur.

830. *Quam.*] Manum tactam veneno basiliscì, ne totum corpus eo contumperetur, præputavit. *Hortens.*

833. *Quis fata putaret.*] Quis crederet Scorpium tantas habere vires accelerandæ mortis. *Hortens.*

835. *Recto.*] Ictu caudæ recto.

836. *Teste tulit cœlo, &c.*] Habet cœlum, in quo recepti sidus ejus fulget, clarum testem virium suarum in Orione interficiendo.

837. *Quis, tuas calcare timent Solpuga latebras.*] Ita meliores libri, nec rescribendum *solpuga.* Isidorus & ipse Hispanus: *solpuga serpens est quæ non videtur.* verum hujus animalculi nomen, *solipuga*, ὁλοκυλέλις, quod depravatum

Digitized by Google

Et tibi dant Stygiæ jus in sua fila sorores.
Sic nec clara dies, nec nox dabat atra quietem,
840 *Suspecta est miseris in qua tellure jacebant.*
Nam neque congestæ struxêre cubilia frondes,
Nec culmis crevêre tori: sed corpora fatis
Expositi volvuntur humo, calidoque vapore
Alliciunt gelidas nocturno frigore pestes:
845 *Innocuosque diu rictus torpente veneno*
Inter membra fovent: nec, quæ mensura viarum,
Quisve modus nôrunt, cœlo duce: sæpe querentes,
Reddite Dii, clamant, miseris, quæ fugimus, arma:
Reddite Thessaliam. patimur cur segnia fata
850 *In gladios jurata manus? pro Cæsare pugnant*
Dipsades, & peragunt civilia bella Cerastæ.
Ire libet quâ Zona rubens atque axis inustus

Solis

efferunt, qui *salpugas*, & qui *solifugas* scribunt. Nam *solipuga* minutulum illud animal dicitur, quod tam acriter pungat, ut totum videatur esse punctura. *Salmasius.* Plin. Exercit. pag. 100. *Quis calcare tuas, &c.*] Nec minus clara exitii documenta (inquit Plinius lib. 8. cap. 29.) sunt etiam ex contemnendis animalibus, &c. mox citra Cynomolgos Æthiopas late deserta regio est, è Scorpionibus & Solpugis gente sublata.

839. *Sic.*] Hoc periculo & malo. *Sulpit.*

840. *Suspecta.*] Scil. tellus. *Suspecta est miseris.*] Ms. T. rectius connectit cum superioribus:

Suspectâ miseris in qua tellure jacebant.

Ut sit trajectio Lucano frequens: *suspectâ miseris ipsâ terrâ, in qua cubabant.* Grotius.

842. *Nec culmis crevere tori.*] Neque enim in regione deserta suppetebant frondes aut culmi ad toros extruendos.

844. *Gelidas nocturno, &c.*] Serpentes innocuas propter frigus nocturnum.

845. *Innocuos rictus.*] Ora serpentium innoxia dum frigerent; sed ubi concaluerant, mordebant.

846. *Fovent.*] Dormientes inscii. *Sulpit.* *Quæ mensura viarum.*] Amplificatio malorum. Quum ita passim aliis super alia incommodis jactarentur, illud mali accedebat, ut nescirent itineris finem. *Hortens.*

847. *Cœlo duce.*] Stellis observatis, ut supra ✠ſ. 493.

849. *Segnia fata.*] Segnibus & ignavis congrua. mortem ignavam.

850. *In gladios jurata manus?*] Milites astricti belli sacramento & pugnæ devoti.

851. *Dipsades, &c.*] Supra ✠ſ. 738. & 715.

852. *Ire libet quâ Zona rubens.*] Quin eamus potius ad loca torridiora: ut cœli intemperiei mortem debeamus potius quam serpentibus. *Grotius.* Zona torrida, & Solis intra Tropicos mentui subjecta regio.

853. *Æthe-*

Solis equis: juvat ætheriis adscribere causis
Quòd peream, cœloque mori. nil Africa de te,
855 *Nec de te Natura queror: tot monstra ferentem,*
Gentibus ablatum dederas serpentibus orbem:
Impatiensque solum Cereris, cultore negato
Damnasti, atque homines voluisti deesse venenis.
In loca serpentum nos venimus: accipe pœnas,
860 *Tu quisquis Superûm commercia nostra perosus,*
Hinc torrente plaga, dubiis hinc Syrtibus orbem
Abrumpens, medio posuisti limite mortes.
Per secreta tui bellum civile recessus
Vadit; & arcani miles tibi conscius orbis
865 *Claustra petit mundi. forsan majora supersunt*
Ingressis. coeunt ignes stridentibus undis,
Et premitur natura poli. sed longius ista

Nulla

853. *Ætheriis causis.*] Id est, fato & astris, quæ nos huc egerunt. *Sulpit.*

854. *Nil Africa de te.*] Neque enim Africa in culpa quam serpentum nutricem Natura desolatam esse & incultam voluit: sed nos, qui huc advenimus, Diis iratis & numine sinistro.

856. *Ablatum orbem.*] Desertum, inhabitabilem: & quo privaveras gentes. *Sulpit.*

858. *Damnasti.*] Ut à serpentibus coleretur, quæ hominibus nocere non possent. *Sulpit.*

859. *Accipe pœnas.*] Nostræ temeritatis.

860. *Commercia nostra perosus.*] Iter hoc & transitum vetitum.

861. *Hinc torrente plaga, &c.*] In terra hac damnata serpentibus inter Zonam torridam & Syrtes positis.

862. *Abrumpens.*] Separans regionem serpentum, quam inter Syrtes & regionem torridam collocasti. *Sulpit.*

863. *Per secreta, &c.*] Et jure opt. nobis hoc evenit: qui civilis belli reliquias velimus transferre per regiones à te semotas & homini negatas, secreta tua scrutaturi.

865. *Claustra petit mundi.*] *Ferit* habent Mss. quod efficacius. *Grot. Claustra mundi*, ubi orbis terrarum clauditur Oceano Atlantico; ubi terrarum finis. *Hortens.*

866. *Coëunt ignes stridentibus undis.*] Ubi cœlo devexo & prono, sidera merguntur in occidentali Oceano, ex opinione Posidonii philosophi, quem poëtæ vulgo inservientes sequuntur, opinati occidentem Solem in æquore stridere more ferri candentis in aqua extincti. Juvenal. Sat. 14. *sed longe Calpe relicta Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.*

867. *Et premitur natura poli.*] Arcticus polus depressior hic est, quam apud nos est. Et quo longiores recessus Africæ petimus, hoc magis deprimitur, & æstus hic augetur. *Hortens. Sed longius ista, &c.*] Ultra hanc terram non est alia, excepta Mauritania, regno Jubæ, qua forte hæc serpentibus damnata terra clementior est.

Nulla jacet tellus, quàm fama cognita nobis
Tristia regna Jubæ: quæremus forsitan istas
870 *Serpentum terras: habet hoc solatia cœlum:*
Vivit adhuc aliquid. patriæ non arva requiro,
Europamque, alios soles, Asiamque videntem.
Qua te parte poli, qua te tellure reliqui
Africa? Cyrenis etiam nunc bruma rigebat.
875 *Exiguane via legem convertimus anni?*
Imus in adversos axes: evolvimur orbe:
Terga damus ferienda Noto. nunc forsitan ipsa est
Sub pedibus jam Roma meis. solatia fati
Hæc petimus: veniant hostes, Cæsarque sequatur
880 *Quà fugimus. sic dura suos patientia questus*
Exonerat: cogit tantos tolerare labores
Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
Excubat, atque omni Fortunam provocat hora.
Omnibus unus adest fatis: quocunque vocatur
885 *Advolat, atque ingens meritum, majusque salute*
Contulit, in letum vires: puduitque gementem
Illo teste mori. quod jus habuisset in ipsum

Ulla

869. *Quæremus.*] Quærere poterimus. *Sulpit.*

870. *Solatia cœlum.*] Quod non funditus interiimus omnes.

872. *Europamque, &c.*] Europamque Asiamque videntem alios meatus solis.

874. *Cyrenis.*] Cyrenæ sunt inter Ægyptum & Syrtes, conditæ à Batto Theræorum duce. Hanc urbem Apollonium postea dictam Stephanus credit; & eam à Cyrene Hypsei filia dictam credit: vel à Cyre, fonte regionis. *Hortens. Cyrenis, &c.*] Modo cum Cyrenis essemus, hiems erat. unde nobis tam subito æstus? tam brevi interstitio mutavimus legem anni?

876. *Adversos axes.*] Antarcticum polum *Orbe.*] Nostri orbis parte, horizonte nostro.

877. *Terga damus, &c.*] Qui nobis prius adversus erat & à pectore. *Forsitan ipsa.*] Forte apud Antipodas versor.

880. *Sic dura suos.*] Clausula querelæ militis; atque hinc transit in laudes Catonis ab humanitate, & benevolentia ergà milites suos. *Hortens. Patientia.*] Militis, id est, ipse miles patiens.

881. *Exonerat.*] *Expletur lacrymis, egeritque dolor.* Ovid.

883. *Fortunam provocat hora.*] Vide quæ ad vs. 21. lib. 10.

884. *Omnibus, &c.*] Omnium suorum militum.

886. *In letum vires.*] Confirmatis morientibus edoctisque mortem contemnere.

887. *Illo teste mori.*] Catone præsente.

888. Ca-

Digitized by Google

Ulla lues? casus alieno in pectore vincit,
Spectatorque docet magnos nil posse dolores.
890 *Vix miseris serum tanto lassata periclo*
Auxilium Fortuna dedit. gens unica terras
Incolit à sævo serpentum innoxia morsu
Marmaridæ Psylli: par lingua potentibus herbis:
Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
895 *Vel cantu cessante, potest. natura locorum*
Jussit ut immunes misti serpentibus essent.
Profuit in mediis sedem posuisse venenis.
Pax illis cum morte data est. fiducia tanta est
Sanguinis: in terram parvus cum decidit infans,
900 *Ne qua sit externæ Veneris mistura timentes,*
Letifica dubios explorant aspide partus.
Utque Jovis volucer, calido cùm protulit ovo
Implumes natos, solis convertit in ortus:

Qui

888. *Casus alieno, &c.*] Ipse in militum animis vincit malum, dum constantiam ipsis adspirat; & dum adstat edocens, fortem virum non dolere, neque affectibus jus esse in virtutem.

889. *Nil posse dolores.*] Ms. P. *labores.* Grotius.

891. *Gens unica terras, &c.*] Supra Garamantes Psylli fuerunt, contra noxium virus muniti incredibili corporis firmitate, soli morsibus anguium non interibant, &c. Solinus cap. 40. Herodot. lib. 4. Plin. lib. 8. cap. 25.

893. *Marmaridæ Psylli.*] Incolæ regionis Marmaricæ. A. Gell. l. 16. c. 11. *Par lingua potentibus herbis.*] Ad incantandos serpentes, vel exugendum venenum. Terrori sunt serpentibus (inquit Plin.) tactu ipso levant percussos, suctuve modico, lib. 28. cap. 3.

895. *Vel cantu cessante.*] Etiam citra incantationem.

896. *Immunes.*] Illæsi.

898. *Pax illis cum morte data est.*] Tu scribe: *Pax illa cum morte data est.* Hoc est, cum illo genere mortis, pax illis fato & dono Deûm concessa est; venena illis mortifera non sunt. *Gronov. Pax illis cum, &c.*] Naturali morte, non veneno extinguuntur.

899. *Sanguinis.*] Ut modo ✝ſ. 894. etiam in prole sua recens edita. *In terram parvus, &c.*] Recens editos serpentibus offerebant: si essent partus adulterini, matrum crimina plectebantur interitu parvulorum; si pudici, probos ortus à morte paterni sanguinis privilegium tuebatur. Sic originis fidem probabant venenis indicantibus. Solinus cap. 40.

902. *Jovis volucer, &c.*] Halizetus implumes etiamnum pullos suos percutiens subinde cogit adversos intueri Solis radios: quod si quem conniventem advertit, præcipitat è nido velut adulterinum atque degenerem; illum cujus acies firma contra steterit, educat. Plin. lib. 10. cap. 3. Quam rem elegantissime expressit Claudianus in Præfat. in tertium Consulatum Honorii Aug.

Qui potuêre pati radios, & lumine recto
905 *Sustinuere diem cœli, servantur in usum,*
Qui Phœbo cessêre, jacent: sic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues;
Si quis donatis lusit serpentibus infans.
Nec solùm gens illa suâ contenta salute,
910 *Excubat hospitibus, contraque nocentia monstra*
Psyllus adest populis. qui tunc Romana secutus
Signa, simul jussit statui tentoria ductor,
Primùm quas valli spatium comprendit arenas
Expurgat cantu, verbisque fugantibus angues.
915 *Ultima castrorum medicatus circuit ignis.*
Hîc ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant,
Et tamarix non læta comis, Eoaque costos,
Et panacea potens, & Thessala centaurea:
Peucedanumque sonat flaminis, Erycinaque thapsos,

Et

906. *Sic pignora gentis.*] Ad eundem modum Psyllus facit; si qui liberi non horrent serpentum contactum, educantur. *Hortens.*

910. *Hospitibus.*] In gratiam hospitum, quibus subveniat.

911. *Psyllus adest populis.*] Psyllos etiam secum duxit Cato in itinere per Syrtes; ibi morsos à serpentibus sanant, ore venenum exugentes, ipsasque bestias incantationibus demulcent. Plutarch. in Catone Minore.

912. *Simul jussit, &c.*] Simul ac castra metari jussit Cato.

915. *Medicatus circuit ignis.*] Odore & suffitu herbarum adversus noxia animalia efficacium, è quibus paucas enumerat. de quibus vide quæ Nicand. & Plin. lib. 25. cap. 4. 5. 6. 9. & 10.

916. *Ebulus.*] Græcè χαμαιακτὴ, quasi pumila sambucus. Belg. *Wilde vlier, schick.* *Stridet.*] In igne crepat. *Peregrinaque galbana.*] Exoticum gummi. Dat Galbanum Syria in monte Amano è ferula, quam ejusdem nominis resinæ modo stagonitin appellant, &c. syncerum si uratur, fugat nidore serpentes. Plin. lib. 12. cap. 25. *Sudant.*] Igne liquefactæ.

917. *Et tamarix.*] Tamarix, seu myrica. Belg. *Tamarisch boom. Non læta comis.*] Humilis scil. & tenuis. *Eoaque costos.*] Indica & Arabica.

918. *Potens.*] Respicit ad ἔτυμον, παρὰ τὸ πᾶν & ἀκέειν. *Thessala centaurea.*] Gr. κενταύρειον μέγα, falsò pro Rapontico habitum à multis. Belg. *Groote sanctorie. Thessala centaurea.*] A Chirone Thessalo inventa.

919. *Peucedanum.*] Stataria herba, seu fœniculus porcinus. Belg. *Verckens venckel. Erycinaq; thapsos.*] Sic Nicand. Θεραπεύειν μὲ ῥίζαν ἀλδὲ γαμαλίαν θάψῃ: ubi commentator, θεραπεύειν ὁ τὸν ῥίζαν τῷ θάψῳ λέγει. ἀφὸ τὸ τοῦ Σικελίας γένους. Quod in Sicilia nascatur. Eryx autem Siciliæ.

920. *La-*

Digitized by Google

920 *Et larices, fumoque gravem serpentibus urunt*
Abrotanum, & longè nascentis cornua cervi.
Sic nox tuta viris. at si quis peste diurna
Fata trahit, tunc sunt magicæ miracula gentis,
Psyllorumque ingens & rapti pugna veneni.
925 *Nam primùm tacta designat membra saliva,*
Quæ cohibet virus, retinetque in vulnere pestem.
Plurima tum volvit spumanti carmina lingua
Murmure continuo, nec dat suspiria cursus
Vulneris, aut minimum patiuntur fata tacere.
930 *Sæpe quidem pestis nigris inserta medullis*
Excantata fugit: sed si quod tardius audit
Virus, & elicitum, jussumque exire repugnat;
Tunc superincumbens pallentia vulnera lambit,
Ore venena trahens, & siccat dentibus artus,
935 *Extractamque tenens gelido de corpore mortem*
Expuit: & cujus morsus superaverit anguis,
Jam promtum Psyllis vel gustu nosse veneni.

Hoc

920. *Larices.*] Larix Græc. λάριξ. Al. *Lerchenbaum.* *Gravem, &c.*] Plin. lib. 21. cap. 21.

921. *Abrotanum.*] Abrotonum mas. Gr. Ἀβρότονον ἄῤῥεν. Belg. *Averone, averuuyt.* Abrotonum femina, Græcè Ἀβρότονον θῆλυ. Belg. *Cypers.* *Longè nascentis.*] Vivacis; *vel*, procul ab Africa nascentis Cervos inquit Plinius, Africa propemodum sola non gignit. Plin. l. 8. cap. 33. *Cornua cervi.*] Singulare abigendis serpentibus odor adusto cervino cornu. Plin. lib. 8. c. 32. Solin. 31. cap.

922. *Sic nox, &c.*] Ad hunc modum, per hos suffitus, & earum rerum suffumigationes & odores, milites ea nocte à serpentibus tuti fuerunt. *Hort.* *Peste diurna, &c.*] Percussus à serpente interdiu contraxit venenum lethale.

924. *Psyllorumque, &c.*] Excantando & exugendo luctantur Psylli adversus venenum. *Pugna veneni.*] Disertè. Luctantur & excantando & exsugendo Psylli cum veneno. *Hortens.*

925. *Saliva, &c.*] Ophiogenas saliva contra ictus serpentum mederi, tradit Plin. lib. 7. cap. 2. & plura de saliva, lib. 28. cap. 4.

928. *Nec dat suspiria, &c.*] Non ut ante, *dant*, & *haud*, ne dari negetur cursus: quum sensus sit, celeritatem vulneris suspiria non permittere. *Grotius.* *Nec dat suspiria, &c.*] Neque periculum vulneris properandam desiderantis medelam permittit incantatorem respirare aut carmen intermittere.

929. *Fata tacere.*] Mors accelerans.

932. *Elicitum.*] Carmine.

933. *Tunc superincumbens.*] Ad versum 893. supra.

934. *Dentibus.*] Levi morsu.

935. *Mortem.*] Venenum lethale.

936. *Et cujus morsus, &c.*] Quin & gustu veneni dignoscere valent, à quo sert-

Digitized by Google

Hoc igitur levior tandem Romana juventus
Auxilio, latè squalentibus errat in arvis.

940 *Bis positis Phœbe flammis, bis luce recepta*
Vidit arenivagum surgens fugiensque Catonem.
Jamque illis magis, atque magis durescere pulvis
Cœpit, & in terram Libye spissata redire.
Jamque procul nemorum raræ se tollere frondes:
945 *Surgere congesto non culta mapalia culmo.*
Quanta dedit miseris melioris gaudia terræ,
Cum primum sævos contrà videre leones!
Proxima Leptis erat, cujus statione quieta
Exegêre hyemem nimbis flammisque carentem.
950 *Cæsar ut Emathia satiatus clade recessit,*
Cætera curarum projecit pondera, soli
Intentus genero: cujus vestigia frustrà
Terris sparsa legens, fama duce tendit in undas,

Threi-

serpente quis fuerit ictus. *Superaverit.*] Id est, cujus anguis morsus vicerit ac dejecerit hunc militem. *Hortens.*

938. *Levior tandem.*] Minori cum periculo.

940. *Bis positis Phœbe flammis.*] Notatio duorum mensium. sed vide quæ ad ℣. 394. supra, quasi dicat, Duos menses erravit M. Cato per deserta & arenosa illa & periculorum plena loca.

942. *Jamque illis magis, atque, &c.*] Evaserant jam ex profundis arenis Libyæ, quum ad terram solidam, hoc est, glebosam & frugum arborumque fœcundam venirent. *Hortens.*

943. *Terram, &c.*] Solidam, glebosam & fœcundam.

944. *Raræ se tollere frondes.*] A signis mitioris ingenii soli; quum nemora & mapalia, xxx. diebus non visa in conspectu haberent. *Hortens.*

945. *Congesto, &c.*] Culmo & stipula tectæ casæ & tuguria.

947. *Cum primum, &c.*] Quod argumentum erat non longe abesse armenta.

948. *Leptis erat.*] Minor. Libyphœnicum Africæ urbs.

950. *Cæsar ut Emathia.*] Poëta ad Cæsaris res à pugna Pharsalica redit ad historiæ seriem. *Hortens. Cæsar ut Emathia, &c.*] Cæsarem duos dies in Pharsalo commoratum, ut sacris intenderet & exercitum recrearet, scribit Appianus. Plutarchus autem & ipse Cæsar contra. Victorem scil. omnibus rebus relictis persequendum sibi Pompejum existimavisse ne bellum renovare posset: paucos itaque dies in Asia moratum, cum audisset Pompejum Cypri visum, conjectasse eum in Ægyptum iter habere, cum legionibus duabus & equitibus 800. Alexandriam pervenisse. Poëta eum per Troadem circumducit, ut fabulandi ansam captet.

953. *Fama duce.*] Acceperat enim in Orientem eum fugam intendisse. *Hortens. Tendit in undas.*] Ad mare descendit.

954. *Threi-*

Threïciasque legit fauces, & amore notatum
955 *Æquor, & Eroas lacrymoso littore turres,*
Quà pelagò nomen Nepheleias abstulit Helle.
Non Asiam brevioris aquæ disterminat usquam
Fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arcto
Pontus, & ostriferam dirimat Chalcedona cursu,
960 *Euximumque ferens parvo ruat ore Propontis.*
Sigeasque petit famæ mirator arenas,
Et Simoëntis aquas, & Grajo nobile busto
Rhœtion, & multum debentes vatibus umbras.
Circuit exustæ nomen memorabile Trojæ,
965 *Magnaque Phœbei quærit vestigia muri.*
Jam silvæ steriles, & putres robore trunci
Assaraci pressêre domos, & templa deorum

Jam

954. *Threïciasque legit fauces.*] Bosphorum Thracium, Propontidem & angustias Hellesponti. *Amore notatum, &c.*] Leandri & Herus, quem ceciuit Musæus, dein Ovidius in epist. inter tranandum mersum: quod ubi comperisset Hero, se quoque turri præcipitasse. *Hortens.*

955. *Eroas, &c.*] Erus puellæ, in Sesto in Europa. *Lacrymoso.*] Quod cum Hero Leandrum inter tranandum mergi procul prospectaret, se quoque ipsa è turri præcipitasse. *Hortens.*

956. *Quapelago nomen, &c.*] Helle filia Nepheles & Athamantis, cum Phryxo fratre novercæ insidias fugiens, ariete quo vehebatur delapsa, Hellesponto nomen dedit. *Abstulit Helle.*] Euxino ponto nomen suum abstulit Helle puella in eo submersa; ut non Euxinus Pontus diceretur amplius, sed Hellespontus ab Helle.

957. *Non Asiam, &c.*] Hic enim fretum angustissimum, 7. nempe stadiorum, Europam ab Asia dividit Hellespontus. Byzantio, hoc est, *Constantinopoli* in Europa, opposita Chalcedone in Asia. Polyb. lib. 4.

960. *Euximumque ferens, &c.*] Qua Propontis exceptas per Thracium Bosphorum Euxini aquas emittit per Hellespontum in mare Ægeum, libro 3, *pl.* 278.

961. *Sigeasque..*] Litus Trojanum; à Sigæo promontorio, Achillis tumulo nobile. *Petit.*] Petit Cæsar Troadem, cujus promontorium est Sigæum. *Hort. Famæ mirator arenas.*] Cæsar, veterem hujus loci famam admiratus, simul originis suæ sedem visurus.

962. *Simoëntis aquas.*] Fluv. Troados.

963. *Rhœtion.*] Rhœteum promontorium, Ajacis Telamonii sepulchro nobile. *Mela* lib. 1. Strab. 13. *Multum debentes, &c.*] Manes & sepulchra Achillis & Ajacis, Homero aliisque poëtis decantata. A quibus res gestæ eorum celebratæ sunt, & ne interciderint asserta.

965. *Phœbei quærit vestigia muri.*] Quo Phœbus & Neptunus mercede cum Laomedonte pacti Trojam cinxerant.

967. *Assaraci.*] Regis Trojani filii Tros.

968. *Lassa*

Digitized by Google

Jam lassa radice tenent: ac tota sequuntur
Pergama dumetis: etiam periêre ruinæ.
970 *Aspicit Hesiones scopulos, silvasque latentes*
Anchisæ thalamos; quo judex sederit antro:
Unde puer raptus cœlo: quo vertice Nais
Luserit Oenone: nullum est sine nomine saxum.
Inscius in sicco serpentem pulvere rivum
975 *Transierat, qui Xanthus erat: securus in alto*
Gramine ponebat gressus; Phryx incola manes
Hectoreos calcare vetat. discussa jacebant
Saxa, nec ullius faciem servantia sacri;
Herceas, monstrator ait, non respicis aras?
980 *O sacer, & magnus vatum labor, omnia fato*
Eripis, & populis donas mortalibus ævum.
Invidia sacra Cæsar ne tangere fama:
Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,

Quan-

968. *Lassa radice tenent.*] Propter vetustatem ruitura.

970. *Hesiones scopulos.*] Scopulum, cui Hesione filia Laomedontis sorte exposita octo à Neptuno immisso alligata fuerat, quam tamen Hercules liberavit. *Silvasque latentes, &c.*] In quibus Anchisen Venus dignata est concubitu. *vel*, Anchisæ domum quæ *secreta arboribusque obtecta recessit.* Virg. Æneid. 2.

971. *Quo judex, &c.*] Paris, ubi de forma trium Dearum judicat.

972. *Puer raptus cœlo.*] Ganymedes filius Trois, ab aquila Jovis raptus. *Quo vertice Nais, &c.*] Quo monte, sc. Ida, Nympha Oenone se Paridi indulserit.

973. *Nullum est sine nomine saxum.*] Nullus in Troade mons, scopulus, aut promontorium caret suo monimento.

974. *Inscius.*] Cæsar.

975. *Qui Xanthus erat.*] Nobilem olim, nunc vix apparentem Xanthum Troados rivulum. *Securus in alto, &c.*] Nulla religione aut loci veneratione motus, nescius ibi latuisse sepulchrum Hectoris, donec ab incola Phryge admonitus agnosceret.

978. *Sacri.*] Templi aut aræ, ut respiciat ad seq. *Herceas aras.* alii leg. *Hectoreas.*

979. *Herceas, &c.*] Jovis Hercei, ἐρκεῖος: quod inter aulam & parietem in domus penetrali coleretur, ad hanc aram Priamus cæsus. Virg. 2. Æneid. Juven. sat. 10. ℣. 268. Ovid. in Ibin. *Cui nihil Herceis profuit ara Jovis.*

980. *O sacer, &c.*] Exclamatio poëtæ in laudem poëseos, quæ omnibus his monimentis, sepulchris, aris, templis diuturnior, virtutem reddit vivacem & dignos laude viros vetat mori. *Carmina quanto donant, fama perennis erit.* Propert. *Solaque non norunt hæc monimenta mori.* Martial. lib. 10. epist. 2.

982. *Invidia sacra, &c.*] Noli invidere huic meo operi, quo tua qualiacunque facta legentur, vitalitatem.

984. *Smyr-*

Digitized by Google

Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
985 *Venturi me, teque legent: Pharsalia nostra*
Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.
Ut ducis implevit visus veneranda vetustas,
Erexit subitas congestu cespitis aras,
Votaque turicremos non irrita fudit in ignes.
990 *Dii cinerum, Phrygias colitis quicunque ruinas,*
Æneæque mei, quos nunc Lavinia sedes
Servat & Alba lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo,
995 *Gentis Iuleæ vestris clarissimus aris*
Dat pia tura nepos, & vos in sede priori
Ritè vocat: date felices in cætera cursus:
Restituam populos. grata vice mœnia reddent
Ausonidæ Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.
1000 *Sic fatus, repetit classes, & tota secundis*
Vela dedit Coris, avidusque urgente procella
Iliacas pensare moras, Asiamque potentem
Prævehitur, pelagoque Rhodon spumante relinquit.

Septi-

984. *Smyrnæi durabunt, &c.*] Homeri, quem suum inter alias civitates sibi civem vendicat Smyrna. Ἑπτὰ πόλεις διείζουσι τὰ ῥίζαν Ὁμήρου, Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμὶς, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι. A. Gell. libro 3. cap. 11.

985. *Pharsalia nostra, &c.*] Opus hoc nostrum. vide quæ ad inscriptionem in fronte lib. 1.

986. *Damnabitur ævo.*] Abolebitur.

987. *Ut ducis, &c.*] Postquam Cæsar satis perlustrasset hæc Trojæ monumenta.

990. *Dii cinerum.*] Manes & umbræ, Dii & Lares.

991. *Mei.*] A quo originem ego duco. *Quos nunc, &c.*] Lib. 1. ℣. 196.

993. *Ignis adhuc Phrygius.*] Vestalis. lib. 1. ℣. 199. *Nullique, &c.*] Palladium, simulachrum Palladis Trojanæ in templo Vestæ asservatum tanquam pignus imperii, quod viris conspici nefas.

995. *Gentis Iuleæ, &c.*] Ego, Julius Cæsar, ab Iulo Æneæ F. originem ducens.

996. *Priori.*] Pristina, antiqua.

998. *Grata vice.*] Invicem excitaturi & condituri sunt Romani urbes in Phrygia; ut Julienses condiderunt in Italia. *Hortens.*

999. *Romanaque.*] A Romanis condita.

1002. *Iliacas pensare moras.*] Redimere moram quam Ilii fecerat.

1004. *Se-*

Septima nox Zephyro nunquam laxante rudentes
1005 *Ostendit Phariis Ægyptia littora flammis.*
Sed priùs orta dies nocturnam lampada texit,
Quàm tutas intraret aquas. ibi plena tumultu
Littora, & incerto turbatas murmure voces
Accipit: ac dubiis veritus se credere regnis
1010 *Abstinuit tellure rates. sed dira satelles*
Regis dona ferens, medium provectus in æquor,
Colla gerit Magni, Phario velamine tecta:
Ac priùs infanda commendat crimina voce.
Terrarum domitor, Romana maxime gentis;
1015 *Et, quod adhuc nescis, genero secure peremto;*
Rex tibi Pellæus terræ pelagique labores
Donat, &, Emathiis quod solum defuit armis,
Exhibet: absenti bellum civile peractum est.
Thessalicas Magnus quærens reparare ruinas,
1020 *Ense jacet nostro: tanto te pignore Cæsar*
Emimus: hoc tecum percussum est sanguine fœdus.
Accipe regna Phari nullo quæsita cruore:

Ac-

1004. *Septima nox.*] Appianus tribus diebus pelago profectum, eum Alexandriam pervenisse tradit. *Hortens.*

1005. *Phariis Ægyptia, &c.*] In Pharo ins. & turri quæ claudit portum Alexandriæ extruebantur faces prælucendis navibus nocturna suggerentes ministeria. Ammian. Marcel. lib. 22. Plin. lib. 36. cap. 12. Solin. cap. 45.

1006. *Nocturnam, &c.*] Phariam facem obscuravit.

1007. *Tutas intraret aquas.*] Portum Alexandriæ. *Ibi plena, &c.*] Ibi primum è navi egrediens (inquit Cæsar com. de bello civ. 3.) clamorem militum audit, quos rex in oppido præsidii causa reliquerat: & concursum ad se fieri videt, quod fasces anteferrentur, in hoc omnis multitudo majestatem regiam minui prædicabat, &c.

1010. *Satelles.*] Theodotus Chius rhetor, pædagogus regis, quem postea M. Brutus ubi in Asia deprehendisset, omni prius cruciatu laceratum occidit. Plut. in Pompejo & Bruto. sed Appian. eum à Cassio crucifixum refert.

1011. *Regis dona ferens, &c.*] A rege missum caput Pompeji & annulum (ut refert Plutarchus) cujus insigne erat Leo ensem gestans.

1015. *Quod adhuc nescis.*] Alexandriæ primum de Pompeji morte cognovit Cæsar. Plut.

1016. *Pellæus terræ pelagique.*] Ægyptius. Ptolemæi enim oriundi erant à Macedonibus lib. 5. ✠ſ. 60. & lib. 8. ✠ſ. 692. & lib. 10. ✠ſ. 86. *Labores.*] Laborum tuorum mercedem.

1018. *Absenti.*] Tibi.

1019. *Thessalicas Magnus.*] Narratio plausibilis, & rei accommodâ, ut grata victori futura. *Hortens.*

1022. *Phari.*] Alexandriæ vel Ægypti.

1023. *Ni-*

Digitized by Google

Accipe Niliaci jus gurgitis: accipe quicquid
Pro Magni cervice dares; dignumque clientem
1025 *Castris crede tuis, cui tantum fata licere*
In generum voluere tuum. nec vile putaris
Hoc meritum, facili nobis quod cæde peractum est.
Hospes avitus erat: depulso sceptra parenti
Reddiderat. quid plura feram? tu nomina tanto
1030 *Invenies operi, vel famam consule mundi.*
Si scelus est, plus te nobis debere fateris,
Quòd scelus hoc non ipse facis. sic fatus, opertum
Detexit, tenuitque caput. jam languida morte
Effigies habitum noti mutaverat oris.
1035 *Non primo Cæsar damnavit munera visu,*
Avertitque oculos: vultus, dum crederet, hæsit:
Utque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
Jam bonus esse socer; lacrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusque expressit pectore læto,

Non

1023. *Niliaci.*] Ægypti, quam Nilus inundat.

1024. *Dignumque clientem.*] Ptolemæum.

1026. *Nec vile putaris.*] Commendat officium ab utili, quum alioquin propter merita ejus in patrem suum, illi parcere debuisset. Sed tamen ut Cæsaris rebus studere videretur; contempto jure hospitalitatis, amicum paternum non veritus fuit interficere. *Hort.*

1028. *Hospes avitus erat.*] Jure hospitalitatis usus fuerat Pompejus cum Ptolem. Lathyro avo hujus Ptolem. Dionysii. *Depulso, &c.*] Auctoritate sua Ptolemæum Auleten in regnum restituit. supra ℣. 132.

1029. *Tu nomina tanto, &c.*] Si non invenias quo nomine hoc factum appelles, require famam quo nomine mundus insigniat; officii certe, imo beneficii.

1030. *Vel famam consule mundi.*] Quo nomine hoc regis nostri factum appellandum sit. *Hortens.*

1035. *Non primo damnavit.*] Non aversatus fuit, non rejecit, quo minus acciperet. *Hortens.*

1036. *Dum crederet, hæsit.*] Donec exacte cognosceret esse Pompeji caput, sustinuit videre.

1038. *Bonus esse socer.*] Præ se ferre pietatem & naturam boni soceri. *Lacrymas, &c.*] Sed contra quam noster hæc in Cæsaris invidiam narret, vide quæ Plutarchus in Cæs. Appian. 2. & Val. Max. lib. 5. cap. 1. referunt Cæsarem aversatum primum caput allatum; mox, ut aspexit, oblitum hostis, soceri vultum induisse, tum proprias tum filiæ lacrymas reddidisse, caput plurimis & preciosis odoribus cremandum curasse, &c. *Non sponte cadentes.*] De hoc fletu Cæsaris, vide Dionis verba cum his Lucani valdè consentientia. *Grotius.*

1040. *Non*

1040 *Non aliter manifesta putaas abscondere mentis*
Gaudia, quàm lacrymis. meritumque immane tyranni
Destruit, & generi mavult lugere revulsum,
Quàm debere caput. qui duro membra Senatus
Calcarat vultu, qui sicco lumine campos
1045 *Viderat Emathios, uni tibi Magne negare*
Non audet gemitus. ô sors durißima fati!
Hunccine tu Cæsar scelerato Marte petisti,
Qui tibi flendus erat? non misti fœdera tangunt
Te generis? nec nata jubet mœrere, neposque?
1050 *Credis apud populos Pompeji nomen amantes*
Hoc castris prodesse tuis? fortasse tyranni
Tangeris invidia, captique in viscera Magni
Hoc alii licuisse doles, quercrisque perisse
Vindictam belli, raptumque è jure superbi
1055 *Victoris generum. quisquis te flere coëgit*
Impetus, à vera longè pietate recessit.
Scilicet hoc animo terras, atque æquora lustras,
Necubi suppressus pereat gener. ô bene rapta

Arbi-

1040. *Non aliter manifesta.*] Immodicus est Poëta in Cæsaris falsis lachrymis perstringendis; Cæsaribus propter libertatem sublatam passim infestus. *Hortens.*

1041. *Meritumque, &c.*] Et lacrymis suis minuit, imo evertit gratiam meriti Ptolemæi. *Immane.*] Horrendum & detestabile Ptolemæi meritum de occiso Pompejo, vel hoc nomine evertit, quod lugeat cæsum. quare officium sibi non gratum esse ostendit. *Hortens.*

1042. *Et generi, &c.*] Et mavult lacrymas impendere capiti Pompeji quem oderat, quam obnoxius esse aut gratias debere regi pro hoc beneficio.

1043. *Quam debere.*] Quam obnoxius esse regi. *Hortens. Senatus, &c.*] Senatorum in campis Thes. cæsorum.

1044. *Sicco lumine.*] Siccis oculis, id est, non lacrymantibus.

1046. *O sors durißima.*] Exclamatio pathetica in Cæsarem & in miserabilem & fatalem sortem Pompeji. *Hort.*

1048. *Qui tibi flendus erat?*] Cujus cædes posset tibi elicere lacrymas. *Misti fœd.*] Affinitas.

1049. *Nata jubet, &c.*] Julia, & immaturus infans cujus abortum fecerat. lib. 1. ℣. 113.

1051. *Fortasse tyranni, &c.*] Fortasse invides Ptolemæo facinus istud; cujus maluisses te autorem.

1054. *E jure superbi.*] Ex potestate tua.

1057. *Scilicet.*] Ironice.

1058. *O bene rapta, &c.*] O quam bene tibi erepta est Pompeji vitæ necisque potestas: ne tum ipsi, tum Senatui dedecori foret vita à te donari.

1059. *Quam*

Arbitrio mors ista tuo! quam magna remisit
1060 *Crimina Romano tristis Fortuna pudori,*
Quòd te non passa est misereri, perfide, Magni
Viventis! nec non his fallere vocibus audes,
Acquirisque fidem simulati fronte doloris.
Aufer ab aspectu nostro funesta satelles
1065 *Regis dona tui: pejus de Cæsare vestrum,*
Quàm de Pompejo meruit scelus, unica belli
Præmia civilis, victis donare salutem
Perdidimus. quòd si Phario germana tyranno
Non invisa foret, potuissem reddere regi,
1070 *Quod meruit; fratrique tuum pro munere tali*
Misissem Cleopatra caput. secreta quid arma
Movit, & inseruit nostro sua tela labori?
Ergo in Thessalicis Pellæo fecimus arvis
Jus gladio? vestris quæsita licentia regnis?
1075 *Non tuleram Magnum mecum Romana regentem:*
Te Ptolemæe feram? frustrà civilibus armis
Miscuimus gentes, si qua est hoc orbe potestas
Altera, quàm Cæsar: si tellus ulla duorum est.

Ver-

1059. *Quam magna remisit crimina.*] Quam magnam dedecoris culpam removit Fortuna à Senatu atque Pompejo; quibus fuisset summum dedecus, si Pompejum Cæsar vita donasset. *Sulpitius.*

1062. *Nec non his, &c.*] Et persuades iis te serio dolere, cum id vultu tantum simules: Ad fidem veri doloris ficta hac oratione usus.

1064. *Aufer ab aspectu.*] Verba Cæsaris sunt, ad militem regium, caput Pompeji offerentem. *Hortens.* *Aufer ab, &c.*] Supra v. 1035.

1066. *Unica belli, &c.*] Clementiæ meæ gloriam. Quam innumeris Cæsar præstitit. qua ex clementia majorem laudem & gloriam fuit consecutus, quam ex tot antecactis victoriis.

1068. *Quod si Phario, &c.*] Quod nisi regi vestro intercederent cum sorore Cleopatra inimicitiæ, in promptu mihi esset quo illi parem referrem gratiam: sororis scil. caput pro hac cervice Pompeji.

1072. *Nostro sua tela labori?*] Civili bello.

1073. *Ergo in Thessalicis, &c.*] Quasi vero victoria mea Thessalica, regi Ægyptio potestatem dederim interficiendi Pompejum.

1076. *Frustra civilibus armis, &c.*] Frustra civili bello inter me & Pompejum, totis concussi viribus orbis, dimicatum est de summo imperio, si etiamdum æmulum habeam; & dominatus hujus cœlum duos admittat soles.

Vertissem Latias à vestro littore proras:
1080 *Famæ cura vetat, ne non damnasse cruentam,*
Sed videar timuisse Pharon. nec fallere vos me
Credite victorem: nobis quoque tale paratum
Littoris hospitium: ne sic mea colla geranitur,
Thessaliæ fortuna facit. majore profectò,
1085 *Quàm metui poterat, discrimine gessimus arma:*
Exilium, generique minas, Romamque timebam:
Pœna fugæ Ptolemæus erat. sed parcimus annis,
Donamusque nefas. sciat hac pro cæde tyrannus
Nil venia plus posse dari. vos condite busto
1090 *Tanti colla ducis: sed non, ut crimina tantùm*
Vestra tegat tellus. justo date tura sepulcro,
Et placate caput, cineresque in littore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.
Sentiat adventum soceri, vocesque querentis
1095 *Audiat umbra pias. dum nobis omnia præfert,*
Dum vitam Phario mavult debere clienti,

Lata

1079. *Vertissem Latias, &c.*] Fugerem certe litus hoc, scelus vestrum detestatus, nisi famæ meæ consulerem, arguererque timuisse vos potius quam damnasse.

1080. *Famæ cura vetat.*] Ut consulerem famæ meæ, huc appuli, ne videar approbasse vestrum scelus, & ausum temerarium. *Hortens.*

1084. *Thessaliæ.*] Victoria mea in Pharsalia.

1086. *Exilium, &c.*] Ego duntaxat timebam exilium, minas Pompeji, & Rom. inimicitias si modo è prælio victus fugissem: sed ecce major his omnibus metus, major pœna à Ptolemæo.

1087. *Annis, &c.*] Pueritiæ regis, qui vixdum sui juris est, huic scelus imputamus. vel quod alieno consilio sit admissum.

1089. *Nil venia plus.*] Nullum majus præmium accipere posse, quam veniam. *Sulpit.* *Vos condite busto, &c.*] Caput Pompeji ad se delatum (inquit Appianus) minime intueri volvit, verum sepeliri statim jussit. Templum quoque exiguum ante urbem condidit, quod indignationis Sacellum appellavit. lib. de civ. bell. 2.

1091. *Tura sepulcro, &c.*] Plurimis & preciosis odoribus cremandum curavit, &c. Plut. in Cæs. & Val. Max. lib. 5. cap. 1.

1092. *Cineresque, &c.*] Divisi corporis collectos cineres una urna & tumulo condite.

1095. *Dum nobis, &c.*] Dum omnia, quam me tutiora credit.

1096. *Phario, &c.*] Regi Ægyptio, cui ipsi tutor à Senatu Pompejus datus fuerat, & cujus patri avoque intercesserant jura hospitalitatis cum Pompejo.

1097. *Lata*

Digitized by Google

Læta dies rapta est populis: concordia mundo
Nostra perit: caruêre Deis mea vota secundis,
Ut te complexas positis felicibus armis
1100 *Affectus abs te veteres, vitamque rogarem,*
Magne, tuam: dignaque satis mercede laborum
Contentus par esse tibi. tunc pace fideli
Fecissem, ut victus posses ignoscere divis,
Fecisses ut Roma mihi. nec talia fatus
1105 *Invênit fletus comitem, nec turba querenti*
Credidit: abscondunt gemitus, & pectora læta
Fronte tegunt, hilaresque nefas spectare cruentum
(O bona libertas) cùm Cæsar lugeat, audent.

M. AN-

1097. *Læta dies rapta est populis.*] Salutis datæ, reditionis in gratiam, & concordiæ in æternum.

1098. *Deis secundis.*] Faventibus Diis, qui optarim concordiam inter nos aliquando coïturam.

1099. *Felicibus armis.*] Victricibus.

1100. *Affectus abs te veteres.*] Amorem pristinum, & ut velles vitæ à me donatæ munere frui.

1102. *Par esse tibi.*] Vide ✠ f. 125. l. 1.

1103. *Ut victus, &c.*] Ut non esset, eur cladem tuam Deorum inclementiæ imputares.

1104. *Ut Roma mihi.*] Ut, propter te O Pompei servatum, Roma mihi ignosceret quod arma induissem. *Nec talia fatus invenit fletus.*] Neque tamen propterea invenit, qui fletum illius suis lacrymis prosequerentur. neque enim creditus illius dolor verus fuisse, dissimulabant itaque dolorem læta fronte.

1107. *Nefas spectare.*] Caput Pompeji.

1108. *O bona libertas.*] Ironicè, quasi non audeant mentem & affectus vultu testari.

Vertissem Latias à vestro littore proras:
1080 *Famæ cura vetat, ne non damnasse cruentam,*
Sed videar timuisse Pharon. nec fallere vos me
Credite victorem: nobis quoque tale paratum
Littoris hospitium: ne sic mea colla geruntur,
Thessaliæ fortuna facit. majore profectò,
1085 *Quàm metui poterat, discrimine gessimus arma:*
Exilium, generique minas, Romamque timebam:
Pœna fugæ Ptolemæus erat. sed parcimus annis,
Donamusque nefas. sciat hac pro cæde tyrannus
Nil venia plus posse dari. vos condite busto
1090 *Tanti colla ducis: sed non, ut crimina tantùm*
Vestra tegat tellus. justo date tura sepulcro,
Et placate caput, cineresque in littore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.
Sentiat adventum soceri, vocesque querentis
1095 *Audiat umbra pias. dum nobis omnia præfert,*
Dum vitam Phario mavult debere clienti,

Lata

1079. *Vertissem Latias, &c.*] Fugerem certe litus hoc, scelus vestrum detestatus, nisi famæ meæ consulerem, arguererque timuisse vos potius quam damnasse.

1080. *Famæ cura vetat.*] Ut consulerem famæ meæ, huc appuli, ne videar approbasse vestrum scelus, & ausum temerarium. *Hortens.*

1084. *Thessaliæ.*] Victoria mea in Pharsalia.

1086. *Exilium, &c.*] Ego duntaxat timebam exilium, minas Pompeji, & Rom. inimicitias si modo è prælio victus fugissem: sed ecce major his omnibus metus, major pœna à Ptolemæo.

1087. *Annis, &c.*] Pueritiæ regis, qui vixdum sui juris est, huic scelus imputamus. vel quod alieno consilio sit admissum.

1089. *Nil venia plus.*] Nullum majus præmium accipere posse, quam veniam. *Sulpit.* *Vos condite busto, &c.*] Caput Pompeji ad se delatum (inquit Appianus) minime intueri voluit, verum sepeliri statim jussit. Templum quoque exiguum ante urbem condidit, quod indignationis Sacellum appellavit. lib. de civ. bell. 2.

1091. *Tura sepulcro, &c.*] Plurimis & preciosis odoribus cremandum curavit, &c. Plut. in Cæs. & Val. Max. lib. 5. cap. 1.

1092. *Cineresque, &c.*] Divisi corporis collectos cineres una urna & tumulo condite.

1095. *Dum nobis, &c.*] Dum omnia, quam me tutiora credit.

1096. *Phario, &c.*] Regi Ægyptio, cui ipsi tutor à Senatu Pompejus datus fuerat, & cujus patri avoque intercesserant jura hospitalitatis cum Pompejo.

1097. *Lata*

Digitized by Google

Læta dies rapta est populis: concordia mundo
Nostra perit: caruêre Deis mea vota secundis,
Ut te complexas positis felicibus armis
1100 *Affectus abs te veteres, vitamque rogarem,*
Magne, tuam: dignaque satis mercede laborum
Contentus par esse tibi. tunc pace fideli
Fecissem, ut victus posses ignoscere divis,
Fecisses ut Roma mihi. nec talia fatus
1105 *Invênit fletus comitem, nec turba querenti*
Credidit: abscondunt gemitus, & pectora læta
Fronte tegunt, hilaresque nefas spectare cruentum
(O bona libertas) cùm Cæsar lugeat, audent.

M. AN-

1097. *Læta dies rapta est populis.*] Salutis datæ, reditionis in gratiam, & concordiæ in æternum.

1098. *Deis secundis.*] Faventibus Diis, qui optarim concordiam inter nos aliquando coïturam.

1099. *Felicibus armis.*] Victricibus.

1100. *Affectus abs te veteres.*] Amorem pristinum, & ut velles vitæ à me donatæ munere frui.

1102. *Par esse tibi.*] Vide ✝ f. 125. l. 1.

1103. *Ut victus, &c.*] Ut non esset, eur cladem tuam Deorum inclementiæ imputares.

1104. *Ut Roma mihi.*] Ut, propter te O Pompei servatum, Roma mihi ignosceret quod arma induissem. *Nec talia fatus invenit fletus.*] Neque tamen propterea invenit, qui fletum illius suis lacrymis prosequerentur. neque enim creditus illius dolor verus fuisse, dissimulabant itaque dolorem læta fronte.

1107. *Nefas spectare.*] Caput Pompeji.

1108. *O bona libertas.*] Ironicè, quasi non audeant mentem & affectus vultu testari.

M. ANNÆI LUCANI CIVILIS BELLI, SIVE PHARSALIÆ, LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM.

INtrepidè decimo victor, per templa vagatus
Admittit Regem: Cleopatraque supplicat ipsi.
Pax fit, & immenso celebrant convivia sumptu;
Ostentantur opes. consultus Achoreus ortus
Nile tuos aperit cursusque. Photinus Achillam
Ductorem in Latium mittit; qui pugnat ab alta
Obsessus cum Rege domo; noctuque per æquor
Classe Pharon vectus, metuens se immittit in undas.

VT primùm terras Pompeji colla sequutus
Attigit, & diras calcavit Cæsar arenas:
Pugnavit fortuna ducis, fatumque nocentis
Ægypti, regnum Lagi Romana sub arma
5 *Iret; an eriperet mundo Memphiticus ensis*

Victo-

1. *UT primùm terras, &c.*] Cæsar confisus fama rerum gestarum, infirmis auxiliis proficisci non dubitaverat; atque omnem sibi locum tutum fore existimabat. *Hortens. Pompeji colla sequutus.*] Theodotum, qui Pompeji caput à rege missum Cæsari obtulerat. lib. 9. ℣s. 1010.

2. *Diras calcavit, &c.*] Propter Pompejum ibi trucidatum. *Arenas.*] Litus.

3. *Ducis.*] Cæsaris.

4. *Regnum Lagi, &c.*] Utrum Ægyptum Cæsar sub Romano imperio redigeret: an Ægyptii Cæsarem æque ac Pompejum è medio tollerent.

5. *Memphiticus ensis.*] Gladius Ægyptiorum, quo Pompejum interemerant. *Hortens.*

6. *Tua*

Digitized by Google

Victoris, victique caput. tua profuit umbra
Magne, tui socerum rapuêre à sanguine manes,
Ne populus post te Nilum Romanus haberet.
Inde Paratoniam fertur securus in urbem
10 *Pignore tam sævi sceleris, sua signa sequutus.*
Sed fremitu vulgi fasces, & jura querentis
Inferri Romana suis, discordia sensit
Pectora, & ancipites animos, Magnumque perisse
Non sibi. tum vultu semper celante timorem,
15 *Intrepidus Superûm sedes, & templa vetusti*
Numinis, antiquas Macetûm testantia vires,
Circuit: & nulla captus dulcedine rerum,
Non auro, cultuque deûm, non mœnibus urbis,
Effossum tumulis cupidè descendit in antrum.
20 *Illic Pellæi proles vesana Philippi*

Felix

6. *Tua profuit.*] Cæsari, inquit Badius, ut hinc monitus sibi caveret ne in easdem insidias incideret. Grotius autem sic: Pompeji honori hoc Dii dederunt, ne populi Romani esset Ægyptus post ipsius mortem, quod futurum fuerat, nisi Cæsar populo Rom. imperium omne cum libertate ademisset. *Umbra.*] Mors.

7. *Rapuere, &c.*] Eripuere cædi.

8. *Nilum.*] Ægyptum.

9. *Paratoniam fertur.*] Alexandriam. à Paratonio portu & opp. Ægypti, non longe ab Alexandria. Ptol. *Canobo. Securus in urbem, &c.*] Ociosus, inquiunt interpretes. Cæsar enim, ut refert Appianus, dum rex moram circa Casium montem ageret, vacavit gratulationibus, urbis atque templorum lustrationi, disputationibus Philosophorum. Ego autem horum pace sic intelligo. Cæsar admonitus, ut sibi caveret, exemplo Pompeji ab iis trucidati (quod *pignus sceleris* vocat Poëta) ingressus est urbem securus, id est, monitus septusque suis cohortibus. itaque signa simpliciter, vel, ut illi *fasces* accipio.

10. *Secutus.*] Scribe auctore Ms. P. *secutam*, & refer ad urbem, Alexandriam nimirum, quæ Cæsarianam se, Pompeji cæde probasse videri volebat. *Grotius.*

11. *Sed fremitu vulgi fasces.*] Cæs. com. de civ. bell. 7. refert: Concursum ad Cæs. fieri, quod fasces anteferentur. in hoc omnis multitudo majestatem regiam minui prædicabat.

13. *Magnumque perisse.*] Pompejum non ab Ægyptiis cæsum in suam gratiam.

14. *Tum vultu semper, &c.*] Satagebat enim salutis suæ, cui intentus erat, Alexandrinorum deliciis minime vacans, utcunque fiduciam præ se ferebat.

19. *Antrum.*] Alexandri & ab illo regum Ægyptiorum conditorium: ὀνομαστὶ dictum refert Strabo quod corpus Alexandri è Babylone huc tulerit condideritque Lagi filius. Curtius libro 10.

20. *Illic Pellæi, &c.*] Exspatiatur ab

Digitized by Google

Felix prædo jacet: terrarum vindice fato
Raptus: sacratis totum spargenda per orbem
Membra viri posuêre adytis: Fortuna pepercit
Manibus, & regni duravit ad ultima fatum.
25 *Nam sibi libertas unquam si redderet orbem,*
Ludibrio servatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot posse sub uno
Esse viro. Macetum fines, latebrasque suorum
Deseruit, victasque patri despexit Athenas:
30 *Perque Asia populos fatis urgentibus actus*
Humana cum strage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes: ignotos miscuit annes,
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangen:
Terrarum fatale malum, fulmenque, quod omnes

Per-

historiæ serie, in gesta Alexandri tragica, ut hac copia exornet dilaterque narrationem. *Hortens. Pellæi proles.*] Alexander F. Philippi regis Macedoniæ, in cujus urbe Pella natus est Alexander. *Vesana Philippi.*] Cui non unus suffecit orbis, non mortalis parens. Animal (ut appellat eum Seneca lib. 2. de Benef. cap. 10.) tumidissimum. Addo temulentissimum, crudelissimum.

21. *Felix prædo jacet.*] Felicitatem Alexandri æque feliciter exprimit Apulejus lib. 1. Florid. Fortuna, inquiens, sua major fuit: successusque ejus amplissimos & provocavit ut strenuus, & æquiparavit ut meritus, & superavit ut melior: solusque sine æmulo clarus, adeo ut nemo ejus audeat vel sperare virtutem, vel optare Fortunam. *Terrarum vindice fato Raptus.*] Raptus morte, quæ sola potuit vindicare terras ab illo subactas.

22. *Orbem, &c.*] Orientalem maxime, cui gravis & exitialis fuisset.

24. *Manibus, &c.*] Cineribus qui hic condebantur, neque prout meritus ipse fuerat, dispergebantur. *Ad ultima fatum.*] Ad eversionem regni Ægyptii, & ultimos Ægypti reges.

25. *Nam sibi libertas, &c.*] Orbi enim, si quando erit se in libertatem vindicaturus, nihil aliud erit Alexandri gloria & memoria quam ludibrium & pessimum ambitionis superbiæ, & regnandi cupiditatis exemplum. *Si redderet orbem.*] Si orbis unquam suæ libertati restitueretur, ad visum & ludibrium cineres servati fuissent.

26. *Non utile mundo.*] Pessimo exemplo unus homo tot regna subegit, & sub jus imperiumque suum coëgit. *Hortensius.*

28. *Macetum fines.*] Genitivus plur. ut Macedum, syncopate.

29. *Victasque patri, &c.*] Magnam Græciæ partem Philippi dolis & auro subactam sibique relictam tanquam imperium non satis amplum contempsit. vide Plut. Q. Curt. Polyb. Justin. Arrian.

31. *Ruit, &c.*] Turbavit, fœdavit sanguine.

33. *Persarum Euphraten.*] Sanguine scil.

35. *Si-*

35 *Percuteret pariter populos, & sidus iniquum*
Gentibus. Oceano classes inferre parabat
Exteriore mari. non illi flamma, nec undæ,
Nec sterilis Libye, nec Syrticus obstitit Ammon.
Isset in occasus, mundi devexa secutus,
40 *Ambissetque polos, Nilumque à fonte bibisset:*
Occurrit suprema dies, naturaque solum
Hunc potuit finem vesano ponere regi:
Qui secum invidia, qua totum ceperat orbem,
Abstulit imperium; nulloque hærede relicto,
45 *Totius fati lacerandas præbuit urbes.*
Sed cecidit Babylone sua, Parthoque verendus.
Prô pudor! Eoi propius timuere sarissas,
Quàm nunc pila timent populi. licet usque sub Arcton
Regnemus, Zephyrique domos, terrasque premamus.
50 *Flagrantis post terga Noti: cedemus in ortus*
Arsacidûm domino. non felix Parthia Crassis

Exi-

35. *Sidus iniquum, &c.*] Velut pestilentis influentiæ sidus terris.

36. *Oceano classes inferre parabat.*] Oceani Indici visendi studio, flumini ignoto caput suum totque fortissimorum virorum salutem permisit. *Curt.*

37. *Exteriore mari.*] Quod ambit terras ad Orientem & Meridiem. *Flamma.*] Æstus Solis.

38. *Sterilis Libye, &c.*] Iter per deserta Libyæ ad Jovis Ammonis templum supra Syrtim majorem. Diod. 17. Arrian. Curt. & Plut.

40. *Ambissetque polos.*] Orbe circuito, & sub jus suum redacto. *Nilumque à fonte bibisset.*] Strabo refert Alexandrum cum Sesostre rege Ægypti statuisse lustrare Æthiopiam ut fontes Nili quæreret. vide infra ✠ f. 272.

41. *Occurrit suprema dies.*] Sed fatum & lex naturæ incidit vitæ simul & voti filum.

42. *Vesano ponere regi.*] Ut sup. ✠ f. 20.

43. *Qui secum invidia, &c.*] Qui eadem invidia qua vivus non tulit imperii æmulum; ita moriens nec uni reliquit Imperium, quasi fataliter invidens alteri tantam magnitudinem.

45. *Lacerandas præbuit urbes.*] Inter duces suos dividendas. Divisionem vide apud Curtium lib. 10.

46. *Sua.*] In suam potestatem redacta Babylone Parthorum metropoli & regia. *Parthoque verendus.*] Parthis formidandus.

47. *Eoi propius, &c.*] Macedonum hastas plus timuerunt Parthi quam pila nostra.

48. *Licet usque sub Arcton, &c.*] Nos Romani subjecimus nobis orbem ab Arctoa parte, Occidentali, Meridionali: soli obstant nobis Parthi, quominus in Orientem proferamus Imperium.

51. *Non felix Parthia Crassis, &c.*] Et tamen Parthia Crassis & exercitibus

Exigua secura fuit provincia Pellæ.
Jam Pelusiaco veniens à gurgite Nili
Rex puer, imbellis populi sedaverat iras,
55 *Obside quo pacis Pellæa tutus in aula*
Cæsar erat: cùm se parva Cleopatra biremi,
Corrupto custode Phari laxare catenas,
Intulit Emathiis ignaro Cæsare tectis;
Dedecus Ægypti, Latio feralis Erinnys,
60 *Romano non casta malo. quantum impulit Argos,*
Iliacasque domos facie Spartana nocenti,
Hesperios auxit tantum Cleopatra furores.
Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro,
Et Romana petit imbelli signa Canopo,

Ca-

nostris exitiosa; à Macedonibus, quorum oppidum exiguum est Pella, devicta est, & metropolis ejus quasi in provinciam redacta facta victori Alexandro regia secura.

52. *Secura fuit.*] Parthia quæ de Crassis triumphat, Macedonibus paruit, quorum oppidum Pella. *Grotius.*

53. *Pelusiaco, &c.*] A Casio monte prope Pelusium lib. 8. ✠ſ. 470. & ad ✠ſ. 463.

54. *Rex puer.*] Ptolemæus. *Iras.*] Tumultum Alexandrinorum. supra ad versum 11. & indignationem Photini.

55. *Obside quo tutus.*] Rege præsente satis tutus Cæsar ab injuria inimicorum esse videbatur. *Hortens.*

57. *Laxare catenas.*] Ut laxaret sibi carcerem, quo custodiebatur, inquit Bersinanus. Ego de catenis portum Alexandrinum obstruentibus dici opinor. Scribit enim Plutarchus, Cæsarem ad se ex agro accivisse Cleopatram regno ejectam. Quæ cum Apollodoro Siculo lembum ingressa, nocte ingruente ad regiam pervenit, cumque latere aliter non posset, stragulo se illigatam ab Apollodoro ad Cæs. per fores apportari passa est, &c.

58. *Emathiis ignaro Cæsare tectis.*] Alexandrinis, ab Alex. Macedone conditis; vel Cæsaris victoris in Emathia.

59. *Dedecus Ægypti.*] Invectiva Apostrophe ad Cleopatram. *Latio feralis Erinnys.*] Ita Virg. de Helena: *Troiæ ac patriæ communis Erinnys.* cui noster hanc confert.

60. *Romano, &c.*] Nunc in Cæsare, postea in Antonio.

61. *Spartana nocenti.*] Helena.

62. *Furores.*] Insanæ libid. & belli illius, quod Antonius Augusto inferebat, furores.

63. *Terruit illa suo, &c.*] *Dum Capitolio Regina dementes ruinas Funus & imperio parabat.* Horatius od. 37. lib. 1. *Sistro, &c.*] *Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.* Virg. Æneid. 8. Est autem sistrum, crepitaculum ex ære aut argento tinnulum, per cujus laminam incurvam ungulæ trajectæ erant: quod crispanti brachio agitatum redderet argutum sonum.

64. *Imbelli signa.*] *Contaminato cum grege turpium Morbo virorum.* Horatius. *Canopo.*] Ægyptiis & vilissima Canopi plebe. 8. ✠ſ. 543. Juvenal. Sat. 1. ✠ſ. 26. & Sat. 6. ✠ſ. 85.

65. *Ca-*

65 *Cæsare captivo Pharios ductura triumphos:*
Leucadioque fuit dubius sub gurgite casus,
An mundum ne nostra quidem matrona teneret.
Hoc animi nox illa dedit, quæ prima cubili
Miscuit incestam ducibus Ptolemaïda nostris.
70 *Quis tibi vesani veniam non donet amoris,*
Antoni? durum cùm Cæsaris hauserit ignis
Pectus, & in media rabie, medioque furore,
Et Pompejanis habitata manibus aula,
Sanguine Thessalicæ cladis perfusus adulter
75 *Admisit Venerem curis, & miscuit armis*
Illicitosque toros, & non ex conjuge partus?
Prô pudor! oblitus Magni, tibi Julia fratres
Obscœna de matre dedit: partesque fugatas
Passus in extremis Libyes coalescere regnis,
80 *Tempora Niliaco turpis dependit amori,*
Dum donare Pharon, dum non sibi vincere mavult.
Quem forma confisa suæ Cleopatra sine ullis
Tristis adit lacrymis, simulatum comta dolorem,
Quem decuit, veluti laceros dispersa capillos,

Et

65. *Cæsare.*] Augusto.

66. *Leucadioque fuit, &c.*] Sinu maris Ambracii sub Leucate promontorio Epiri, lib. 1. ℣. 43.

69. *Miscuit ducibus.*] Miscuit Cleopatram ducibus Rom. Cæsari, & Antonio postea. *Hortens. Ptolemaïda nostris.*] Cleopatram, Ptolemæi filiam.

70. *Quis tibi vesani, &c.*] Exclamatio poëtæ per aversionem in turpem libidinem Cæsaris; qui in medio belli ardore, luxui ac voluptati indulsit, præcipuè quum inter medios hostes suos versaretur, qui generum suum Pompejum occiderant. Ab exemplo majori: Si Cæsar hoc sibi permisit in armis, cur non Antonius in otio? *Hortens.*

71. *Ignis.*] Alii, *igues.*

72. *Media rabie, &c.*] Belli. mensses autem 9. ibi moratum refert Appianus.

73. *Et Pompejanis, &c.*] Etiamdum sibi in aula illa observari visa Pompeji modo ab iis cæsi umbra.

76. *Non ex conjuge partus?*] Filium Cæsarionem susceptum ex Cleopatra muliere barbara.

77. *Magni, &c.*] Cui filia Iulia nupta fuerat.

78. *Partesque fugatas.*] Pompejanas, sub Scipione, Catone, &c.

79. *Coalescere regnis.*] Vires colligere.

81. *Donare Pharon, &c.*] Cleopatræ, quam fratre interfecto postea præfecit Ægypti regno.

84. *Quem decuit, &c.*] Ita emendat Grotius, cum prius legeretur, *Quam decuit.* ut sit admirantis.

Digitized by Google

85 *Et sic orsa loqui: Si qua est ô maxime Cæsar*
Nobilitas, Pharii proles clarissima Lagi,
Exul in æternum sceptris depulsa paternis,
Si tua restituat veteri me dextera fato,
Complector regina pedes. tu gentibus æquum
90 *Sidus ades nostris. non urbes prima tenebo*
Femina Niliacas: nullo discrimine sexus
Reginam scit ferre Pharos. lege summa perenti
Verba patris, qui jura mihi communia regni,
Et thalami cum fratre dedit. puer ipse sororem,
95 *Sit modò liber, amet: sed habet sub jure Pothini*
Affectus, ensesque suos. nil ipsa paterni
Juris habere peto: culpa, tantoque pudore
Solve domum: remove funesta satellitis arma,
Et regem regnare jube. quantosne tumores
100 *Mente gerit famulus, Magni cervice revulsa!*
Jam tibi (sed procul hoc avertant fata) minatur.
Sat fuit indignum, Cæsar, mundoque tibique,

Pom-

85. *Si qua est ô maxime Cæsar.*] Oratio Cleopatræ petitoria est. petit summatim in regni sui partem restituatur, unde à fratre & ejus tutoribus per summam Injuriam sit ejecta. Movet affectus simul à præsenti exsilii sui statu. *Hortens.*

86. *Pharii proles clarissima Lagi.*] Ego regina, filia Ptolemæi, proles Lagi. lib. 8. ✠ſ. 692.

89. *Complector regina pedes.*] *Cleopatra regis soror affusa Cæsaris genibus, partem regni reposcebat*, inquit Florus lib. 4. cap. 2. *Æquum, &c.*] Salutare, me in jus meum redditurum, supra ✠ſ. 35. vocaverat Alexandrum *fidus iniquum gentibus.*

90. *Non urbes, &c.*] *Occupatio.* Neque, inquit, hoc novo fiet exemplo, ut regnet mulier, patre enim meo ejecto, sororem meam natu majorem in regno constituerunt.

92. *Summa perenti, &c.*] Testamentum patris, quo ex æquo cum fratre hæres relicta sum, necnon conjux illius.

95. *Sub jure Pothini, &c.*] Potestatem suam Pothini eunuchi autoritati subjectam.

97. *Culpa, &c.*] Hoc dedecore & turpitudine, ut pro arbitrio servorum regnetur.

98. *Satellitis arma.*] Achillæ præfecti regii Pothino solicitati contra Cæſ. infra ✠ſ. 398.

99. *Quantosque tumores.*] Quantum fastum gerit in pectore ob Pompejum interfectum. Trahit adversarium in invidiam Cæsaris. *Hortens. Quantosne tumores.*] Quantosnam? duplici interrogatione. ut lib. 7. ✠ſ. 301.

101. *Jam tibi.*] Exaggerat invidiam ominatione mali majoris, quod tamen deprecatur. *Hortens.*

103. *Pom-*

Pompejum facinus meritumque fuisse Pothini.
Nequicquam duras tentasset Cæsaris aures:
105 *Vultus adest precibus, faciesque incesta perorat.*
Exigit infandam corrupto judice noctem.
Pax ubi parta duci, donisque ingentibus emta est;
Excepêre epulæ tantarum gaudia rerum:
Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu
110 *Nondum translatos Romana in sæcula luxus.*
Ipse locus templi, quod vix corruptior ætas
Extruat, instar erat: laqueataque tecta ferebant
Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.
Nec summis crustata domus, sectisque nitebat
115 *Marmoribus: stabatque sibi non segnis Achates,*
Purpureusque lapis, totaque effusus in aula

Cal-

103. *Pompejum, &c.*] Scelestam Pompeji cædem, qua te sibi demereri voluit. *Pothini.*] Ita ubique scribendum hoc nomen, non ut ante fuit *Photini.* Nam Græcum est Ποθεινὸς, non Φωτεινὸς, quod & lex versuum repudiat. *Grotius.*

104. *Nequicquam.*] Frustrà, inquit, sua blandiloquentia tentasset Cæsarem, sed forma eum movit. *Hortens. Nequicquam, &c.*] Satis enim formæ venustas commendabat eam.

105. *Incesta.*] Propter illicitum conjugium fratris & sororis. *Hortens. Perorat.*] Persuasit. Forsan pro *exorat* dixit; hoc est, orando induxit. *Idem. Perorat.*] Aderat puellæ formâ, inquit Florus, & quæ duplicaretur ex illo, quod talis passa videbatur injuriam.

106. *Judice noctem.*] Cæsare, inter ipsam & fratrem judice.

107. *Pax ubi parta.*] Compositis inter se rebus & reconciliata fratri Cleopatra, extruitur convivium. *Duci.*] Ptolemæo. *Donisque ingentibus empta est.*] Debuerat pater ejus qui tum rex erat Cæsari septingenties HS. inde quadringenties petebat ad alendum exercitum. Plut. in Cæs.

109. *Tumultu.*] Strepitu & murmure ministrorum. *Sulpit.*

111. *Ipse locus templi, &c.*] Domus regia referebat majestatem templi, melius extructi atque exornati quam ferant exornentque seriora sæcula, atque adeo corruptiora.

113. *Crassumque, &c.*] Laminæ aureæ.

114. *Crustata domus.*] Crustare, crustam ducere sive applicare. Parietes crustati, crusta marmoris tecti. *Hortensius.*

115. *Stabatque sibi, &c.*] Copulativa pro adversativa. vide lib. 1. ℣. 252. Sed stabat sibi, id est, per se solidus non incrustatus & alteri insertus, Achates lapis, de quo Plin. lib. 37. cap. 10. Solin. cap. 12.

116. *Purpureusque lapis.*] Porphyrites. Plin. lib. 36. cap. 7. vel Sardus. *Totaque effusus, &c.*] Pavimenta sternuntur Onychite marmore. *Calcatusque tua sub pede lucet Onyx.* Martial. lib. 12. epigr. 50.

117. *Ebu-*

Calcabatur Onyx: Hebenus Mareotica vastos
Non operit postes, sed stat pro robore vili
Auxilium, non forma domus. ebur atria vestit,
120 *Et suffixa manu foribus testudinis Inda*
Terga sedent, crebro maculas distincta Smaragdo.
Fulget gemma toris, & Iaspide fulva supellex:
Strata micant: Tyrio quorum pars maxima succo
Cocta diu, virus non uno duxit aheno;
125 *Pars auro plumata nitet; pars ignea cocco,*
Ut mos est Phariis miscendi licia telis.
vid. Lips. *Tum famulæ numerus turba, populusque minister,*
non. 130 *(Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas:)*
Hæc Libycos, pars tam flavos gerit altera crines,

Ut

117. *Ebenus quamvis Mareotica vastos Non, &c.*] Perperam hodie legitur *Mareotica.* nec enim in Mareotide aut Ægypto nascitur ebenus; sed in Meroë Æthiopiæ. Stephanus: Μερόη, μητρόπολις Αἰθιόπων καὶ νῆσος. gentile Μεροῖτης. unde *Meroëtica ebenus.* hoc verissimum. idem paulo post:

—— *nigris Meroë fœcunda colonis*
Læta comis ebeni. Plin. lib. 12. cap. de Ebeno. *Salmas.* Plin. Exercit. p. 387. *Hebenus.*] Postes non incrustantur Hebeni ligno: sed ex ipso solidæ stant columnæ. *Mareotica vastos, &c.*] Ægyptia, à Mareotide palude. licet *sola India nigrum ferat ebenum,* ut canit poëta lib. 2. Geor. Herodotus tamen lib. 3. in Æthiopia nasci scribit. vide Plin. lib. 12. cap. 4. & lib. 6. cap. 30. infra pag. 304. Solin. cap. 65. Dioscorid. libro 1. capite 137.

119. *Auxilium, &c.*] Columna ad sustentandum; non incrustamentum ad ornatum. *Ebur atria vestit.*] Fores operiebantur putaminibus testudinis Indicæ in laminas dissectis, & gemmis intertextis distinguebantur. vide quæ nos ad pag. 94. Satyr. 11. Juvenalis.

123. *Strata micant: &c.*] Alii leg. *Hic torus, Assyrio cujus pars maxima succo Strata micant Tyrio, quorum pars maxima lentum Cocta diu virus.* Sed illa quam nos retinuimus simplicior est & verior. *Tyrio quorum, &c.*] Purpureo, à Tyro ubi optimus purpurarum piscatus, cujus piscis, qui & murex dicitur, sanguine ceu flore quem ore habet moriensque expuit, tinguntur vestes purp.

124. *Virus.*] Medicatum liquorem, succum, tincturam. Martial. epigr. 50. lib. 1. & lib. 4, epigr. 4. *Non uno duxit aheno.*] Plus semel; bis tinctum innuit, dibaphum. Plin. lib. 9. cap. 30.

125. *Plumata nitet.*] Intertexta auro atque varii coloris liciis; qualia opera Græci πολυμίτια vocant. Martial. epigramm. 150. lib. 14. *Igneo cocco.*] Splendida coccino colore. vide quæ ad epigramm. 24. lib. 4. Martial.

126. *Phariis.*] Ægyptiis à Pharo insula in portu Alexandrino. *Licia.*] Sunt fila, quibus in telis, textrices implicant stamina. Accipiuntur nonnunquam pro ipsis staminibus. *Hortens.*

129. *Libycos.*] Nigros, adustos, tortos.

130. *Rheni*

Digitized by Google

130 *Ut nullas Cæsar Rheni se dicat in arvis*
Tam rutilas vidisse comas. pars sanguinis usti
Torta caput, refugosque gerens à fronte capillos.
Nec non infelix ferro mollita juventus,
Atque execta virum. stat contrà fortior ætas,
135 *Vix ulla fuscante tamen lanugine malas.*
Discubuêre toris reges, majorque potestas
Cæsar: & immodicè formam fucata nocentem,
Nec sceptris contenta suis, nec fratre marito,
Plena maris rubri spoliis, colloque, comisque
140 *Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.*
Candida Sidonio perlucent pectora filo,
Quod Nilotis acus compressum pectine Serum
Solvit, & extenso laxavit stamina velo.
Dentibus hîc niveis, sectos Atlantide silva

Impo-

130. *Rheni se dicat in arvis.*] In Germania. Germani autem flava cæsarie pulchri sunt. Tacit. de Germ.

132. *Torta caput.*] *Tortis crinibus Æthiopes*, inquit Martialis lib. Spect. ep. 3. *Refugosque gerens, &c.*] Rejectos in cervicem, in supera reflexos, & Solis vapore adustos.

133. *Ferro mollita juventus.*] Castrata. Spadones scil. & Eunuchi. *male puberscentibus annus Surripuere viros; exectaque viscera ferro, In Venerem fregere: atque ut fuga mobilis aut Circumscripta mora properantes differat annos, Quærit se natura, nec invenit.* Petr. Arb.

134. *Execta.*] Emasculata. *Virum.*] Virilitatem.

135. *Lanugine malas.*] Non castrati juvenes, investes tamen atque imberbes.

136. *Reges.*] Ptolemæus & Cleopatra. *Majorque potestas Cæsar.*] Et regibus major Cæsar.

137. *Fucata.*] Quasi fuco adulterata ac depicta. *Hortens.*

139. *Maris rubri spoliis.*] Gemmis, margaritis. de Mari rubro, vide quæ nos ad Senecæ Thyest. v. 370.

140. *Cultuque laborat.*] Gravatur gemmis. vel solicita est de cultu.

141. *Sidonio perlucent pectora filo.*] Amictu è tenuissimis filis. Pollux lib. 7. cap. 16. *Non sic in Tyria sindone tutus eris*, epigr. 19. lib. 4. Martial.

142. *Nilotis acus, &c.*] Ægyptia. *picti tunica Nilotide Mauri*, Martialis epigr. 6. lib. 10.

143. *Solvit, &c.*] Ut rariora essent fila, discrevit.

144. *Dentibus hic niveis.*] Pedibus eburneis sustentatas rotundas mensas citreas è Mauritania petitas. *felices Atlantica mensera sylvas.* Martial. epigr. 89. lib. 4. vide quæ nos ad epigr. 43. lib. 2. Martial. *Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.* & Juven. Sat. 11. *latos sustinet orbes Grande ebur. Sectos Atlantide sylva.*] A materia mensarum, quæ citrinis tabulis compactæ erant. Citrus arbor nobilis est, quæ sola in Mauritania ad montem Atlantem nascitur. *Hortens.*

145. *Ora.*]

145 *Imposuêre orbes; quales ad Cæsaris ora*
Nec capto venêre Juba. prô cæcus, & amens
Ambitione furor, civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati. non sit licet ille nefando
150 *Marte paratus opes mundi quæsisse ruina:*
Pone duces priscos, & nomina pauperis ævi
Fabricios, Curiosque graves: hîc ille recumbat
Sordidus Hetruscis abductus Consul aratris,
Optabit patriæ talem duxisse triumphum.
155 *Infudêre epulas auro, quod terra, quod aër,*
Quod pelagus, Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quæsivit in orbe.
Non mandante fame, multas volucresque ferasque
Ægypti posuêre Deos: manibusque ministrat
160 *Niliacas crystallus aquas: gemmæque capaces*
Excepêre merum, sed non Mareotidos uva,
Nobile sed paucis senium cui contulit annis

Indo-

145. *Ora.*] Conspectum.

146. *Nec capto, &c.*] Vide Plin. libro 13. cap. 15. *Prô cæcus, &c.*] Exclamatio, in intempestivum luxum & splendorem apparatus nuptialis in medio ardore belli civilis. *Hortens.*

149. *Non sit licet, &c.*] Etiamsi Cæsar non esset.

151. *Duces priscos, &c.*] Continentes & incorruptissimos viros, quos tamen opima & ampla præda alliceret.

152. *Fabricios.*] Libro 3. ℣. 160. *Curiosque graves.*] Lib. 6. ℣. 787.

153. *Sordidus Hetruscis, &c.*] Quintius Cincinnatus, qui agrum trans Tyberim fodiens à legatis Dictator salutatus est. Liv. lib. 3. Dionysius vero consulatum illi ita oblatum scribit. Alii hic Serranum intelligunt. vide Plin. lib. 18. cap. 3. *te sulcos, Serrane serentem.* Virg. 6. Æneid. Pers. Sat. 1.

155. *Auro.*] Aureis vasis. *Quod terra, quod aër.*] Mensæ illatum fuit, ferarum terrestrium & volatilium omne genus. *Hortens.*

158. *Non mandante fame.*] Sed gula & ambitioso luxu. *Multas volucresque ferasque, &c.*] Quas Ægyptii pro Diis coluerunt, uti pisces, Ibin, &c. vide quæ ad Sat. 15. Juvenal.

160. *Crystallus aquas.*] Crystallinum gutturnium. *Dant famuli manibus lymphas. Gemmæque capaces, &c.*] Pocula è gemmis. *Cum bibitur concha.* Juvenalis Sat. 6. ℣. 305.

161. *Mareotidos uvæ.*] Mareotidum uvarum meminit Virgil. 2. Georg. & Plinius lib. 14. cap. 3. Mareotici vini, Athenæus lib. 1. cap. 25. ἀπὸ τῆς τῶν Ἀλεξανδρείας πλησίον Μαρείας dicti. & Strabo lib. 13.

162. *Nobile sed paucis, &c.*] Sed vinum Meroæum, quod paucis annis nobilitatem saporis odorisque consecutum

Digitized by Google

Indomitum Meroë cogens spumare Falernum.
Accipiunt sertas nardo florente coronas,
165 *Et nunquam fugiente rosa: multumque madenti*
Infudêre comæ, quod nondum evanuit aura
Cinnamon, externa nec perdidit aëra terra:
Advectumque recens vicinæ messis Amomum.
Discit opes Cæsar spoliati perdere mundi,
170 *Et gessisse pudet genero cum paupere bellum,*
Et causas Martis Phariis cum gentibus optat.
Postquam epulis, Bacchoque modum lassata voluptas
Imposuit, longis Cæsar producere noctem
Inchoat alloquiis: summaque in sede jacentem
175 *Linigerum placidis compellat Achorea dictis:*
O sacris devote senex, quodque arguit ætas
Non neglecte Deis, Pharia primordia gentis,
Terrarumque situs, vulgique edissere mores,
Et ritus, formasque Deûm: quodcunque vetustis
180 *Insculptum est adytis profer, noscique volentes*

Prode

tum est, decocta cruditate. Meroë autem insula Nili est max. lib. 4. ✠ſ. 333.

163. *Indomitum.*] Vim nobilis vini arguit: nam in doliis ita fervet, ut coërceri nequeat. *Hortens. Falernum.*] Vinum. *Synecdochice.* Falernum enim proprie è Campania est.

164. *Nardo florente coronas.*] Frutice Indico & Syriaco, cujus folia & spicæ odore commendantur.

165. *Nunquam fugiente rosa.*] Perenni, per totum annum in Ægypto florente. Martial. epigr. 80. lib. 6. *Madenti, &c.*] Delibutæ unguentis.

167. *Externæ, &c.*] Nec peregre advectum expiravit odorem. *nec spirant cinnama surdum*, Pers. Sat. 6.

168. *Vicinæ messis Amomum.*] In vicina Assyria & Media natæ. Plin. l. 11. cap. 13.

169. *Discit opes, &c.*] Ab Alexandrino hoc luxu.

172. *Postquam epulis, &c.*] Imitatio Virgiliana: *Postquam epulis exempta fames*; & Homerica, Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔον ἕντο.

175. *Linigerum placidis compellat.*] Sacerdotem Isidis xylinis vestibus indutum, *gregem linigerum* vocat hos Juven. Sat. 6. & Linigeram Isidem Ovidius. Quippe lana, &c. jam inde Orphei & Pythagoræ scitis profanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges, inter opt. fruges terra exortas, non modo indutui & amictui sanctissimis Ægyptorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur. Apul. Apolog. *Achorea dictis.*] Lib. 8. ✠ſ. 475.

176. *O sacris devote senex.*] Oratio Cæsaris petitoria ad Achorea sacerdotem. Petit multa rerum Ægyptiacarum ab eo cognoscere; sed præcipuè quibus fontibus Nilus originem ducat. *Hort.*

180. *Noscique volentes, &c.*] Gloria quippe

Digitized by Google

Prode Deos. si Cecropium sua sacra Platonem
Majores docuêre tui: quis dignior unquam
Hoc fuit auditu, mundique capacior hospes?
Fama quidem generi Pharias me duxit ad urbes,
185 *Sed tamen & vestri: media inter prœlia semper*
Stellarum, cœlique plagis, Superisque vacavi,
Nec meus Eudoxi vincetur Fastibus annus.
Sed cùm tanta meo vivat sub pectore virtus,
Tantus amor veri, nihil est quod noscere malim
190 *Quàm fluvii causas per secula tanta latentes,*
Ignotumque caput: spes sit mihi certa videndi
Niliacos fontes; bellum civile relinquam.
Finierat, contraque sacer sic orsus Achoreus:
Fas mihi magnorum Cæsar secreta parentum
195 *Prodere, ad hoc ævi populis ignota profanis.*
Sit pietas aliis, miracula tanta silere:
Ast ego cœlicolis gratum reor, ire per omnes

Hoc

quippe & celebratione gaudent, infra v. 197.

181. *Cecropium.*] Athenienſem, à Cecrope rege. *Platonem, &c.*] Plato in Ægyptum ad prophetas & ſacerdotes profectus arcana & diſciplinas eorum edidicit. Laërtius lib. 3.

183. *Mundique capacior hoſpes.*] Docilior & qui mundi cauſis noſcendis magis vacavit.

184. *Generi Pharias, &c.*] Pompeji, qui huc profugiſſe dicebatur.

185. *Veſtri.*] Quorum ſcientias ſcire percupio: Aſtronomiam maxime, cui inter arma vacavi ſemper.

187. *Eudoxi vincetur.*] Eudoxus iſte fuit Cnidius, auditor Platonis, qui cum Chryſippo medico in Ægyptum profectus, anni rationem reverſus Græcis tradidit & Ephemeridas ſcripſit. Laërt. lib. 8. Strabo lib. 14. Columel. lib. 10. Cenſorinus. hujus autem faſtis, id eſt, rationi anni Cæſar dicit ſuam anni correctionem non ceſſuram. qua obſervationi veteri adjecit X. dies ut annum CCCLXV. dies efficerent, & ne quadrans deeſſet, quarto quoque anno unus dies intercalaretur. Plutarchi Cæſ. & Macrob. lib. 1. Saturn c. 14. Solin. cap. 3. Sueton. Cæſ. *Faſtibus annus.*] Utcunque Servius erroris Lucanum inſimulare auſus ſit, *Faſtum* tamen pro dierum computatione in quarta declinatione uſurparunt autores boni. Varro in Ephemeride: *Cæſar faſtus correxit.* Columella 10. *Sequor nunc Eudoxi & Metonis faſtus.* & Horat. utriuſque declin. 2. & 4.

194. *Fas mihi magnorum, &c.*] Achoreus narrationem orditur à pia deprecatione culpæ, quò majorum ſecreta, quæ hactenus latuerunt homines profanos, ſit proditurus. Alluſit ad Virgilii illud Sinonis lib. 2. Æneid. *Fas mihi Graiorum ſacrata reſolvere jura.* Hortenſ.

195. *Profanis.*] Non initiatis.

196. *Pietas.*] Religio.

199. *Side-*

Hoc opus, & sacras populis notescere leges.
Sideribus, quæ sola fugam moderantur Olympi,
200 *Occurruntque polo, diversa potentia prima*
Mundi lege data est. Sol tempora dividit anni,
Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.
Luna suis vicibus Tethyn, terrenaque miscet.
205 *Frigida Saturno glacies, & Zona nivalis*
Cessit: habet ventos, incertaque fulmina Mavors:
Sub Jove temperies, & nunquam turbidus aër.
At fecunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet. immensa Cyllenius arbiter unda est:
210 *Hunc ubi pars cœli tenuit, quà mista Leonis*

Si-

199. *Sideribus, &c.*] Planetæ, qui adverso motu ab Occasu scil. in Ortum retardant rapidum motum quo decima sphæra ab Ortu in Occasum recte decurrens reliquos orbes secum trahit, aliam atque aliam sortiuntur motus rationem, adeoque potentiam. *Moderantur fugam.*] Regunt revolutionem cæli. Vultque eo indicare sidera certis vicibus oriri & occidere, & temperato cursu suo volvi. *Hortens.*

200. *Occurrunt polo.*] Id est, contrà cœlum moventur.

201. *Sol tempora dividit anni.*] Medius planetarum; temporum, terrarum, siderum & cœli rector.

202. *Mutat nocte diem.*] Cum veteribus, qui τὸν τῶν πλανωμένων πηγάσμεν, à Sole fieri credebant. errasse nostrum monet Jos. Scal. in prolegom. ad Manil. *Radiisque potentibus.*] Solem, inquit Sulpitius, cæteri planetæ venerari videntur, ut Regem. Et quum propius accessere, sunt in statione, & fiunt retrogradi: unde Sol moderator reliquorum dicitur luminum.

203. *Cursusque vagos statione moratur.*] Ipse sub Elliptica certus vagos cæterorum cursus moderatur. Neque enim de planetis stationariis & retrogradis aliquid innotuisse veteribus verisimile est. Sed de stationibus planetarum Plin. lib. 2. cap. 15. 16. & 17.

204. *Luna suis.*] Æstum maris Lunæ motui tribuerunt veteres. Pomp. Mela lib. 3. cap. 1. & interp. Vadian. *Vicibus.*] Crescentis ac decrescentis Lunæ. *Tethyn, &c.*] Mare reciproca agitatione nunc accedens litora; nunc recedens.

205. *Frigida Saturno glacies.*] De virtutibus & qualitatibus planetarum consulendi Astrologi, qui de his plenius & planius.

209. *Cyllenius.*] Mercurius. Hoc sidus etiam nonnunquam Apollinis appellatur, medium inter Venerem & Lunam. *Hortens. Unda est.*] Fluminum, adeoque Nili. *Cessit Mercurio locus imbrifer.* Avienus.

210. *Hunc ubi pars, &c.*] Ubi Mercurius in Julii principio, pervenit ad extremum gradum Cancri quà Leonem contingit, vicinus Caniculæ & Tropico Cancri cui subjacent ignoti fontes Nili, tum arbiter unde Mercurius laxat fontes fluminis directe subjecti, facitque effervescere, non secus ac Luna motu suo tumefacit mare. modo ♃ f. 204.

Sidera sunt Cancro, rapidos quà Sirius ignes
Exerit, & varii mutator circulus anni
Ægoceron, Cancrumque tenet, cui subdita Nili
Ora latent: quæ cùm dominus percussit aquarum
Igne superjecto, tunc Nilus fonte soluto
Exit, ut Oceanus lunaribus incrementis
Jussus adest: auctusque suos non antè coarctat,
Quàm nox æstivas à Sole receperit horas.
Vana fides veterum, Nilo, quò crescat in arva,
Æthiopum prodesse nives. non Arctos in illis
Montibus, aut Boreas. testis tibi solè perusti
Ipse color populi, calidique vaporibus Austri.

Adde,

211. *Sirius, &c.*] Septem inundationis Nili causas ponit, è quibus secunda haud dubiè vera est, & optimis quibusque authoribus placita. *Sirius* est stella magna & lucida in fronte canis. Hujus exortu amplissimæ vires in terra sentiuntur. Tum poëtæ nonnunquam *Sirium* pro æstate usurpant. *Hortens.*

212. *Mutator circulus anni, &c.*] Zodiacus; in quo taxatur à Jos. Scal. in proleg. ad Manil. quod ex duobus Tropicis unum facit, & Zodiacum non solem dirigit ad puncta Solstitialia. Nullo modo probantur mihi interpretes, qui Meridianum intelligunt Trop. utrunque intersecantem.

214. *Dominus aquarum.*] Mercurius.

215. *Nilus fonte soluto, &c.*] Nilus crescere incipiens nova Luna post solstitium; Sole Cancrum transeunte, modice; Leonem, abundantissime, in Virgine, residet; revocatur intra ripas, Sole in Libra, hoc est, in æquinoctio autumnali, lib. 8. ✠ſ. 467. Herod. lib. 2. Plin. lib. 5. cap. 9. Solin. cap. 34. & 45. Strabo lib. ult. Diod. Sic. lib. 1. Seneca lib. 4. nat. q. cap. 2. Marcel. lib. 22. Heliod. lib. 9. Philo lib. 1. de vita Mosis. Card. de Subtilit. lib. 2. & 21. Jul. Cæſ. Scal. exercit. 47.

216. *Lunaribus incrementis.*] Quando scil. Oceanus crescente ac decrescente luna, magis minusve accedit recedit ve reciproco suo æstu. *Hortens.*

218. *Nox æstivas, &c.*] Notatio æquinoctii autumnalis.

219. *Vana fides veterum, Nili.*] E septem causis inundationis Nili, quas ponit noster, secunda hæc veteribus Anaxagoræ, Euripidi, & aliis gravissimis autoribus placita validissimis nititur argumentis, ad quæ diluenda nimis debiles sunt poëtæ confutationes. Sole enim apud nos in Cancri tropico existente ultra Capricorni circulum sitis hyems est, & nives in Lunæ montibus conceptæ à Sole redeunte, quod iis ver est, dissolvi possunt. Sed & hanc opinionem refutat Jo. Bapt. Scortia lib. 2. de Nili incremento, cap. 12. *Quo crescat in arva.*] Mss. habent, *quæ.* vulgati *quod.* Veteres autem quos dicit, sunt Anaxagoras & Euripides. *Grotius.* Refutat hic eorum opinionem qui incrementum & exundationem Nili ex nivibus liquefactis in montibus Æthiopiæ provenire arbitrentur. *Hortens.*

220. *Non Arctos in illis, &c.*] Et tamen recessus à circulo Capricorni ad Antarcticum æque se habet quoad frigus, ac noster à circulo trop. Cancri.

223. *Quod-*

Digitized by Google

Adde, quòd omne caput fluvii, quodcunque soluta
Præcipitat glacies, ingresso vere tumescit
225 *Prima tabe nivis: Nilus neque suscitat undas*
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem
Ante parem nocti Libra sub judice Phœbum.
Inde etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet hybernus, cùm longè sole remoto
230 *Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo*
Temperiem cœlo, mediis æstatibus exit.
Sub torrente plaga, ne terras dissipet ignis,
Nilus adest mundo, contraque incensa Leonis
Ora tumet: Cancroque suam torrente Syenen,
235 *Imploratus adest: nec campos liberat undis,*
Donec in autumnum declinet Phœbus, & umbras
Extendat Meroë. quis causas reddere posset?

Sic

223. *Quodcunque soluta, &c.*] Atqui hoc versus Antarcticum sitis vernum tempus est.

225. *Tabe nivis.*] Solutione.

226. *Ante Canis radios.*] Ante exortum caniculæ, in mense Julio: Sole Leonem ingresso. *Nec ripas, &c.*] Neque revocatur in alveum ante æquinoctium autumnale lib. 8. ✠ſ. 457. Jo. Leo Africanus lib. 8. cap. 4. & lib. 9. cap. 26. Hieron. Fracastorius tract. de Nilo. M. Ant. Sabellicus Ennead. 1. l. 3. Goropius in Niloscopio. Card. de Subt. lib. 21. Cæſ. Scal. exerc. 47.

227. *Ante parem nocti Libra, &c.*] Diodorus scribit Nilum augeri ab Solstitio usque ad æquinoctium autumnale, subinde crescentem, τῇ πληρώσεως τῶν ὑδάτων ὑπὸ τῆς θερινῶν τροπῶν ποιούμενον, αὔξεσθαι μὲ μιχρὶ τῆς ἰσημερίας τῆς μετοπωρινῆς, ἀεὶ δ' ἐπιγινομένου πλείονος. Nam post æquinoctium Sole adhuc in Libra constituto, centesimo die à solstitio, redire intrà suas ripas ac residere incipit Nilus. In Cancro enim sensim ac modicè primum crescit, in Leone plenissimus fluit, pigrescit in Virgine & lentior manat, adhuc tamen crescit; at in Libra post æquinoctium revocatur intrà ripas & retrocedit. *Salmaſ.* Plin. exercit. pag. 436. *Phœbum.*] Diem.

228. *Aliarum nescit aquarum.*] Aliorum fluminum, quæ hyeme crescunt, æstate decrescunt.

230. *Officiis caret unda suis.*] Officium Nili est arva irrigare: hoc autem præstare non potest nisi à Sole excitetur. ideo hyeme se ripis tenet. *Grot. Officiis caret unda suis.*] Incremento ad irrigationem Ægypti. *Iniquo, &c.*] Ferventi ætheri.

232. *Torrente plaga.*] Zona torrida. *Ignis.*] Calor excandescens.

233. *Adest mundo.*] Ad refrigerium & temperiem subvenit Ægypto.

234. *Suam torrente Syenen.*] Sibi subjectam. vide lib. 2. ✠ſ. 587.

235. *Imploratus adest.*] In auxilium quasi advocatus.

237. *Meroë, &c.*] In qua inſ. torridæ zonæ subjecta breves aut nullæ rejiciebantur umbræ. infra ✠ſ. 305.

Digitized by Google

Sic jußit Natura parens decurrere Nilum:
Sic opus est mundo. Zephyros quoque vana vetustas
240 *His adscripsit aquis, quorum stata tempora flatus,*
Continuique dies, & in aëre longa potestas:
Vel quòd ab occiduo depellunt nubila cœlo
Trans Noton, & fluvio cogunt incumbere nimbos:
Vel quòd aquas toties rumpentis littora Nili
245 *Aßiduè feriunt, coguntque resistere flatus.*
Ille mora cursus, adversique obice ponti
Æstuat in campos. sunt qui spiramina terris
Esse putent, magnosque cavæ compagis hiatus.
Commeat hàc penitus tacitis discursibus unda
250 *Frigore ab Arctôo medium revocata sub axem,*
Cùm Phœbus preßit Meroën, tellusque perusta
Illuc duxit aquas, trahitur Gangesque, Padusque,
Per tacitum mundi: tunc omnia flumina Nilus

Uno

239. *Zephyros quoque, &c.*] Impropriè Etesias Aquilones (qui à Rhiphæis & Septentrione flantes pellere pluvia nubila in Austrum, & Nilum versus fontes repulsum quo minus in mare se exoneret, adeoque exundet, sistere dicuntur) vocat Zephyros & ab Occasu flare facit. vide Jos. Scal. in prolegom. ad Manilium. Cæterum hanc opinionem discutit refutatque Jo. Bapt. Scortia lib. 2. de natura & increm. Nili, cap. 13. 14. & 15.

242. *Vel quod, &c.*] Quod Democriti placitum est. *Ab occiduo cœlo.*] Unde Zephyri spirant.

244. *Vel quod aquas, &c.*] Quod Thaleti visum est. *Toties rumpentis, &c.*] Alia causa incrementi: quasi Libycum mare assiduo impulsu suo & violentia aquarum feriat septem ostiorum Nili littora & oneret ea ratione omnes ejus alveos aquis, ad inundationem usque. *Hortens.*

245. *Flatus.*] Ms. P. *Flatu. Flatus.*] Venti.

246. *Ille mora cursus, &c.*] Nilus impeditus ab Etesiis ex adverso flantibus, quo minus in mare delabatur, exundat. Ammian. Marcel. lib. 22. Solin. cap. 45. Plin. lib. 5. cap. 9. Herod. 2. *Adversique objice Ponti.*] Objectu maris, ex quo tantum aquarum invehitur. *Hort.*

247. *Sunt qui.*] Quarta incrementi Nili causa, sed absurda, quam tamen Memphitici sacerdotes tradebant. *Spiramina terris.*] Canales & meatus subterraneos.

249. *Unda.*] Fluvii, ut mox versu 252.

250. *Medium revocata sub axem.*] Sub Æquatorem aut torridam zonam cui subjacet Meroë. infra vs. 305.

251. *Phœbus preßit Meroën.*] Meroën premit Sol cum obtinet quartam decimam Leonis partem.

253. *Per tacitum mundi.*] Per secretos meatus illos subterraneos. *Tunc omnia flumina Nilus.*] His fluminibus non sufficit unus Nili alveus, adeoque exundat fluv.

255. *Ru-*

Digitized by Google

Uno fonte vomens non uno gurgite perfert.
255 *Rumor, ab Oceano, qui terras alligat omnes,*
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Æquoreosque sales longo mitescere tractu.
Nec non Oceano pasci Phœbumque polumque
Credimus: hunc, calidi tetigit cùm brachia Cancri,
260 *Sol rapit, atque undæ plus, quàm quod digerat aër*
Tollitur. hoc noctes referunt, Niloque refundunt.
Ast ego, si tantam jus est mihi solvere litem,
Quasdam, Cæsar, aquas post mundi sera peracti
Secula, concussis terrarum erumpere venis,
265 *Non id agente Deo, quasdam compage sub ipsa*
Cum toto cœpisse reor, quas ille creator,
Atque opifex rerum certo sub jure coërcet.
Quæ tibi noscendi Nilum Romane cupido est,
Et Phariis, Persisque fuit, Macetûmque tyrannis:
270 *Nullaque non ætas voluit conferre futuris*

Noti-

255. *Rumor ab Oceano.*] Alii sunt, qui opinantur feruntque Nilum ab illo Oceano, qui terras ambit, exæstuante, incrementum aquarum capere; fluctus vero marinos salsuginem amittere atque dulcescere longo cursu. hanc opinionem examinat atque rejicit Scortia lib. 2. de Nilo, cap. 11.

258. *Nec non Oceano, &c.*] Alia opinio. Sidera aquis pasci, ut lib. 1. ✠ſ. 315. & lib. 9. ✠ſ. 313. aquarum itaque à Sole in Cancro attractarum partem à sideribus non digestam in Æthiopia deorsum noctu decidere, atque hinc Nilum crescere Herodoti sententia. vide cap. 19. lib. 2. Scortiæ de incremento Nili.

262. *Ast ego, &c.*] Ego reor alios fluvios è venis vi concussis erupisse ante orbem conditum; alios accepisse ortum & leges certas à Deo in ipsa mundi creatione. Nilum autem hanc incrementi legem à prudenti Deo etiam tum accepisse. hanc tanquam universalem causam à nostro positam ut & ab Aristide in oratione Ægyptiaca, pro levi refutat Jo. Baptista Scortia lib. 2. de natura & incremento Nili, cap. 1. Refutatis deinde variis aliorum opinionibus docet cap. 17. Nilum aquis pluviis crescere.

265. *Compage sub ipsa.*] In prima mundi coagmentatione.

266. *Cum toto cœpisse reor.*] Cum rerum universitate.

268. *Quæ tibi noscendi, &c.*] Enumerat Cæsari reges, qui eodem studio cognoscendi originem Nili tenebantur: ut reges Ægyptiorum, Persarum, Macedonum; denique omnis ætatis mortales operam dedisse, ut ejus rei cognitionem posteris traderent. *Hort.*

269. *Et Phariis, &c.*] Sesostri, Cambyse, Alexandro, ut seq.

270. *Futuris.*] Posteris. ἐσομένοις.

Notitiam: sed vincit adhuc natura latendi.
Sæpissimum Alexander regum quos Memphis adorat,
Invidit Nilo, misitque per ultima terræ
Æthiopum, lectos: illos rubicunda perusti
275 *Zona poli tenuit; Nilum videre calentem.*
Venit ad oceasum, mundique extrema Sesostris,
Et Pharios curruum regum cervicibus egit:
Ante tamen vestros amnes Rhodanumque, Padumque,
Quàm Nilum de fonte bibit. vesanus in ortus
280 *Cambyses longi populos pervenit ad ævi,*
Defectusque epulis, & pastus cade suorum,
Ignoto te, Nile, redit. non fabula mendax
Ausa loqui de fonte tuo est, ubicunque videris,
Quæreris: & nulli contingit gloria genti,
285 *Ut Nilo sit lata suo. tua flumina prodam,*
Qua Deus undarum celator, Nile, tuarum
Te mihi nosse dedit. medio consurgis ab axe,
Ausus in ardentem ripas attollere Cancrum:

In

271. *Sed vincit, &c.*] Needum enim inventi sunt ejus fontes.

274. *Lectos.*] Electos viros, qui ortum Nili indagarent.

276. *Sesostris.*] Sesostrin hunc Tzetzes Chiliad. 3. cap. 69. Var. hist. refert Assyriorum regem fuisse, & regibus curru junctis vectum triumphasse. Idem Plin. lib. 33. cap. 3. Val. Flac. Sed vide Herodoti Euterpen.

278. *Ante tamen, &c.*] Neque tamen invenit magis quam vestrorum fluv. fontes. Notatio τοῦ ἀδυνάτου.

280. *Cambyses.*] Persarum rex, Cyri F. qui patris imperio adjecit Ægyptum. *Longi ævi, &c.*] Μακροβίους Æthiopas. Herod. lib. 3. Plin. lib. 6. cap. 30.

281. *Defectusque epulis, &c.*] Destinarat Cambyses triplex bellum, navale contra Carthaginenses; alterum terrestre contra Ammonios: tertium in Macrobios Æthiopas, deficiente autem in itinere commeatu, ingens fames exercitum invasit: unde decimum quenque militem sorte ductum edebant, &c. Herod. 3.

282. *Non fabula mendax.*] Ita ut non falsum sit quod de Nili origine dicitur, *Nemini notam esse.*

286. *Qua.*] Quatenus.

287. *Medio consurgis ab axe.*] A Meridie (innuit autem polum Antarcticum) in Septentrionem recto cursu defertur Nilus, nisi quod sinuoso flumine modo Arabiam ex æquo alluat. *Inde Africam ab Æthiopia dispescens, &c.* Plin. lib. 5. cap. 9.

288. *Ausus in ardentem, &c.*] Alveo quidem contentus, à Cataractis, quæ sub Cancro sunt ante per arenosa & squalentia fluens, quandoque se terra condens & post dierum aliquot itinera erumpens. *In ardentem ripas, &c.*] Con-

Digitized by Google

In Borean is rectus aquis, mediumque Booten:
290 *Cursus in occasum flexu torquetur, & ortus,*
Nunc Arabum populis, Libycis nunc æquus arenis:
Teque vident primi, quærunt tamen hi quoque, Seres,
Æthiopumque feris alieno gurgite campos:
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
295 *Arcanum natura caput non prodidit ulli,*
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitque sinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm nosse tuos. consurgere in ipsis
Jus tibi solstitiis, aliena crescere bruma,
300 *Atque hyemes adferre tuas: solique vagari*
Concessum per utrosque polos. hic quæritur ortus,

Illic

Contrà Septentrionem cursum ad Cancri Solstitialem tropicum vertere. *Hortens.*

289. *Is.*] Defluis. *Rectus aquis.*] Directe adversum Borean. *Mediumque Booten.*] Astronomica ratione amplius monstrat vagum lapsum Nili. Est autem Bootes, sidus, quod *Arctophylax* etiam vocatur. βοώτης bubulcus: *Arctophylax* custos ursæ. stella haud procul ab ursa majore, & tanquam bubulcus plaustrum sequi videtur. *Hortensius.*

290. *Cursus in occasum, &c.*] Scribe aut *occasu*, cum Ms. R. A. & T. aut *certum*, cum Ms. P. *Grotius.*

291. *Æquus.*] Benignus.

292. *Primi te vident.*] Apud eos enim primum apparet. *Sulpitius. Seres Æthiopumque.*] Æthiopiæ gens, ut placet Heliodoro l. 9. Indiæ pop. ut Orosio lib. 3. cap. 24. Non itaque in tantum errat aut hallucinatur noster quantum à Jos. Scal. ad Manilium arguitur. vide quæ ad lib. 1. ψ. 19. Glareanus conjicit legend. *feri* ut opponatur τῷ *primi.*

293. *Feris alieno, &c.*] Prætervehentis advena ex alibi orto fluv.

295. *Arcanum natura, &c.*] Fontes Nili ignotos, quem tamen Ptolemæus & alii è Lunæ montibus oriri referunt: Vitruvius ex Atlante Mauritaniæ, Jubam secutus.

296. *Parvum.*] Nascentem. *Sulpitius.*

298. *Consurgere in ipsis Jus tibi solstitiis, aliena crescere bruma, Atque hiemes efferre tuas.*] Hiemes vocat abundantiam aquarum, quam in nostro orbe tempore fere hiberno experimur. Scribo autem *efferre*, ut habent quidam codices & vetustissima Romana editio, non *adferre.* Plinius in Panegyr. *quia piger Nilus cunctanter alveo sese ac languide extulerat.* Gronovius. *Consurgere, &c.*] Crescere, exundare, ut supra ψ. 215. & deinceps.

299. *Solstitiis.*] Solstitio æstivo. *Aliena crescere bruma.*] Diversa ab aliis fluv. ratione supra ψ. 228.

300. *Hyemes adferre tuas.*] Incrementum tuum, quasi hybernum.

301. *Per utrosque polos.*] Per terras longe ab utraque Æquatoris parte recedentes ad utrunque polum. *Hic quæritur ortus.*] Apud nos ad Arcticum sitos, de origine tua quæstio est.

Illic finis aquæ. latè tibi gurgite rupto
Ambitur nigris Meroë fecunda colonis,
Læta comis hebeni: quæ, quamvis arbore multa
305 *Frondeat, æstatem nulla sibi mitigat umbra:*
Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.
Inde plagas Phœbi, damnum non passus aquarum,
Præveheris, sterilesque diu metiris arenas,
Nunc omnes unum vires collectus in amnem,
310 *Nunc vagus, & spargens facilem tibi cedere ripam,*
Rursus multifidas revocat piger alveus undas,
Quà dirimunt Arabum populis Ægyptia rura
Regni claustra Philæ. mox te deserta secantem,
Quà dirimunt nostrum rubro commercia Pontum,
315 *Mollis lapsus agit. quis te tam lenè fluentem*
Moturum tantas violenti gurgitis iras,
Nile, putet? sed cùm lapsus abrupta viarum

Exce-

302. *Illic finis aquæ.*] Apud Antarcticos, de exitu & ostiis. *Gurgite rupto, &c.*] Dividente se Nilo & Meroën inf. circundante.

304. *Hebeni.*] Supra ℣. 117. *Quæ quamvis, &c.*] Meroën premit Sol cum obtinet decimam quartam partem Leonis. vide lib. 1. ℣. 587.

306. *Linea tam rectum, &c.*] Illa regio linea tam perpendiculari Soli in Leone subjacet.

307. *Plagas Phœbi.*] Zonam torridam. *Damnum non passus aquarum.*] Diminutionem, attrahentibus illum Sole & sideribus.

308. *Metiris arenas.*] Pervagaris per arenas steriles. *Hortens.*

309. *Nunc omnes unum, &c.*] Modo in uno amne, omnibus suis aquarum viribus collectis decurrit: nunc vagus egreditur ripas suas, quæ facile undarum impetui cedunt. *Hortens.*

311. *Rursus multifidas, &c.*] Paulò post redit aqua in alveos suos, ubi Ægyptus, inquit, ab Arabia dividitur. Et monstrat locum, quasi digito, ubi *Philæ* sunt, quas claustra regni vocat. *Hortensius.*

312. *Quà dirimunt Arabum, &c.*] Ubi Ægyptus ab Arabia dividitur, ad Philas opp. Straboni lib. 17. Ptolom. & Heliodoro l. 8. sed Plinio inf. lib. 5. cap. 9. & Senec. lib. 4. cap. 2.

313. *Claustra Philæ.*] Fines. vel alludit ad τὰς πύλας. Solinus cap. 45. Catadupas appellat Nili claustra. *Mox te deserta secantem.*] Rursum lentior fluit per ea deserta, qua Rubrum mare dirimit nostrarum gentium commercia. *Hortens.*

314. *Quà dirimunt, &c.*] Qua non ita multum Mediterraneum mare ab Erythræo ceu rubro dividitur.

317. *Sed cùm lapsus, &c.*] Nec alibi torrentior, vectus aquis properantibus ad locum Æthiopum, qui Catadupi vocantur, novissimo Cataracte inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore sed ruere creditur. postea lenis, &c. Plin. lib. 5. cap. 9.

318. *Pre-*

Excepêre tuos, & præcipites cataractæ,
Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
320 *Indignaris aquis: spuma tunc astra lacessis:*
Cuncta fremunt undis: ac multo murmure montis
Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.
Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,
Terra potens, primos sentit percussa tumultus,
325 *Et scopuli, placuit fluvii quos dicere venas,*
Quòd manifesta novi primum dant signa tumoris.

Hinc

318. *Præcipites cataractæ.*] Partim enim, ut Mela inquit, asper decurrit, propter cataractas, hoc est præcipites & torrentes undarum, ex asperis & urgentibus scopulorum angustiis lapsus, qui in Nilo multi sunt, ob crebra insularum, ruplumque è medio alveo extantium impedimenta; mitem alioquin & dulcissimi haustus fluvium, immania rupium obstacula ita exasperant, ut sævus, non sua culpa insurgat. *Hortens.*

319. *Ac nusquam, &c.*] Atque indignaris ullas cautes obsistere tuis aquis, nusquam alibi inhibitis.

320. *Spuma tunc astra lacessis.*] Frequentia illic saxa scopulis similia aquam magna vertigine mirabilique allisam reflectunt, inque contrarium cursum spumis agunt redundantibus, &c. Diod. Sic. Senec. Nat. quæst. 4. scopulis asperatur, &c. Solin. cap. 45. Mela lib. 1. cap. 9.

323. *Hinc Abatos, quam nostra vocat veneranda vetustas Petra potens, primos sentit percussa tumultus.*] Sic legendum. nam malè est etiam in optimis, *Terra potens.* petra est & saxum, non terra. *tumultus* autem vocat, Nili tumores & auctus. Locum Sen. Natural. Quæst. 1v. totum Lucanus versibus expressit. Sequitur enim:

Et scopuli placuit fluvii quos dicere venas.

Πηγὰς Νείλου Græci vocant. deinde

Quod manifesta novi primum dant signa tumoris.

Hos montes natura vagis circumdedit undis
Qui Libyæ te Nile negent: quos inter ut alta
In convalle jacens stat molibus unda quietis.

Sic legendi hi versus, qui vulgò non tam sinceri. montium objectu pressum ait Nilum Seneca, ne in latitudinem excederet. Lucanus montes à natura vagis aquis Nili circumdatos, qui eum Libyæ negarent. nam si in latitudinem excederet, Libyam utique perfunderet, non Ægyptum. at montibus illis pressus & coërcitus rectà exit in Ægyptum. inter montes illos Nilum, ut alta in convalle molibus quietis stare dicit: nam moles aquarum quietæ ac veluti stantes in profundo & alto alveo, qui veluti convallis locum obtinet, inter duos montes altissimos. Fontem ergò venasque Nili inter Syenen & Elephantinen Ægyptii constituebant in medio duorum eminentium saxorum. vide *Salmas.* Plin. Exerc. p. 439. latius & accuratius hac de re differentem. *Abaton quam, &c.*] Petra ceu insula Nili prope Philas ad primum cataractam, inaccessibilis, unde nomen.

325. *Placuit fluvii, &c.*] Quos nonnulli fontes Nili credebant.

326. *Quod manifesta, &c.*] Quod hic primum intra alveum fluere, hinc increscere apparet. *Signa tumoris.*] Hic *tumorem* pro mole aquæ posuit. *Salmas.*

Hinc montes Natura vagis circumdedit undis,
Qui Libya te, Nile, negant: quos inter ut alta
In convalle jacens flat molibus unda receptis.
330 *Prima tibi campos permittit, apertaque Memphis*
Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.
Sic velut in tuta securi pace trahebant
Noctis iter media: sed non vesana Pothini
Mens imbuta semel tam sacra cede, vacabat
335 *A scelerum motu. Magno nihil ille peremto*
Jam putat esse nefas: habitant sub pectore manes,
Ultricesque Dea dant in nova monstra furorem.
Dignatur viles isto quoque sanguine dextras,
Quo Fortuna parat victos perfundere Patres;
340 *Pœnaque civilis belli, & vindicta Senatus*
Penè data est famulo. procul hoc avertite fata
Crimen, ut hac Bruto cervix absente secetur.
In scelus it Pharium Romani pœna tyranni,

Exem-

327. *Hinc montes, &c.*] Subinde insulis impactus, totidem incitatus irritamentis, postremo inclusus montibus, &c. Plin. lib. 5. cap. 9.

328. *Qui Libya te Nile.*] Qui te ab Africa divertunt. *Quos inter ut alta, &c.*] Nostra est mutatio. antea fuit *&*. in quibusdam *in*, & versu sequente pro *in*, *it*. Alveus fluminis montes inter, convallis obtinet speciem. Olim sic conjeceramus legendum; sed tutius Mss. sequi: *quos inter in alta It convalle tacens jam moribus unda receptis.* Non jam cum tumultu ruit, sed silentii & modestiæ retinens labitur. *Grot. Quos inter, &c.*] Inter quos montes Nilus flagrans obtinet convallis speciem.

330. *Prima tibi campos, &c.*] Memphis prima urbs est planæ & jacentis Ægypti, unde exundare incipit Nilus, nullis ripis fluvium coërcentibus. vetatque ripas ponere modum crescendi.

332. *Sic velut in tuta, &c.*] Hujusmodi colloquiis totam noctem, quasi nullum esset bellum, exemerunt. Et sic porro ad historiam redit. *Hortens.*

334. *Cede.*] Pompeji.

335. *Magno peremptо nihil, &c.*] Interfecto jam Pompejo, omnia sibi licere existimabat; ergò novum scelus animo agitabat. *Hortens.*

336. *Manes.*] Umbra Pompeji.

337. *Dant in nova monstra furorem.*] Excitant hominis animum ad novum furorem, & immane scelus audendum, quod nunc *nova monstra* appellat. *Hort.*

338. *Viles.*] Eunuchi Pothini & Achillæ. *Isto quoque, &c.*] Cæsaris, ut modo Pompeji.

340. *Pœnaque civilis belli, &c.*] Patrum & Bruti dextris ereptæ libertatis vindicibus futuris, pene præripuerat Cæsaris cædem famulus Pothinus.

342. *Bruto cervix, &c.*] M. Bruto Cæsaris interfectore futuro, lib. 7. v. 586.

343. *In scelus it Pharium.*] Ægyptiorum

Exemplumque perit. struit audax irrita fatis,
345 *Nec parat occulta cædem committere fraudi:*
Invictumque ducem detecto Marte lacessit.
Tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Cæsaris, & socerum jungi tibi, Magne, juberet;
Atque hæc dicta monet famulos perferre fideles
350 *Ad Pompejanæ socium sibi cædis Achillam,*
Quem puer imbellis cunctis præfecerat armis,
Et dederat ferrum, nullo sibi jure retento,
In cunctos, in seque simul. Tu mollibus, inquit,
Nunc incumbe toris, & pingues exige somnos:
355 *Invasit Cleopatra domum. nec prodita tantùm est,*
Sed donata Pharos. cessas accurrere solus
Ad dominæ thalamos? nubet soror impia fratri:
Nam Latio jam nupta duci est: interque maritos
Discurrens Ægypton habet, Romamque meretur.
360 *Expugnare senem potuit Cleopatra venenis.*

Crede

rum conatu & insidiis, à quibus nefas est, eum occidi. *Hortens. In scelus it Pharium, &c.*] Pœna à Cæsare tyranno sumenda Romanis pene factum erat scelus Ægyptiorum, & tyrannicidæ gloria atque exemplum prope perierat.

344. *Exemplumque perit.*] Quod tyrannus jure à suis debeat occidi. *Hort.* Vel factum Bruti, quod sit posteritatem in Tyrannos excitaturum. *Sulpit. Irrita fatis.*] Quæ in fatis non erat perficere.

345. *Nec parat occulta, &c.*] Erat in procuratione regni propter ætatem pueri nutricius ejus eunuchus Pothinus. is primum inter suos queri atque indignari cœpit, regem ad dicendam causam evocari: deinde adjutores quosdam conscios sui nactus ex regiis amicis, exercitum à Pelusio claim Alexandriam evocavit. atque Achillam, quem omnibus copiis præfecerat incitatum suis, & regis inflatum pollicitationibus; quæ fieri vellet, literis nunciisque edocuit. Cæs. com. civ. bell. 3.

353. *Tu mollibus, &c.*] Ex obliquo segnitiem illius arguens: Achillam ad cædem Cæsaris excitat.

355. *Domum.*] Regiam.

356. *Sed donata Pharos.*] Sed palam donatum est Cleopatræ à Cæsare Ægypti regnum. *Cessas accurrere solus.*] Cessas, vel si solus esses neque tali exercitu instructus, accurrere ad has nuptias opprimendas & præveniendas?

357. *Nubet soror, &c.*] Ita feci ex Ms. in quibus *nubit.* vulgati pejus, *nupsit.* Grotius. *Nubet soror impia fratri.*] Procul dubio efficiet Cæsar cui illa jam vice uxoris est, ut Cleopatra concilietur Ptolemæo.

359. *Discurrens, &c.*] Per vices. *Meretur.*] Noctibus.

360. *Senem potuit.*] Cæsarem. *Venenis.*] Philtris, veneficiis amoris, illecebris & lenociniis f[illegible]x.

361. *Crede*

Crede miser puero: quem nox si junxerit una,
Et semel amplexus incesto pectore passus
Hauserit obscœnum titulo pietatis amorem,
Meque, tuumque caput, per singula sortitus illi
365 *Osculis donabit. crucibus, flammisque luemus*
Si fuerit formosa soror. nil undique restat
Auxilii: rex hinc conjux, hinc Cæsar adulter:
Et summus, ut fatear, tam sæva judice sontes.
Quem non è nobis credet Cleopatra nocentem
370 *A quo casta fuit? per, te, quod fecimus unà,*
Perdidimusque nefas, perque ictum sanguine Magni
Fœdus, ades: subito bellum moliere tumultu:
Irrue: nocturnas rumpamus funere tedas,
Crudelemque toris dominam mactemus in ipsis
375 *Cum quocunque viro. nec nos deterreat ausis*
Hesperii Fortuna ducis. quæ sustulit illum,
Imposuitque orbi, communis gloria nobis:
Nos quoque sublimes Magnus facit. aspice littus

Spem

361. *Crede miser puero.*] Ms. *puerum.* Crede jam Cleopatræ Ptolemæum; illi inquam, quæ senem Cæsarem potuit in amorem sui pellicere. *Gyrtius. Crede miser puero.*] Ironice.

362. *Incesto pectore passus.*] Sororis, quam duxerit in matrimonium.

363. *Hauserit, &c.*] Incestum velaverit conjugii nomine.

366. *Si fuerit formosa soror.*] Si forma sororis fratri placere cœperit.

368. *Sæva judice sontes.*] Cleopatra.

369. *Nocentem, &c.*] Vel hoc nomine. quod non & nos cum illa consuetudinem habuimus.

370. *Per te.*] Obtestatio. *Quod fecimus una.*] Obtestatur Achillam per scelera & nefaria inter se perpetrata, ut quam primum cum exercitu appropeet; obtestatur [illegible] fœdus, sanguine Pompeji medio fuso ceu libamine, percussum. *Hortens.*

371. *Perdidimusque nefas.*] Male collocavimus, nullum consecuti illius præmium; nisi & novum hoc scelus adjungamus. *Ictum sanguine Magni, &c.*] Allusum ad morem faciendi fœderis.

373. *Tedas.*] Nuptias.

375. *Cum quocunque viro.*] Ptolemæo, ceu Cæsare. *Nec nos deterreat, &c.*] Occupat quod objici posset, quo à cæde deterrerentur. Cæsarem bellis tot victorem & fortunatum esse: Periculum fore, ut consilium infeliciter caderet. *Hesperium ducem*, Cæsarem vocat. *Hort.*

376. *Sustulit illum.*] Evexit.

377. *Communis gloria nobis.*] Occupat occupatione gloriam communem ex cæde utriusque Pompeji & Cæsaris paranda. *Hortens.*

378. *Nos quoque, &c.*] Nos quoque gloriam

Digitized by Google

Spem nostri sceleris: pollutos consule fluctus
380 *Quid liceat nobis: tumulumque è pulvere parvo*
Aspice Pompeji non omnia membra tegentem.
Quem metuis, par hujus erat. non sanguine clari:
Quid refert? nec opes populorum, ac regna movemus.
Ad scelus ingentis fati sumus. adtrahit illos
385 *In nostras Fortuna manus. en altera venit*
Victima nobilior. placemus cæde secunda
Hesperias gentes. jugulus mihi Cæsaris haustus
Hoc præstare potest, Pompeji cæde nocentes
Ut populus Romanus amet. quid nomina tanta
390 *Horremus, viresque ducis, quibus ille relictis*
Miles erit? nox hæc peraget civilia bella,
Inferiasque dabit populis, & mittet ad umbras,

Quod

gloriam hanc cum Cæsare dividimus: ille devicit, nos interfecimus. *Livius.*] In quo cæsus est Pompejus, ubi jacet sepultus.

379. *Spem nostri sceleris.*] Quod jubeat nos sperare idem posse in Cæsare. *Pollutos, &c.*] Cæde Pompeji.

382. *Quem metuis, &c.*] Cæsaris Fortuna & gloria non majores sunt quam fuere illæ Pompeji. *Non sanguine clari.*] *Object.* Sed nos, inquies, non sumus genere clari.

383. *Quid refert?*] *Solut.* Neque tamen nos (quod illi fecerunt) solicitavimus populos & reges in nostra auxilia & ad exequendum quod proposuimus. ad quod ipsi per nos sufficimus. *Nec opes populorum.*] Nec opes populorum movemus; sed ipse se ultrò offert nobis, & ad scelus ingentes facti sumus, postquam semel occidimus Pompejum. *Hortens.*

384. *Ad scelus ingentis fati sumus.*] Magnum est fatum nostrum & potens ad scelera. Ita Grotius qui hanc lectionem probat. Alteram lectionem, *Ad scelus ingentes facti sumus*, adstruere poterit illud Lyci apud Senec. in Herc. Fu. ℣. 337. *nobiles non sunt mihi Avi, nec aliis inclytum titulis genus: Sed clara virtus, &c. prosperum autem*, ut habetur in eadem tragœdia ℣. 250. *ac felix scelus Virtus vocatur. Adtrahit, &c.*] *Illos* scil. populos, ipsa fortuna ultrò nobis conciliat & quasi in manus tradit. Altera victima hic objecta, qua gentes ac populos externos placemus. *Micyllus.*

385. *Altera, &c.*] Cæsar.

386. *Placemus cæde secunda, &c.*] *Rituale verbum* quando priore litatum non sit. *Metaphora à sacris.*

387. *Jugulus mihi, &c.*] Cæsaris invisi cæde conciliabimus nobis Romanos offensos de Pompeji.

388. *Nocentes.*] Nos Ægyptios, quos odit. *Sulpit.*

390. *Quibus ille relictis, &c.*] Quos titulos & nomina si illi adimas, nil nisi miles est. sic lib. 5. ℣. 366. *privatum fastura juventus.*

391. *Nox hæc peraget.*] A facili: una hac nocte, interfecto Cæsare, finem imponemus bello civili. *Hortens.*

392. *Inferiasque dabit populis.*] Cæsarem, tanquam sacrificium umbras cæsorum pop. placatum.

394. *Pra-*

Digitized by Google

Quod debetur adhuc mundo, caput. ite feroces
Cæsaris in jugulum: præstet Lagea juventus
395 *Hoc regi, Romana sibi. tu parce morari:*
Plenum epulis, madidumque mero, Venerique paratum
Invenies: aude: Superi tot vota Catonum,
Brutorumque tibi tribuent. Non lentus Achillas
Suadenti parère nefas. haud clara movendis,
400 *Ut mos, signa dedit castris, nec prodidit arma*
Ullius clangore tubæ: temere omnia sævi
Instrumenta rapit belli. pars maxima turbæ
Plebis erat Latiæ: sed tanta oblivio mentes
Cepit, in externos corrupto milite mores,
405 *Ut duce sub famulo, jussique satellitis irent,*
Quos erat indignum Phario parere tyranno.
Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur,
Venalesque manus: ibi fas, ubi maxima merces:
Ære merent parvo: jugulumque in Cæsaris ire
410 *Non sibi dant. prò fas! ubi non civilia bella*

Inve-

394. *Præstet Lagea juventus, &c.*] In castris tuis milites Ægyptii præstent hanc libertatis gratiam regi suo, quem Cæsar apud se tenet tanquam captivum: Romani (ut mox v. 403.) sibi oppressore scil. libertatis Cæsare caso.

397. *Catonum, &c.*] Catonis, Scipionis, Bruti, &c. quibus hoc maxime invotis est.

398. *Non lentus Achillas, &c.*] Dum Cæsar laboraret controversias regum componere: subito exercitus regius, equitatusque omnis venire Alex. nunciatur, &c. Cæs. com. civ. bell. 3.

400. *Nec prodidit arma.*] Silentio petebat Alexandriam, ut incautum ac securum Cæsarem opprimeret. *Horatius.*

402. *Pars maxima turbæ, &c.*] Erant cum Achilla copiæ, ut neque numero, neque genere hominum, neque usu rei militaris contemnendæ viderentur. milia enim viginti in armis habebat. Ex constabant ex Gabinianis militibus: qui jam in consuetudinem Alexandrinæ atque licentiam venerant, & nomen disciplinamque pop. Romani dedidicerant, uxoresque ducerant, &c. Cæs. com. civ. bell. 3.

403. *Sed tanta, &c.*] Indignationem hujusmodi vide apud Horat. Ode 5. l. 3.

405. *Duce.*] Achilla.

406. *Phario parere tyranno.*] Ipsi regi Ægyptio.

408. *Venalesque manus.*] Non ex animo suo aut se in libertatem vindicaturi; sed stipendio conducti.

410. *Non sibi dant.*] Hoc est, non sua sponte & authoritate mortem Cæsaris petunt, ut hostis, sed stipendio conducti, quo ad nulla non flagitia impellantur, id sunt facturi. *Hor.* *Ubi non civilia bella, &c.*] Milites Rom. qui non interfuc-

Digitized by Google

Invenit imperii fatum miserabile nostri?
Thessaliæ subducta acies in littore Nili
More furit patrio. quid plus te, Magne, recepto
Ausa foret Lagea domus? dat scilicet omnis
415 *Dextera, quod debet Superis: nullique vacare*
Fas est Romano. Latium sic scindere corpus
Diis placitum: non in generi, socerique favorem
Discedunt populi. civilia bella satelles
Movit, & in partem Romanam venit Achillas.
420 *Et nisi fata manus à sanguine Cæsaris arcent,*
Hæ vincent partes. aderat maturus uterque:
Et districta epulis ad cunctas aula patebat
Insidias: poterátque cruor per regia fundi
Pocula Cæsareus, mensæque incumbere cervix.
425 *Sed metuunt belli trepidos in nocte tumultus,*
Ne cædes confusa manu, permissaque fatis
Te, Ptolemæe, trahat. tanta est fiducia ferri.
Non rapuêre nefas: summi contemta facultas

Est

terfuerant prælio Pharsalico, hic tamen in Ægypto civili sanguine manus imbuere parant, sic lib. 8. ✠ſ. 601.

413. *Magne.*] Aversio ad Pompejum. qui si revivisceret; quid Ægyptii plus contra Cæsarem efficere potuissent, quam eo mortuo jam fecerunt. *Hortens. Te, Magne, &c.*] Si Pompejum exceptum tuerentur armis Ægyptii?

414. *Dat scilicet omnis, &c.*] Omnis ubique Rom. dextra se immiscet bello huic civili ita volentibus Superis.

416. *Latium sic scindere Diis placitum.*] Ita Diis visum res Rom. & vires unitas divellere & dissolvere factionibus; neque his Pompeji & Cæsaris, sed tertias partes se quoque ingerit satelles Ægyptius Achillas.

420. *Et nisi fata manus.*] Et nisi fatis reservatus esset Cæsar interficiendus Romæ; hic certe ab his fuisset oppressus.

421. *Aderat maturus uterque.*] Pothinus intra; Achillas extra urbem. Plutarchus refert, tonsorem Cæsaris, hominem timidissimum, dum omnia curiose exploraret, percepisse insidias Cæsari strui ab Achilla & Pothino, indiciumque rei detulisse, Cæsarem cœnaculum præsidio cinxisse, & Pothinum interfici jussisse. Achillam vero fuga in castra elapsum intulisse ei difficillimum bellum, &c. Aliter Cæs. lib. 3. de bello civil.

422. *Districta.*] Impedita, distracta,

426. *Ne cædes confusa, &c.*] Ne qua forte & ipse rex Ptolemæus in tumultu pereat.

428. *Non rapuere nefas.*] Non itaque temere & raptim aggressi sunt facinus. *Summi contemta, &c. visum famulis.*] Visum est iis occasionem hanc omittere atque oportunius resumere die insequente.

433. *Di-*

Est operis: visum famulis reparabile damnum,
430 *Illum macandi dimittere Cæsaris horam.*
Servatur pœnas in aperta luce daturus.
Donata est nox una duci, vixitque Pothini
Munere Phœbeos Cæsar dilatus in ortus.
Lucifer à Cæsia prospexit rupe, diemque
435 *Misit in Ægyptum primo quoque sole calentem:*
Cùm procul à muris acies non sparsa manipli,
Nec vaga conspicitur, sed justos qualis ad hostes
Recta fronte venit. passuri comminus arma,
Laturique ruunt. at Cæsar mœnibus urbis
440 *Diffisus, foribus clausæ se protegit aula,*
Degeneres passus latebras. nec tota vacabat
Regia compresso: minima collegerat arma
Parte domus: tangunt animos iraque, metusque:
Et timet incursus, indignaturque timere.
445 *Sic fremit in parvis sera nobilis abdita claustris,*
Et frangit rabidos præmorso carcere dentes.
Non secus in Siculis fureret tua flamma cavernis,
Obstrueret summam si quis tibi Mulciber Ætnam.
Audax Thessalici qui nuper rupe sub Ami,

Hespe-

433. *Dilatus in ortus.*] In Incem sequentis diei, ut sine regis periculo res geri posset, eadem differre placuit. *Hortensius.*

434. *Lucifer.*] Notatio Auroræ. *Cæsia prospexit rupe.*] Monte Casio, qui ad Orientem Alexandriæ est. libro 8. ℣. 463.

435. *Primo quoque, &c.*] Recte quippe orto.

437. *Sed justos, &c.*] Sed collecta & instructa.

438. *Passuri comminus, &c.*] Achillas copiis suis fidens, paucitatemque militum Cæsaris despiciens, occupabat Alexandriam, præterea oppidi partem quam Cæsar cum militibus tenebat, &c. Cæs. comment. 3.

439. *At Cæsar mœnibus, &c.*] Cæsar à percussoribus Pompeji obsessus in regia, quamvis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute sustinuit. *Florus.*

441. *Nec tota vacabat Regia compresso.*] Neque sufficit parva Cæsaris manus tuendæ toti regiæ.

445. *Sic fremit in parvis, &c. Non secus in Siculis.*] Indignatur, instar Leonis caveæ inclusi, clathros morditus prehendentis; furitque non secus atque Ætna. lib. 5. ℣. 99. si quis foramina illius obstruere laboret.

448. *Mulciber.*] Vulcanus. *Apostrophe.*

449. *Audax Thessalici, &c.*] Cæsar, qui nuper in Pharsalicis campis minium

Digitized by Google

450 *Hesperia cunctos proceres, aciemque Senatus,*
Pompejumque ducem, causa sperare vetante,
Non timuit, fatumque sibi promisit iniquum,
Expavit servile nefas, intraque penates
Obruitur telis; quem non violasset Alanus,
455 *Non Scytha, non fixo qui ludit in hospite Maurus.*
Hic; cui Romani spatium non sufficit orbis,
Parvaque regna putat Tyriis cum Gadibus Indos,
Ceu puer imbellis, ceu captis femina muris,
Quærit tuta domus: spem vitæ in limine clauso
460 *Ponit, & incerto lustrat vagus atria cursu:*
Non sine rege tamen; quem ducit in omnia secum,
Sumturus pœnas & grata piacula morti;
Missurusque tuum, si non sint tela, nec ignes,
In famulos Ptolemæ caput. sic barbara Colchis
465 *Creditur ultorem metuens regnique, fugæque,*
Ense suo, fratrisque simul cervice parata
Expectasse patrem. cogunt tamen ultima rerum

Spem

mium ausus est, nimium speravit; jam trepidavit. *Amplificatio. Æmi.*] Thraciæ quidem montis: sed nostro semper fere Thessaliæ.

451. *Causa sperare vetante.*] Iniqua, nec felicem exitum promittente.

452. *Fatum iniquum.*] Injustam victoriam. *Sulpit.*

453. *Servile nefas.*] Scelesta Achillæ satellitis regii arma.

454. *Quem non violasset.*] *Altera exaggeratio. Alanus.*] Scythiæ Europeæ pop.

455. *Non fixo, &c.*] Non Mauri inhospitales, qui per lusum & exercendi gratia hospites pro scopo positos sagittis confingunt.

456. *Hic, cui Romani, &c.*] Hic cui non suffecit Romanum Imperium ab Indis usque in Oriente ad Gades in Occidente, insulam in qua colonia Tyriorum. *omnes terræ quæ sunt à Gadibus usque Ad Gangem.*

459. *Tuta domus, &c.*] Pars erat regiæ exigua, in quam ipse habitandi causa initio erat inductus, &c. Cæs. com. civ. bell. 3.

461. *Non sine rege tamen.*] Regem ut in sua potestate haberet, Cæsar effecit, magnamque regium nomen apud suos auctoritatem habere existimans, &c. ibid. *Omnia secum.*] Loca omnia, vel eventum omnem.

462. *Pœnas.*] A rege.

464. *Famulos Ptolemæ caput.*] Achillam & alios. *Sic barbara Colchis.*] Non secus ac Medea insequentem patrem aurei velleris proditi vindicem morata est, fratrem Absyrtum discerpendo dispergendoque. vide quæ nos ad Sen. Med. ℣. 44.

466. *Cervice parata.*] Ad omnem eventum & casum mortis. *Hortens.*

467. *Cogunt tamen, &c. missusque satellites, &c.*] Missi à rege ad Achillam

Spem pacis tentare ducem: missusque satelles
Regius, ut sævos absentis voce tyranni
470 *Corriperet famulos, quo bellum auctore moverent.*
Sed neque jus mundi valuit, neque fœdera sancta
Gentibus: orator regis, pacisque sequester,
Æstimat in numero scelerum ponenda tuorum
Tot monstris Ægypte nocens. non Thessala tellus,
475 *Vastaque regna Jubæ, non Pontus, & impia signa*
Pharnacis & gelido circumfluus orbis Ibero
Tantum ausus scelerum, non Syrtis barbara, quantum
Delitiæ fecêre tuæ. premit undique bellum,
Inque domum jam tela cadunt, quassantque penates.
480 *Non aries uno moturus limina pulsu,*

Fra-

Serapion & Dioscorides, (inquit Cæs. com. 3. civ. belli) quos ille, prius quam audiret, aut, cujus rei causa missi essent cognosceret, corripi ac interfici jussit, &c.

469. *Absentis tyranni, &c.*] Regis Ptolemæi.

471. *Jus mundi valuit.*] Jus gentium, quo sacrosancti sunt legati.

472. *Sequester.*] Mediator, legatus.

473. *Æstimat in numero.*] Conjectura nostra est: *Res minima in numero.* Sensus mihi videtur: Legati cædes apud alias gentes maximum est scelus; sed inter Ægypti scelera minimum. Nihil me movent Mss. Itaque perseverо in veteri conjectura, *Res minima:* nisi malis, *res ima.* Legati autem hi regii vocabantur Dioscorides & Serapio: ut ex Livio ad hunc locum notat vetus Scholiastes in Ms. P. Sed & in commentario de bello Alexandrino eadem exstat historia. *Grotius. Æstimat in numero.*] Æstimationem ceu specimen dat scelerum Ægypti.

474. *Monstris, &c.*] Sceleribus. *Non Thessala tellus.*] *Amplificatio.* Non bellum Thessalicum, quo cum Pompejo conflixit. non Africum, quo Scipionem & Jubam Mauritaniæ regem devicit: non Ponticam, quo Pharnacem Mithridatis F. occasione civilis belli capta, patrium regnum in potestatem suam redigere conatum vidit, vicit, Ponto expulit: non Hispanica bella, quorum altero Petreium & Afranium Pompeji duces; altero Gn. & Sext. filios Pompeji devicit. Non hæc omnia tantum afflinere Cæsarem, quantum delicati isti famuli atque Eunuchi Ægyptii.

475. *Vastaque regna Jubæ.*] Ad versum 670. *Impia signa, &c.*] Propter defectionem à patre. lib. 1. ℣. 336. & 1. 1. ℣. 657. neenon conatum Bithyniam, Cappadociam, & Armeniam invadendi, principesque ad defectionem pertrahendi.

476. *Gelido, &c.*] Hispania, *quam torrens ambit Iberus.* lib. 7. ℣. 15.

478. *Delicias fecere.*] Ne viriliа quidem portenta, Pothinus atque Ganymedes. Florus lib. 4. cap. 2. *Tuæ.*] Tuæ ô Ægypte.

479. *Inque domum, &c.*] Primo impetu domum ejus irrumpere conatus est, &c. Cæs. com. civ. bell. 3.

480. *Non aries uno, &c.*] Oppugnationem

Fracturusque domum; non ulla est machina belli:
Nec flammis mandatur opus: sed cæca juventus
Consilii, vastos ambit divisa penates,
Et nusquam totis incursat viribus agmen.
485 *Fata vetant, murique vicem fortuna tuetur.*
Necnon & ratibus tentatur regia, quà se
Protulit in medios audaci margine fluctus
Luxuriosa domus. sed adest defensor ubique
Cæsar, & hos aditus gladiis, hos ignibus arcet:
490 *Obsessusque gerit (tanta est constantia mentis)*
Expugnantis opus. piceo jubet anguine tinctas
Lampadas immitti junctis in bella carinis.
Nec piger ignis erat per stuppea vincula, perque
Manantes cerâ tabulas: & tempore eodem
495 *Transtraque nautarum summique arsêre ceruchi.*
Jam propè semustæ merguntur in æquore classes,

Jam-

tionem domus, quam Cæsar tenebat, describit. *Hortens.* *Aries uno motuum.*] Ad ✠ſ. 300. lib. 3.

482. *Nec flammis mandatur opus.*] Nec incendium parant. *Cæca juventus.*] Expers consilii.

485. *Fata vetant, &c.*] Cæsaris Fortuna hostibus ademit consilium, illique præstitit incolumitatem.

486. *Necnon & ratibus tentatur regia.*] Eodem tempore pugnatum est ad portum (inquit Cæsar com. 3.) dum naves longas occupare hostes conarentur; quarum erant auxilio L. missæ ad Pompejum, quæ prœlio in Thessalia facto domum redierant, præter XXII. constratus, quæ præsidii causa Alexandriæ esse consueverant; quas si occupassent, classe Cæsaris erepta, portum ac mare totum in sua potestate haberent, commeatu auxiliisque Cæsarem prohiberent, &c. *Quasi, &c.*] Regiæ enim pars in quam Cæsar habitandi causa initio erat inductus, habebat aditum ad portum & ad reliqua navalia. Cæs. comm. 3.

488. *Luxuriosa domus.*] Vel propter comessationem nocturnam ita à Lucano descriptam: vel propter magnificentiam regiam & eximio splendore structam. Monstrat locum, ubi redintegrata pugna fuerit, ad portum scil. circà navalia. *Hortens.*

491. *Piceo jubet.*] Phalaricas, ad versum 681. lib. 3.

492. *Junctis in bella carinis.*] Navibus quæ præsidii causa Alexandriæ esse consueverant. modo ad ✠ſ. 486.

493. *Stuppea vincula, &c.*] Funes nauticos & tabulas pice unctas. ut l. 3. ✠ſ. 683.

495. *Summique arsere ceruchi.*] Oi κεραῦχοι, cornu habentes, à κέρας & ἔχω. ceruchus est funis rudens, antennarum cornua firmans, suasque habens in puppi ansas, quibus religatur. alii ipsas antennas sic dictas volunt à cornubus quæ habent. *Ceruchi.*] Cornua antennarum. lib. 8. ✠ſ. 177.

Digitized by Google

Jamque hostes, & tela natant. nec puppibus ignis
Incubuit solis: sed quæ vicina fuêre
Tecta mari longis rapuêre vaporibus ignem:
500 *Et cladem fovêre Noti, percussaque flamma*
Turbine, non alio motu per tecta cucurrit,
Quàm solet ætherio lampas decurrere sulco,
Materiaque carens, atque ardens aëre solo.
Illa lues clausa paulum revocavit ab aula
505 *Urbis in auxilium populos. nec tempora cladis*
Perdidit in somnos, sed cæca nocte carinis
Insiluit Cæsar, semper feliciter usus
Præcipiti cursu bellorum, & tempore rapto.
Tunc claustrum pelagi cepit Pharon. insula quondam
510 *In medio stetit illa mari, sub tempore vatis*
Proteos: at nunc est Pellæis proxima muris.
Illa duci geminos bellorum præstitit usus:

Abstu-

497. *Nec puppibus ignis, &c.*] Dum Cæsar coactus suæ saluti consulere classem incendio amoliretur, longius à navali grassatus ignis celeberrimam Ptolemæi Philadelphi bibliothecam absumpsit. Plutarch.

502. *Quam solet, &c.*] Ad ✠ſ. 532. lib. 1. *de cœlo lapsa per umbras Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.* mox, *tum longo limite, sulcus Dat lucem, &c.* Virg. Æneid. 2.

503. *Materiaque, &c.*] Pabulo, ignis alimento.

504. *Lues clausa paulum.*] Incendium. Ita Virg. Æneid. 5. *lentusque carinas Est vapor, & toto descendit corpore pestis. Revocavit ab aula, &c.*] Revocavit multitudinem à regiæ obsidione ad incendium restinguendum.

505. *Nec tempora cladis, &c.*] Neque incendii tempus ita impendit somno, ut sibi deesset.

506. *Perdidit in somnos.*] Ita rectè Ms. *In somnos perdere*, est impendere somno, ita ut rebus melioribus. *Grotius.*

Carinis, &c.] Confestim ad Pharum navibus milites exposuit.

509. *Claustrum pelagi cepit Pharon.*] Hæc enim insula (ait Cæsar comm. 3.) objecta Alexandriæ portum efficit, &c. mox ✠ſ. 513. & supra ✠ſ. 57. *Insula quondam, &c.*] Pharos Alexandriæ nunc ponte conjungitur, olim, ut Homerico carmine proditum est, ab iisdem oris cursu diei totius abducta, &c. Mela lib. 2. cap. 7.

511. *Proteos.*] Qui rex Ægypti fuit tempore belli Trojani. Diod. Sic. & Herod. lib. 1. *At nunc est, &c.*] A superioribus regibus in longitudinem passi. nonagentorum in mare jactis molibus, angusto itinere, & ponte cum oppido jungitur. Cæs. com. 3. civ. bell.

512. *Illa duci geminos, &c.*] Neque enim per pontem in Pharon excurrere, neque è portu solvere in mare poterant hostes. Iis autem (inquit Cæs. com. 3.) invitis, à quibus Pharos tenetur, non potest esse, propter angustias, navibus introitus in portum.

515. *Nec*

Digitized by Google

Abstulit excursus & fauces æquoris hosti;
Cæsaris auxiliis aditus & libera ponti
515 *Ostia permisit. nec pœnas inde Pothini*
Distulit ulteriùs: sed non qua debuit ira,
Non cruce, non flammis, rabido non dente ferarum:
Heu facinus, cervix gladio malè cæsa pependit:
Magni morte perit. necnon subreptæ paratis
520 *A famulo Ganymede dolis pervênit ad hostes*
Cæsaris Arsinoë: quæ castra carentia rege
Ut proles Lagea tenet, famulumque Tyranni
Terribilem justo transegit Achillea ferro.
Altera, Magne, tuis jam victima mittitur umbris.
525 *Nec satis hoc Fortuna putat. procul absit, ut ista*
Vindicta sit summa tua. non ipse tyrannus
Sufficit in pœnas, non omnis regia Lagi.
Dum patrii veniant in viscera Cæsaris enses,
Magnus inultus erit. sed non auctore furoris

Sub-

515. *Nec pœnas, inde Pothini.*] Hæc dum apud hostes geruntur, Pothinus nutricius pueri & procurator regni, cum ad Achillam nuncios mitteret hortaretur que ne negotio desisteret, neve animo deficeret, indicatis deprehensisque internunciis, à Cæsare est interfectus. Cæsar com. civ. bell. 3.

519. *Magni morte perit.*] Gladio & eo mortis genere quo Pompejus lib. 8. ℣. 671. *Necnon subreptà paratis, &c.*] Interim Arsione filia minor Ptolemæi regis, vacuam possessionem regni spezans, ad Achillam se ex regia trajecit, unaque bellum administrare cœpit. sed ortu celeriter inter eos de principatu controversia, cum alter alteri insidiaretur, & summam imperii ipse obtinere vellet; præoccupat Arsinoë per Ganymedem eunuchum, nutricium suum, atque Achillam interficit. Cæs. com. civ. bell. 3. & Hirtius 4.

521. *Arsinoë.*] Filia Ptolemæi minor, Arsinoë.

522. *Achillea ferro.*] Accusativus Græcus ab Ἀχιλλεύς. vel Achilla nominat. Ion. in prima Decl. ut Xerxea Herod. lib. 7.

524. *Altera, Magne, &c.*] Ptolemæus, qui paulo post ad suos elapsus è prœlio fugiens receptusque in navigium, eo demerso multitudine adnatantium, periit. Hirt. com. 4. de bell. Alex. *Regis ipsius corpus obruntum limo repertum est in aureæ loricæ honore.* Florus lib. 4. cap. 2. & Paterc.

525. *Procul absit, &c.*] Requirit Poëta majorem victimam, tum autem & præstantiorem Pompejo; caput nempe ipsius regis Ptolemæi, quod victimam Pompeji umbris dignam suo more arbitratur. *Hortens.*

528. *Dum patrii, &c.*] Donec ipse Cæsar à partibus Rom. in curia cadat Pompeji manibus victima.

529. *Auctore furoris, &c.*] Achilla cæso, Arsinoë sine ullo socio & custode omne imperium obtinebat, exercitus

Digitized by Google

530 *Sublato cecidit rabies: nam rursus in arma*
Auspiciis Ganymedis eunt: ac multa secundo
Prœlia Marte gerunt. potuit discrimine summo
Cæsaris una dies in famam, & secula mitti.
Molis in exiguæ spatio stipantibus armis,
535 *Dum parat in vacuas Martem transferre carinas*
Dux Latius, tota subiti formidine belli
Cingitur: hinc densæ prætexunt littora classes,
Hinc tergo insultant pedites: via nulla salutis:
Non fuga, non virtus, vix spes quoque mortis honestæ.
540 *Non acie fusa, nec magna stragis acervo*
Vincendus tunc Cæsar erat, sed sanguine nullo.
Captus sorte loci pendet, dubiusne timeret,
Optaretne mori; respexit in agmine denso
Scævam perpetuæ meritum jam nomina famæ
545 *Ad campos Epidamne tuos; ubi solus apertis*
Obsedit muris calcantem mœnia Magnum.

citus Ganymedi traditur. Hirt. 4. com.

532. *Potuit discrimine, &c.*] Vel unum illud Cæsaris summo cum discrimine factum meretur in omne ævum propagari.

534. *Molis in exiguæ, &c. Dum parat, &c.*] In aggere. *Plut.* Circa oppugnationem pontis. Suet. Cæs. c. 64. dum milites navibus impositos trajicere in Pharon & propugnare pararet, eruptione hostium subita compulsus in scapham, à multis Ægyptiorum navibus petitus in mare se conjecit, ac per ducentos passus natans ad suos evasit incolumis, elata læva, ne libelli, quos tenebat, madefierent. Hirtius, Suetonius, Plutarchus, Diod. &c.

542. *Captus sorte loci pendet.*] Obsessus atque loci iniquitate pressus, in dubio erat utrum fugeret an mortem fugæ præferret.

543. *Respexit in agmine denso, &c.*] Subiit illius animum memoria & imago Scævæ, qui unus in mediis hostibus fortiter Dyrrhachii sustinuit Pompeji copias, victoriamque ejus moratus est. vide lib. 6. ℣. 141. & deinceps.

545. *Epidamne tuos.*] Ad ℣. 614. l. 2. *Apertis.*] Dirutis, vel æquatis cadaverum strue, ut lib. 6. ℣. 180.

546. *Obsedit muris calcantem.*] Propugnavit castellum sibi creditum, unum ex iis, quibus Cæsar Pompejum ad Dyrrhachium circumvallare instituit. lib. 6. ℣. 29. & 125. *Mœnia Magnum.*] Vallum dirutum & solo æquatum. *Jam Pompejanæ cessi super arduaballi Exiverant Aquilæ.* lib. 6. ℣. 138.

PHARSALIÆ LUCANI FINIS.

Digitized by Google

PETRONII ARBITRI

SPECIMEN BELLI CIVILIS.

Ecce, belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quòd longè meliùs historici faciunt, sed per ambages, deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus; ut potiùs furentis animi vaticinatio appareat, quàm religiosæ orationis sub testibus fides. * tanquam si placet hic impetus, etsi nondum recepit ultimam manum.

ORbem jam totum victor Romanus habebat,
Quà mare, quà terræ, quà sidus currit utrumque,
Nec satiatus erat. gravidis freta pulsa carinis
Jam peragrabantur. si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret tellus quæ fulvum mitteret aurum,
Hostis erat: fatisque in tristia bella paratis
Quærebantur opes. non vulgo nota placebant
Gaudia: non usu plebejo trita voluptas:
Assyria concham laudabat miles in unda.
Quæsitus tellure nitor certaverat ostro.
Hinc Numidæ crustas, illinc nova vellera Setes,
Atque Arabum populus sua despoliaverat arva.

Digitized by Google

Ecce aliæ clades, & læsa vulnera pacis.
Quæritur in silvis Mauri fera: & ultimus Ammon
Afrorum excutitur. ne desit bellua dente
Ad mortes preciosa suas. premit advena classes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.
Heu pudet effari, perituraque prodere fata:
Persarum ritu male pubescentibus annis
Surripuere viros; exsectaque viscera ferro
In venerem fregere: atque ut fuga mobilis ævi
Circumscripta mora properantes differat annos,
Quærit se natura, nec invenit. omnibus ergo
Scorta placent, fractique enervi corpore gressus,
Et laxi crines, & tot nova nomina vestis,
Quæque virum quærunt. Ecce Afris eruta terris
Citrea mensa, greges servorum, ostrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ sensum turbant. hostile ac mobile lignum
Turba sepulta mero circumvenit: omniaque orbis
Præmia, correptis miles vagus extruit armis.
Ingeniosa gula est. Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam vivus perducitur, inde Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cenas,
Ut renovent per damna famem. jam Phasidos unda
Orbata est avibus: mutoque in littore tantùm
Solæ desertis adspirant frondibus auræ.
Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia Patrum:
Est favor in precio, senibus quoque libera virtus
Exciderat, sparsisque opibus conversa potestas,
Ipsaque majestas auro corrupta jacebat.
Pellitur à populo victus Cato: tristior ille est
Qui vicit, fasceſque pudet rapuisse Catoni.

Nam-

Namque hoc dedecus est populi, morumque ruina.
Non homo pulsus erat; sed in uno victa potestas
Romanumque decus. quare tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat, & sine vindice prada.
Præterea gemino deprensam gurgite prædam
Fœnoris illuvies, ususque exederat æris.
Nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus:
Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furens curis latrantibus errat.
Arma placent miseris, detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur. inops audacia tuta est.
Hoc mersam cœno Romam, somnoque jacentem
Quæ poterant artes sana ratione movere,
Ni furor, & bellum, ferroque excita libido?
Tres tulerat Fortuna duces; quos obruit omnes
Armorum strue diversa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet: Libyco jacet æquore Magnus:
Julius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et, quasi non posset tot Tellus ferre sepulcra,
Divisit cineres. hos gloria reddit honores.
Est locus exciso penitus demersus hiatu,
Parthenopen inter, magnæque Dicarchidos arva,
Cocytia perfusus aqua. nam spiritus extra
Qui furit effusus funesto spargitur æstu.
Non hæc autumno tellus viret, aut alit herbas
Cespite lætus ager. non verno persona cantu
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur:
Sed chaos, & nigro squallentia pumice saxa
Gaudent ferali circumtumulata cupressu.
Has inter sedes Ditis pater extulit ora,
Bustorum flammis, & cana sparsa favilla:
Ac tali volucrem Fortunam voce lacessit:
Rerum humanarum, divinarumque potestas,
Fors, cui nulla placet nimium secura potestas,

Digitized by Google

Quæ nova semper amas, & mox possessa relinquis;
Ecquid Romano sentis te pondere victam?
Nec posse ulteriùs perituram extollere molem?
Ipsa suas vires odit Romana juventus,
Et quas struxit opes, malè sustinet. aspice latè
Luxuriam spoliorum, & censum in damna furentem.
Ædificant auro, sedesque ad sidera mittunt:
Expelluntur aquæ saxis: mare nascitur arvis;
Et permutata rerum statione rebellant.
En etiam mea regna petunt. perfossa dehiscit
Molibus insanis tellus, jam montibus haustis
Antra gemunt: & dum varios lapis invenit usus,
Inferni manes cælum sperare jubentur.
Quare age, Fors, muta pacatum in prælia vultum,
Romanosque cie, ac nostris da funera regnis.
Jampridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus
Ex quo Sullanus bibit ensis, & horrida tellus
Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.
Hæc ubi dicta dedit, dextræ conjungere dextram
Conatus, rupto tellurem solvit hiatu.
Tunc fortuna levi defudit pectore voces:
O Genitor, cui Cocyti penetralia parent,
Si modò vera mihi fas est impune profari,
Vota tibi cedent: nec enim minor ira rebellat
Pectore in hoc, leviorque exurit flamma medullas.
Omnia, quæ tribui Romanis arcibus, odi;
Muneribusque meis irascor: destruet istas
Idem, qui posuit, moles Deus. est mihi cordi
Quippe cremare viros, & sanguine pascere luxum.
Cerno equidem gemina jam stratos morte Philippos,
Thessaliæque rogos, & funera gentis Ibera.
Jam fragor armorum trepidantes personat aures.
Et Libyæ cerno tua Nile gementia claustra,

Actia-

Digitized by Google

Actiacosque sinus, & Apollinis arma timentes.
Pande age terrarum sitientia regna tuarum,
Atque animas arcesse novas. Vix navita Porthmeus
Sufficiet simulacra virûm traducere cimba,
Classe opus est. tuque ingenti satiare ruina
Pallida Tisiphone, concisaque vulnera mande.
Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis.
Vix dum finierat, quum fulgure rupta corusco
Intremuit nubes, elisosque abscidit ignes.
Subsedit pater umbrarum, gremioque reducto
Telluris, pavitans fraternos palluit ictus.
Continuo clades hominum venturaque damna
Auspiciis patuere Deûm. namque ore cruento
Deformis Titan vultus caligine texit.
Civiles acies jam tum spirare putares.
Parte alia plenos extinxit Cynthia vultus,
Et lucem sceleri subduxit. rupta tonabant
Verticibus laßis montis juga, nec vaga paßim
Flumina per notas ibant morientia ripas.
Armorum strepitu cælum furit, & tuba Martem
Sideribus transmissa ciet; jamque Ætna voratur
Ignibus insolitis, & in æthera fulmina mittit.
Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis
Umbrarum facies diro stridore minatur.
Fax stellis comitata novis incendia ducit;
Sanguineoque recens descendit Juppiter imbre.
Hæc ostenta brevi solvit Deus. Exuit omnes
Quippe moras Cæsar, vindictæque actus amore
Gallica projecit, civilia sustulit arma.
Alpibus aëriis, ubi Grajo nomine, pulsæ
Descendunt rupes, & se patiuntur adiri,
Est locus Herculeis aris sacer. hunc nive dura
Claudit hiems, canoque ad sidera vertice tollit.
Cælum illinc cecidisse putes. non solis adulti

Man-

Mansuescit radiis, non verni temporis aura:
Sed glacie concreta rigens, hiemisque pruinis
Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.
Hæc ubi calcavit Cæsar juga milite læto,
Optavitque locum, summo de vertice montis
Hesperiæ campos latè prospexit, & ambas
Intentans cum voce manus ad sidera, dixit:
Juppiter omnipotens, & tu Saturnia Tellus,
Armis læta meis, olimque onerata triumphis:
Testor ad has acies invitum arcessere Martem;
Invitas me ferre manus: sed vulnere cogor,
Pulsus ab urbe mea, dum Rhenum sanguine vinco;
Dum Gallos iterum Capitolia nostra petentes
Alpibus excludo: vincendo, certior exul:
Sanguine Germano, sexagintaque triumphis,
Esse nocens cœpi. quanquam quos gloria terret,
Aut qui sunt, qui bella volunt? mercedibus emptæ,
Ac viles operæ; quorum est mea Roma novercæ:
Ut reor, haud impune; nec hanc sine vindice dextram
Vinciet ignavus. victores ite ferentes,
Ite mei comites, & caussam dicite ferro.
Namque omnes unum crimen vocat: omnibus una
Impendet clades. reddenda est gratia vobis:
Non solus vici. quare, quia pœna trophæis
Imminet, & sordes meruit victoria nostra,
Judice fortuna cadat alea. sumite bellum,
Et tentate manus. certe mea caussa peracta est.
Inter tot fortes armatus nescio vinci.
Hæc ubi personuit, de cælo Delphicus ales
Omina læta dedit, populitque meatibus auras.
Nec non horrendi nemoris de parte sinistra
Insolitæ voces flamma sonuere sequenti.
Ipse nitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crevit, & aurato præcinxit fulgure vultus.

Fer-

Fortior ominibus movit Mavortia signa
Cæsar; & insolito gressu prior occupat haustus.
Prima quidem glacies, & cæna juncta pruina
Non pugnavit humus, mitique horrore quievit:
Sed postquam turmæ nimbos fregere ligatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit,
Incaluere nives, mox flumina montibus altis
Undabant modò nata: sed hæc quoque jussa putares.
Stabant & vincta fluctus stupuere pruina:
Et paullo ante lues jam concidenda jacebat.
Tum verò malefida priùs vestigia lusit,
Decepitque pedes. passim turmæque virique,
Armaque congesta strue deplorata jacebant.
Ecce etiam rigido concussa flamine nubes
Exonerabantur, nec rupti turbine venti
Deerant, aut tumida confractum grandine cælum:
Ipsæ jam nubes ruptæ super arma cadebant,
Et concreta gelu Ponti velut unda ruebat.
Victa erat ingenti Tellus nive, victaque cæli
Sidera, victa suis hærentia flumina ripis;
Nondum Cæsar erat: sed magnam nixus in hastam
Horrida securis frangebat gressibus arva.
Qualis Caucasea decurrens arduus arce
Amphitryoniades; aut torvo Juppiter ore,
Quum se verticibus magni demisit Olympi,
Et perituorum disjecit tela Gigantum.
Dum Cæsar tumidas iratus deprimit arces:
Interea volucer motis conterrita pennis
Fama volat, summique petit juga celsa Palati:
Atque hoc Romano attonito fert omnia signa:
Jam classes fluitare mari, totasque per Alpes
Fervere Germano perfusas sanguine turmas.
Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella
Ante oculos volitant. ergo pulsata tumultu

Pectora

Digitized by Google

Pectora per dubias scinduntur territa caussas.
Huic fuga per terras, illi magis unda probatur;
Et patria est Pontus jam tutior. est magis, arma
Qui tentata velit: fatisque jubentibus actum,
Quantum quisque timet, tantum fugit. ocyor ipse
Hos inter motus populus, miserabile visu,
Quo mens icta jubet, deserta ducitur urbe.
Gaudet Roma fuga, debellatique Quirites
Rumoris sonitu mœrentia tecta relinquunt.
Ille manu trepida natos tenet: ille penates
Occultat gremio, deploratumque relinquit
Limen, & absentem votis interficit hostem.
Sunt qui conjugibus mœrentia pectora jungant,
Grandævosque patres; onerisque ignara juventus
Id, pro quo metuit, tantùm trahit. omnia secum
Hic vehit imprudens, prædamque in prælia ducit.
Ac velut ex alto quum magnus inhorruit Auster,
Et pulsas evertit aquas, non arma ministris,
Non regimen prodest: ligat alter pondera pinus,
Alter tuta sinu tranquillaque littora quærit:
Hic dat vela fugæ, Fortunæque omnia credit.
Quid tam parva queror? gemino cum Consule Magnus,
Ille tremor Ponti, sævi quoque terror Hydaspis,
Et piratarum scopulus: modò quem ter ovantem
Juppiter horruerat; quem fracto in gurgite Pontus,
Et veneratus erat submissa Bosporus unda,
Pro pudor! Imperii deserto nomine fugit,
Ut Fortuna levis Magni quoque terga videret.
Ergo tanta lues Divûm quoque numina vidit:
Consensitque fugæ cæli timor. ecce per orbem
Mitis turba Deûm, terras exosa furentes
Deserit; atque hominum damnatum avertitur agmen.
Pax prima ante alias, niveos pulsata lacertos
Abscondit galea victum caput, atque relicto

Orbe

Orbe fugax Ditis petit implacabile regnum.
Huic comes it sincera Fides, & crine soluto
Justitia, ac mœrens lacerâ Concordia pallâ.
At contra, sedes Erebi quà rupta dehiscit,
Emergit latè Ditis chorus, horrida Erinnys,
Et Bellona minax, facibusque armata Megæra:
Letumque, Insidiæque, & lurida Mortis imago.
Quas inter Furor, abruptis ceu liber habenis
Sanguineum latè tollit caput, oraque mille
Vulneribus confossa cruentâ casside velat.
Hæret detritus lævæ Mavortius umbo,
Innumerabilibus telis gravis: atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.
Sentit terra Deos, mutataque sidera pondus
Quæsivere suum. namque omnis Regia cæli
In partes diducta ruit: primumque Dione
Cæsaris acta sui ducit. comes additur illi
Pallas, & ingentem quatiens Mavortius hastam;
Magnaque cum Phœbo soror, & Cyllenia proles
Excipit, ac totis similis Tirynthius actis.
Infremuere tubæ; ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput. hujus in ore
Concretus sanguis, contusaque lumina flebant.
Stabant ærati scabra rubigine dentes;
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque intertorto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.
Hæc ut Cocyti tenebras, & Tartara liquit,
Alta petit gradiens juga nobilis Appennini,
Unde omnes terras, atque omnia littora posset
Aspicere, ac toto fluitantes orbe catervas:
Atque has erumpit furibundo pectore voces:
Sumite nunc gentes accensis mentibus arma;
Sumite, & in medias immittite lampadas urbes.

Vin-

Digitized by Google

Vincetur quicunque latet: non femina cesset,
Non puer, aut ævo jam desolata senectus.
Ipsa tremat Tellus, laceratæque tecta rebellent.
Tu legem, Marcelle tene: tu concute plebem
Curio, tu fortem ne supprime Lentule Martem.
Quid porrò tu Dive tuis cunctaris in armis?
Non frangis portas? non muris oppida solvis,
Thesauros que rapis: nescis tu Magne tueri
Romanas acies? Epidauria mænia quare,
Thessalicosque sinus humano sanguine tingue.
Factum est in terris, quicquid Discordia jussit.

SUP-

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM
LUCANI.

LIBRI SEPTEM.

Authore

THOMA MAIO,

ANGLO.

Digitized by Google

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM LUCANI.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Rex Ptolemæus à Cæsare dimissus bellum parat. Oraculum Serapidis. Ptolemæi mors.

PErdiderant Freta sæva minas, & ab Æquore tutus,
Tutus ab insidiis imbellibus, & sceleratâ
Ægypti rabie consedit littore Cæsar,
Vindictam spirans, tantâque efferbuit ira,
Quantam non Pharii potuit restinguere regni
Exitium. justa est belli data causa gerendi:
Sed pudor, & magnam premit indignatio mentem
Bella dari tam justa, aut mollem audere Canobum
Cæsareas iras, infestaque tela mereri,
Quæ vix armipotens est ausa lacessere Roma;
Nec damno tantas iras leviore luisset
Quam libertatis jactura, & funere Magni.
Quod tamen incolumis per tanta pericula Cæsar
Evasit, Superis poteras ignoscere, Roma,
Si sola Ægyptus redivivæ vulnera dextræ
Et sævos posthac gladios sensura fuisset.
Inferias tibi, Magne, pias hæc bella dedissent
Et gratas Latio. Phariâ de clade triumphum
Victori placida donâsset fronte Senatus,

Digitized by Google

Templa coronasset votis, plausuque superbum
Spectasset lato currum Romana juventus.
Hæc patriæ forsan victoria conciliasset
Cæsaris arma suæ, ni dira sequentia bella,
Ni Libycæ clades, & tristis funera Mundæ
Victrices alio fædassent crimine dextras.
At Nili scelerata cohors, quæ sceptra dedisset
Reginæ Arsinoë, subitò mutata rebellat,
Fœmineum Imperium, fastusque exosa superbos
Eunuchi Ganymedis, & implet castra tumultu.
Nec pavidum murmur; consensu audacia crevit,
Tantaque turba metu pœnarum solvit ab omni.
Nec mora; Delecti ad Tentoria Cæsaris ibant
Invita Arsinoë, pacem Regemque petentes,
Et delictorum veniam, dirumque Photinum
Ut scelerum authorem, & sævum execrantur Achillam,
Qui facinus merita jam tandem morte luissent.
Ausonius Ductor, quamvis jam fervidus ira,
Pacem optans, Phariaque timens regione teneri
Dum procul Æmathiæ coëant fragmenta ruinæ,
Dum, quas dispersit clades Pharsalica, rursus
Jungantur vires, & castra hostilia crescant,
Castigat primò dictis; mox fronte serena
Dat veniam precibus; nec tanta Cæsaris ira
Dignatur viles populos, impendere totos
Irarum fluctus cupiens civilibus armis.
Nil nisi Romani Imperii patriæque ruinas
Aut scelera esse suis aut digna pericula fatis
Credit, & imbellem Ptolemæum in regna remittit.
Quid tandem, miserande puer, tibi proderit ista
Libertas, quam morte lues, regnique ruina?
Tutior ab longe custodia Cæsaris esset
Quam data libertas; nec cum captivus agebas,
Esse nocens poteras. te sævi Cæsaris ira

Libe-

Digitized by Google

Liberat ut fieres. Pharia nam noverat aulæ
Perfidiam, moresque tuos, tua crimina sperans
Ut mox justa cadas Cleopatræ victima regno;
Cujus adulterii pretium Nilotica sceptra
Donabit Cæsar, dulcique impendet amori.
Nec Latium versuta Ducem spes ista fefellit.
Namque infelicem Ptolemæum in regna remissum
(Sive Ægyptiacæ fuit inconstantia gentis,
Seu Regis vitium) confestim oblivio cepit
Et dextræ fideique datæ; nova bella parabat
Consiliis pravis, & spe delusus inani,
Inque suam accelerat properantia fata ruinam.
Et ne subsidiis accrescant castra marinis
Cæsarea, instructam disponit in æquora classem,
Quà levis Ægypto disterminat unda Canobum.
Inceptum visa est primum Fortuna juvare.
Incidit in classem hanc sociis divisa carinis
Cæsaris una ratis, quæ fortem Euphranora vexit:
Hanc omni Pharia puppes statione solutæ
Circumeunt. periit numeris oppressa Triremis.
Regius interea per Deltam Exercitus ibat
Terrestris, multasque via muniverat arces.
Jam belli molem pulcherrima Delta tenebat,
Delta Ægyptiaci decus atque opulentia regni;
Per cujus virides sinuato gurgite campos
Huc illuc ludit Nilus, gyrisque recurrens
Nunc ambit, nunc implicitis intersecat undis
Pinguia culta suis, & nigra ditat arena.
Huic nomen terræ dat littera Delta triformi.
Oceano Boreale latus defenditur, in quem
Infundit sese septeno gurgite Nilus.
Quæ restant latera inde duo, duo brachia Nili
Ultima constituunt. hæc inter brachia, quinque
In mare gurgitibus per Deltam volvitur amnis.

Magnus ab Æthiopum campis nigrantibus amnis
Volvitur, atque uno longe decurrit in alveo
Usque ad planitiem, qua surgit maxima Memphis
Pyramidum aggeribus totum celebrata per orbem.
Indulsit nimium faciles telluris opima
Fertilitas fruges populo, nimiumque pepercit
Agricolæ manibus, tanti jactura laboris
Ut fieri possit; moles ut vulgus inanes,
Vanaque Pyramidum miracla stupesceret Orbis.
Tot potuere manus steriles invertere glebas,
Emendare solum, muris circumdare terras,
Et tanto imbellem munimine cingere gentem,
Ut non incursum populi timuisset Eoi,
Non Persarum acies, pharetrataque robora Susa,
Nec Macedûm ærata cessisset præda Phalangi
Fertilis Ægyptus; sed inexpugnabilis armis,
Atque sui juris seclum mansisset in omne.
Volvitur à Memphi partito gurgite Nilus,
Extremoque Eurum versus ferit æquora cornu
Ad Pelusiacas arces; at gurgite mollis
Alluit Occiduo littus portumque Canobi.
Huic dedit antiquum Menelai Navita nomen,
Littore (si famæ credas) tumulatus in isto,
Cum Pharii justius tenuit diademata regni
Proteus. eripuit Paridi castissimus ille
sperare. liceat sperare timenti. 2,15. *sperare jugulos patrum.* 7,182. *sperat sibi cedere, cessurum.* 9,302
Sperchios Thessaliæ fluvius. 6,367
spes. levant mentes trepidas. 1,523. *spem suam præstare Diis.* 5,42. *spes trahens.* 5,131. *spe vanâ rapi.* 5,227. *spe trahere.* 5,285. *spes suas laxare.* 5,533. *spemque metumque ferre robustè.* 6,419. *spe trepidare.* 7, 297. *spes numquam implenda, insatiabilis.* 7,688
spiramen. 6,90. *spiramina maris.* 2,183
spiramina sub terrâ. 10,247
spirare veneno. 9,679
spiritus, venus. 9,472
spissari in orbem. 4,777
spissari in terram, cùm desinentibus locis arenosis regio fit glebosior. 9,943
spoliare morsu uemus, folia arborum edere. 6,112
sponsor salutis. 9,392
sponte ducum. 1,99. *sponte Deûm.* 1,234. 5,136. *sponte tuâ.* 4, 184. *nil facimus non sponte Dei.* 9,574
spuma canis rabidi usui Magis est. 6,671
spumare cæde. 7,699
squalens tergum elephantis. 6,209. *squalentia arva Africæ præ æstu.* 1,206
squamosa lingua. 4,325
stabilis. nusquam luctando stabilis manet. 9, 470
stagna incerti profundi. 2,571
stagnant penitus. 2,668. *stagnans Padus.* 4,134
stare. stat magni nominis umbra. 1,135. *stare loco.* 1,144. *stat cruor in templis.* 2,103. *stabit hic exsitus armis.* 2,224. *stantes contentæ fune carinæ.* 2,621. *statura res immensa labore.* 3,381. *stans in undis classis.* 3,519. *stare sub ictu fortunæ.* 5,729. *stare irâ.* 6,155. *stare sub uno ictu.* 6,613. *stare, constare.* 7, 93. *stare in dubio.* 7,247. *stare, à partibus stare.* 7, 360. *stans frigidus gladius.* 7,502. *stantis fati vixit Cornelia quasi conjuge victo, vixit stante fortunâ non aliter quàm adversâ.* 8, 158. *stare cervice solutâ, liberum esse.* 9,603. *stabatque sibi non signis. Achates, fulciebat vel sustinebat trabes.* 10,115
stata tempora. 10,240
stationem peragere. 1, 45. *statione solutæ naves.* 4,363
stationes planetarum. 10,203
stella. stellæ minores in medium venêre diem. 1,536. *stellæ redeuntes in faciem puri cæli.* 2, 723. *stellati axes, asseres cuspidibus præfixi.* 3, 455. *stetit æquore bellum.* 3, 566. *stellæ errantes.* 7, 425. *stellæ vagæ, Planetæ.* 9,12
stillare. 7,837. *stillare sanie.* 9,783
stimulare se. 1,208
stimulus. stimulos dare. 1, 120. *stimulos in prælia addere.* 1,263. *stimulos iranum movere.* 2,324. *stimulis majoribus ardens amor* 4,174. *stimulus furoris, æstrum Bellonæ.* 7, 557. *stimulis negantem agens equum.* 8, 3. *stimuli virtutis.* 8,329
stipare, pro, stipari. 10, 534. *stipatum.* 7,492
Stœchades arva, Stœchades insulæ circa ostium Rhodani. 3,516
strangulatorum laqueos ore suo rumpunt magæ. 6,544
strata lectorum purpurea. 10, 123. *plumata.* 125
stricti enses sunt militis, qui stringuntur enses, sunt militum. 5,254
stridere incertum. 6,623
strix nocturna avis. 6,689
structura operum surgens. 6,64

Stry-

Strymon Thraciæ fluvius, unde grues hyeme transiunt in Ægyptum, quæ inde Strymoniæ. 3,199. 5,711
studium. studiisque. odiisque carere. 2, 377. *studiis partis agi.* 4,348. *studium belli.* 7,695. *studium laboris florigeri, de apibus.* 9,289
Styx, palus Inferorum, per quam ipsi Dii jurabant, hanc solam pejerare veriti. 6,378,698,749. 7,785. *passim pro Inferis ipsis, & Styginum pro Infernali. Stygius aër, sulphurei vapores.* 6, 91. *pallor.* 6,517. *lacus.* 6,662. *Stygiæ tenebræ.* 3,13. *paludes.* 6, 378. *domus.* 6,514. *umbræ.* 6,569,653. 7,612. 9, 818. *canes, Furiæ.* 6,733. *sorores, Parcæ.* 9,838. *Stygia formido.* 7,770. *nox, mors.* 7,817. *Stygium nefas.* 6,695. *carmen.* 6,766. *regnum.* 7,169
subducere. sidera subducunt nubes. 6,519. *subducere tempus fatis.* 5,733. *Cæsaris oculis subducere mortem, Pompeji.* 7, 673. *subducere vela procellæ.* 6,287
subigere rura. 1,436
subactus Marte, pro, bello fessus, defatigatus vincendo. 7,735
subitus miles, tiro, subitò collectus. 1,312. *sit subitum (improvisum) quodcunque parat Deus.* 2,13. *subitum opus.* 6, 53. *subitus ad mœnia venit.* 6,128. *subitum agmen.* 7,524
submitere signa. 6,243
submissæ preces. 8,594
submovere hyemem tecto. 2,385
submovet amnis mare. 8,445
subrepere in actus. 2,391
subsidere. subsedit cardine tellus. 1,552. *in præceps subsedit humus, de specu profunditatis maximæ.* 6,643. *subsidere, mergi.* 3,695. *subsidere, dolo invadere, insidiari, insidiari.* 5,226
substituit nox sua lumina Phœbo. 4,282
subtexta nox polo. 4,104. *ferro subtexitur æther, multitudine telorum aër obscuratur.* 7,519
succedere vallo. 7,733
successu urgere suos. 1,148. *successibus anceps.* 4,390
succi dulces ab arundine, saccarum. 2,237
sudore fumans armi. 4,754
Suessones Galliæ Belgicæ populi longis armis usi. 1,423
suetus armis. 1,326
Suevi Germaniæ populi. 2,51
sufficere. sufficiens fato. 2,88. *spatio.* 4, 676. *sufficiens complere.* 5,154. *sufficit in regnum.* 6,53. *sufficit ille favor ad fatum belli.* 5,696. *Cæsar nostris non sufficit armis, quia copiæ Cæsaris minores Pompejanis.* 7,368. *non ipse tyrannus sufficit in pœnas.* 10,528. *sufficit in vocem spiritus.* 7,608
sulcus. navium sulci. 2, 703. *spargitur in sulcos Sicoris.* 4, 141. *sulcos trahere.* 5, 562. *sulcus sterilis, sterilitas agrorum.* 8,846. *sulco mollis terra.* 9,627
sulfur æthereum, sulmen. 7,160
summus. summum. movere summa. 2,394. *summus, ultimus.* 2,714. 5,484. *summa mundi tenere.* 5,694. *summa valli.* 6, 175. *summi hominum.* 7,205,585. *summa dies, mors.* 9,208. *summis, exteriore parte.* 10, 114. *summâ in sede jacere, à summo accubare; nisi hic sit, in infimo.* 10,174
summa. voti. 3,497. *rerum nos summa sequitur.* 5, 26. *summa scelerum, caput.* 6,304. *summa pavoris.* 8,51. *stat summa caputque Orbis?* 9,123. *summa vindictæ.* 10,526
summis negatum diu stare. 1,70. *summa dare dii faciles, tueri difficiles.* 1,510. *summa cadunt properante ruinâ.* 5,747. *summa pacem tenent, minima rerum turbantur.* 2,273
super multo sudore exhaustus. 4,303
superenatare. 4,133
superevolare. 3,299
Superi scelerum, Dii scelerum. 7,168
supernæ leges. 9,556
supernè labi. 6,376
superstes esse posse. 5,588
Superum Mare, Adriaticum, ad sinistrum latus Italiæ. 2,400
suppara, feminarum ornamentum in humeris. 3,364
suppara, summa partes velorum. 5,429
suppressus dolor. 6,228
suprema rerum imperii. 5, 200. *suprema fati.* 7,460

suda

surda aures gentibus, quæ nolunt audire gentes. 6,443
surgere, de re quacunque quæ attollitur; ut contrà jacere, sidera. surgit opus aggere multo. 2,679. *surgens tellus in altum.* 3,375. *surgens operum structura.* 6,64. *surgentes culmi in segetem.* 6,109. *Romana Pergama surgent.* 9,999
Susa, & Susa, Media urbs, regia veteris Persarum. 2,49. 8,425
suspecta est in quâ tellure jacebant, suspecta est tellus in quâ jacebant. 9,840
suspendere molem. 3,397
suspensa bello. 4,531
suspiria dare. 4,328. *suspiria levant vatem.* 5,218
sustentare epulis corpora. 4,307
sustinere, id est, posse, pati rem alioqui indecentem aut difficilem, permittere. sustinuit dignos credere. 7,657. *non sustinet.* 5,793, 796. *sustinui nostris vos tantùm deesse triumphis.* 8, 230. *aperire sustinuit venas.* 9,760. *sustinere rectis oculis solem.* 9, 905. *sustinere, sistere, impedire.* 7,750
sustulit, erexit. 10,376
Synedri, Ciliciæ insula, ut videtur, vel portus ad ostium Selinuntis fluvii (quidam hoc loco per synedros intelligunt confessum Senatorum.) 8,259
Syene, Ægypti urbs sub Tropico Cancri. 2,587. 8,851. 10,234
Sylla, cædium Marianarum ulter nimis crudelis, immisericors, & nemini parcens. 2,118,139. 4,822. 6,303. *scelerum magister.* 1, 326. *libertatis diminutor.* 9, 204. *Præneftinum populum delet.* 2, 194. *aliquot dedititiorum in Villâ publicâ interfici jubet.* 2, 196. 7, 306. *cædem eorum immani securitate spectant.* 2, 207. *bellum Mithridaticum conficere nequiverat.* 2, 582. *Dictaturâ se ultrò abdicavit.* 1, 335. *victoriæ ejus constitit in extirpandis hostibus.* 2,228. *Salus rerum, & Felix cognominatus.* 2,221. *sepultus in Campo Martio.* 2,222. *Fortunâ usus toto vitæ cursu secundâ, de eâ conqueri fingitur in Campis Elysiis ob partes suas à Cæsare opprimendas.* 6,787
Sylla (Faustus) dissimilis patri territus solo nomine Cæsaris. 2,465
Syllanorum temporum adumbratio. 2,134. *usque ad* 222.
Syllana pax. 2,171
Syllanæ cædis cadavera in Tyberim projecta. 2,210
Syllani manes. 1,581
Syllanus dux, Pompejus. 7,307
Symplegades, eadem quæ & Cyaneæ insulæ. 2,718
Syria, Syri, Asiæ regio & populi celebres. 3,214. 7,540. 8,169,181
Syrtis. Syrtes. loca vadosa Maris Mediterranei, contigua Africæ versus Orientalia ejus, ut regionem Cyrenaicam & Ægyptum; (unde Parætoniae vocat. 3, 295.) *adeò incerta profunditatis, ut ambiguam appellet* (9, 710.) *quia dubium terra sit an mare.* 1, 367, 499. 3, 295. 4,673. 5,485. 8,184,444,540. 9,301, 312, 553, 598, 756, 861. 10, 477. *earum descriptio.* 9,303
Syriticum, arenosum. 10,38

T.

TAbes. pallida tabes lucri. 4, 96. *tabem trahere.* 6,539. *tabes medullæ, item, nivis, id est, solutio, liquefactio.* 6,539. 10,225
tabo fluens. 2,166
tacitum, sed fas. 6, 430. *tacitum mundi, occulta mundi.* 10,252
Tænaros. Tænarus. Laconiæ mons, oppidum, & promontorium, ubi fingitur esse descensus ad Inferos; hinc Tænariæ fauces. 6,648. 9,36
Tages, Etruscus, aruspicinæ inventor. 1, 637
Tagus Hispaniæ fluvius auriferus. 7,755
Tagus quidam contra Massilienses è navi pugnans, tergo simul & pectore telis concurrentibus transfigitur. 3,586
tamarix, frutex acutis foliis instar myricæ, efficax contra ictus serpentum. 9,917
Tanais, Scythiæ fluvius è montibus Rhiphæis ortus Europam ab Asiâ separat, & in Meotin paludem influit. 3, 273. 8, 319. 9, 414, 751

tangi

tangi invidiâ. 9, 1052. *tangunt animos iraque metusque.* 10,443
tanto vulnere, tam multis vulneribus. 7, 834. *tantum animi.* 10,347
Taranis (Iuppiter) Gallorum Deus, cui homines sacrificabantur. 1,446
Tarae. Tarentum. urbs Calabriæ. 5,376
Tarbelli. Tarbellicus Ancus in Aquitaniâ populi & sinus. 1,421
Tarcho, dux Cilicum, signum dat Classi à Catone secedendi, quem objurgat Cato. 9,219
Tarpeja rupes, &, sedes. Tarpeja arces, id est, Capitolium. 1, 196. 3, 154. 5, 27, 306. 7, 758. *Tarpeji Dei, Iuppiter, Iuno & alii Dii Capitolini.* 8,863
Tarsos, Ciliciæ urbs à Perseo condita, & à talaribus ejus cognominata. 3,225
Tartarus flumen Inferorum, & Tartara, Tartareum antrum, pro Inferis. 3, 17. 6, 694, 712, 782. 7, 785. 9, 101. *Tartari reges, Pluto & Proserpina.* 6,649
Taulantii, in Liburniâ populi; aut, ut Lucanus & alii, Epiri. 9,16
Taurominium Siciliæ civitas, cui vicina Charybdis. 4,461
Taurus, Ciliciæ mons; & ejus accolæ Tauri. 2,594. 3,225. 8,255
Taurus Signum cæleste. 3,255. 9,533.
taurus mactandus ab arâ fugiens, inter prodigia. 7,165
taxus, arbor non absimilis abieti, baccas letalis veneni ferens. 3,419. 6,645
Taygeti juventus, Lacedæmonii, (à Taygeto monte Laconum) donis ornati à senatu. 5,51
tecta laqueata. 10,112
teda, arbor resinifera, lignum apt issimum igni concipiendo, ex quo faces fiebant sulphure & pice illitæ. 3,504, 682. *quòd autem faces adhibebantur in nuptiis, teda, & tedæ fœdera, ponitur pro conjugio aut conjunctione affinitatis.* 1, 112. 2,345. 5,766. 8,399 10,373
tegere. dolorem tegere altâ mente suppressum. 6, 228. *tecto fletit æquore bellum.* 3, 566
tellus cardine subsedit. 1,552
Telmessidos sinus, Cariæ, ab oppido Telmesso. 8,248
Telo, magister navis Massiliensis, gubernande peritissimus, & futuræ aëris constitutionis præcognitor sollers, occiditur. 3, 592. & seqq.
telum. tela. nubes telorum. 2, 262. *telum relictâ morte fugit; superest telo posse vulnera cursu: de telo emisso ballistâ.* 3, 468. *tela irrita.* 3, 580, 722. 4, 776. 6, 134. 7, 320. *ferre tela languida, item, contenta.* 7, 562. *tela illata doli, venenum.* 8, 382
temerandum ferrum. 1,147
temeritas nonnisi extremo periculo admittenda. 5,693
Tempe, Thessaliæ locus nemorosus amœnissimus, per quem fluit Peneus fluv. 6, 345. 8, 1
temperies vitalis. 9,435
tempestatis futuræ præsagia. 5, 540. & seqq. *tempestatis quâ vexatus Cæsar longa & hyperbolica descriptio.* 5, 597. & seqq. *comparata ea diluvio Deucalionco.* 5,620. & seqq.
tempestates à magis excitatæ, item sedatæ. 6, 469
templum. cæli templa. 1,155. *cultus templorum.* 8, 121. *templum tacent, oracula non proferent, aut proferre desinent.* 9, 573
tempus. tempora aliena terit. 2, 350. *tempus vacuum amori.* 3, 27. *tempus angustum.* 4, 477. *tempus in segnes moras exiens.* 5, 410. *perennia tempora fati.* 5, 390. *tempus subducere fatis.* 5, 733. *tempora legum agere, libertatis.* 7, 440. *tempus dependere amori.* 10, 80. *tempora stata.* 10, 240. *tempora perdere, occasionem.* 10, 505
tendere. manus in amplexus. 4, 176. *tendere, extendere.* 6, 72. *tendere sagittam.* 6, 215. *tendere, castra locare, tentoria figere.* 7, 328. *tendere lacertos.* 7, 469. *tendere, implere.* 7, 477
tenebræ. mortis tenebræ. 3, 714. *obduxere oculos tenebræ.* 3, 735. *tenebræ primæ.* 4, 447. *tenebras trahere.* 4, 768. *marcentes tenebræ.* 6, 646. *tenebris relinquere.* 7, 552. *tenebras pati.* 9, 110. *tenebræ oculis, somnus.* 9, 674
tenere. Orbem in medio tenere, de conjuratis

Digitized by Google

ratis in monarchiam. 1,88. *tenere rura.* 1,420. *tenere inconcussa vestigia.* 2,248 *pacem.* 2,273. 3,523. *finem.* 2,381. *complosas manus.* 2,292. *tenetur tota terra meis triumphis.* 2,584. *seq, tenent remis, de navibus inter se certantibus.* 3,566. *tenere fugâ navalia.* 3,753. *tenere, supprimere, compescere.* 4,172. 8,171. *tenere medium.* 4,652. *summa mundi.* 5,694. *tenere portum, appellere in portum.* 8,463. *tenere se aliquo loco.* 8,470. *tenere in animos ancipites, facere dubios.* 9,46. *tenet Eurus pelagus.* 9,118

tenere, id est, continere, sistere, impedire, retardare, morari, inhibere. 47,3,156, 273,289,440. 5,136. 6,202,301, 829. 7,296,474. 9,52. *lenta tuas tenuit patientia vires.* 1,361. *quantum est quòd fata tenentur!* 3,392. *Aquilo pluvias in nube tenebat.* 4,51. *tot fata tenentur.* 5,205

tenor veli. 5,709

tentare. iras militum, explorare animos militum in pugnam. 2,529. *fortunam.* 3,510. *tentare fœderibus, hostes ad deditionem conditionibus allicere.* 4,507. *tentare jaculum.* 6,79

tepescunt mentes. 4,284

tepor mundi, plaga tepida cali. 8,365

terere otia. 2,488

tergum. fugere neglecto tergo. 3,467. *terga ostendere.* 2,572. *tergum maris.* 5,565. 9,341. *tergum squalens elephantis.* 6,209. *terga suorum impellit Cæsar, in pugnam.* 7,576

terra. altum intumescens, montosa. 2,398. 8,371. *motu terræ mugire cavernas.* 3,418. *terrarum extrema ora, Hispania.* 4,1. *terra effusa explicans patentes campos.* 4,19. 4,671. *recipit sua terra colonos.* 4,397. *terram mutare.* 6,271. 8,148. *terræ incentes.* 7,869. *terrarum tractus.* 8,336. *terrâ carere, insepultum jacere.* 8,795. *terra tecta movens, terræ motus.* 8,848. *terra igne fota.* 9,184. *terra se à mari defendit.* 9,306. *in terram decidere, de infante in lucem prodeunte.* 9,899

Terræ Orbis in Oceano suspensus libratur. 8,798

terra omnia capit quæ omnia gemit. 7,818

Terra circumvoluta arte magicâ. 6,381

terræ motus. 7,414. 8,848

terrenum, obscurum. 6,502

terribiles ratibus cautes. 6,25

terror conficit omnia. 7,734

tesqua. 6,41

tesseræ dandæ periphrasis. 4,7

testari, pro, protestari. 3,122

testari Deos. 7,690

testudo Indica miræ magnitudinis, cujus testæ putaminibus fores cooperta, & gemmis intextis distincta. 10,121

testudo militaris, cum conjectis & connexis supra dorsum clypeis, muros hostiles subeunt milites. 3,474

Tethys, uxor Oceani: hinc pro mari, præsertim Oceano. 1,414, 554. 2,588. 3,233. 4,73. 5,623. 6,67,479. 10,204

Tetrarchæ (regni quartam partem occupantes, ut interpretantur) auxiliares Pompeji. 7,227

Tentates (Mercurius) Gallorum Deus, cui humanis hostiis litabatur. 1,445

Teutones. Teutoni. Germaniæ populi à Mario victi. 1,256. *longis armis usi.* 6,259

texitur vimen in navem. 4,132

textura laterum, in corpore humano. 9,777

thapsos, (in Erice Siciliæ monte frequens) ferula, vel ferulæ semen, omnia venenata abdicans. 9,919

theatri plausus. 1,133

Theatrum Pompejanum. 1,333. 7,9

Theba Ægyptiæ, centum portarum famâ urbs nobilis, ubi nunquam pluit, vel ortu vel occasu Pleiadum. 8,852

Theba Echioniæ propriè in Bœotiâ (quæ & Oedipodioniæ à rege Oedipo. 8,407.) *sed cum Phthioticis Thessaliæ confusa.* 6,356

Thebani fratres, Eteocles & Polynices, qui se mutuis ictibus confecerunt. 4,551. *adeò inter se dissidentes, ut etiam rogi eorum flammis disjunctis discessisse dicantur.* 1,551

Themis, Delphici oraculi præses ante Apollinem. 5,81

Ther-

Theodorus, præceptor Ptolemæi, Cæsari numine regis sui obvius offert Pompeji caput linteo obvolutum. 9,1010. *ejus ad Cæsarem verba.* 9,1014. & seqq.
Thermus prator ex oppido Umbriæ Tignio profugit. 2,463
Thesei è Cretâ reducis fabula. 2,612
Thesproti, Epiri populi. 3,179
Thessalia, Thessalicaora, Thessala tellus, Thessalica arva, &, rura, Græciæ regio Macedoniæ vicina, in quâ Pharsalici campi prælio inter Cæsarem & Pompejum noti: ejus topographia accurata. 6,333. & seqq. *Lucanus autem eam passim cum Macedonia, dum Philippicum prælium in eâ locat, confundit: imò interdum etiam cum Thraciâ. mentio Thessaliæ.* 5,651. 7,164,302,454, 473,650,847. 8,45,441,602. 9,849, 1073. 10,474
Thessaliæ, in Thessaliâ. 8,108. *Thessaliâ, in Thessaliâ.* 7,592. *item* 8,428. *nisi hic sit pro clade Pharsalicâ.*
Thessalicus Orbis, clima Thessaliæ. 7,6
Thessalia destinata duabus ingentibus cladibus (ut Lucano placet) primò in Pharsalicis. 7,847. *secundò in Philippicis campis.* 7,853. *hinc eam vocat bustum populi Romani.* 7,862
Thessalia, pro pugnâ Pharsalicâ. 10,412. *Thessalicum pro eo quod illam pugnam attinet. Thessalicæ clades.* 6,62. 9,23. 10,74. *ruinæ.* 7,439. 8,331. 9,1019. *cædes.* 7,448. *Thessalicus dies, quo inter Cæsarem & Pompejum certatum est.* 7,202. *Thessalica pugna.* 7,693, 765. *flamma.* 7,808. *Thessalicæ volucres, quæ corpora cæsorum eo prælio vorârunt.* 8,507. *Thessaliæ res Pompejus, quòd eam amiserit prælio Pharsalico.* 8,510. *Thessalici cineres.* 8,530. *Thessalica mala.* 8,585. *Thessalici manes, cæsorum in prælio.* 9,180. *Thessaliæ fortuna, victoria Cæsaris.* 9,1084
Thessalia plena magarum, herbarum item ferax & lapidum in usu magicos. 6, 435. & seqq. *adeò ut Thessala, &, Thessalis, simpliciter ponatur pro magâ.* 6,451,565,605,614,699,762
Thessalicæ sagittæ, pro Sagittario, Signo cælesti, quod creditur esse Chirus centaurus, qui Thessalus. 4,528
thorus, vide, torus.
Thracia ad Pontum Euxinum regio. 2,162. *Thrèciæ hyemes, quia regio Septentrionalis Romanis.* 7,833. *Thrèciæ fauces, angustiæ Hellesponti.* 9,954
Thyestiæ, cus epulandos natos frater Atreus apposuit, cœna: ad quod scelus Sol obscuratus est, sive retrò cessit. 1,544. 7,451
thymus, herba nota, cujus flores apibus grati. 9,288
Tigranes Armeniæ rex, à Pompejo in regnum restitutus. 2,637
tigris, animal velocitatis horribilis. 5,405. *magas verentur.* 6,487
Tigris Armeniorum & Medorum fluvius rapidissimus. 3,256. 6,51. 7,433. 8, 214, 370, 438. *Euphratis uxtur.* 3, 257. *sub terrâ magno spatio means, eandem quasi renascitur.* 3,261
Timavus, Patavii fluvius, Antenoreus, quia Antenor Patavii conditor. 7,194
timere. non ausus timuisse patam. 1, 258. *liceat sperare timenti.* 2, 15. *quæ potuit fecisse timet.* 4,182. *usque adeòne times quem tu facis ipse timendum?* 4, 185. *timere timentem, ignavum est.* 6, 666. *timendi pudor.* 7,525.
timidi quæ finxere timent. 1,486
timidus pudor. 2,360
timor. esse timori. 3,82,100. *timoris cæci nubes.* 6,297. *timor it in omnes.* 7,544. *timor compulsus, ut duceret, &c. pro, timore suppresso ducere, &c.* 8,718
timor. maximum timorum, metus mortis. 1,460. *audendo magnus tegitur timor.* 4,702. *timor ipse multos in pericula præcipitat.* 7,105. *letumque juvat præferre timori.* 1, 576. *in timore mens est præsaga.* 9,120. *Et timet incursus, indignaturque timere.* 10,444
Tiphoëus gigas fulmine à Iove ictus, & monte conditus. 5,101
tyronibus bello assuefactis, pars magna ipsius belli peracta videtur. 7,101
Tisiphone, una Furiarum. 6,730
Titan, Sol, passim.
Titaresus Thessaliæ fluvius, è Stygiâ paludes

Digitized by Google

Inde oriri creditus. 6,376
Titii Sodales. 1,602
titubare nisu. 6,482
tituli, rerum præclarè gestarum encomia & velut insignia. 2,555. 8,73. 413. 817
titulo pietatis, prætextu. 10,363
Tityos, unus ex gigantibus, qui cælo bellum intulere. 4,596
toga, habitus Quiritium, seu Romanorum pacis, ut sagum, belli tempore: hinc aliquando toga, pro pace ipsâ. 2,386. 9,176 *toga usu.* 1,130. *toga degener.* 1,365. *hirta.* 2,386. *togam simulare.* 3,143. *toga pura.* 7,17. *plebeia.* 7,267. *civilis.* 8,814. *toga currus ornans, item, toga pictæ, pro triumphalibus, palmatis videlicet auroq; intertextis.* 7,18. 9,176
togatus, & togatæ manus, id est, Romani. 7,549. 9,238
tollere campis acies. 6,633
Tonans, Iuppiter. 3,320. 5,96
tonitru mediâ regione aëris. 7,479. *mali augurii in comitiis.* 5,395
tonitru procuratum arte magicâ. 6,467
tonsæ, remi. 3,527. 539. 5,448
tori taurorum. 2,605
tormentum longinqua ad tela paratum. 3,480. *tormenta componere mittendis telis.* 3,717
torpor alligat artus frigidus torpor. 4,290. *torpore ligatus.* 5,434. *torpor quietis, somni.* 5,734. *torpor constringens pectora.* 7,466
Torquatus, Pompeji legatus, adventante Cæsare recedens, comparatus nautæ prævisâ tempestate vela subducenti. 6,287
Torquata nomina, Torquati, nobilis familia Romana. 7,584
torquere vela, obliquare. 8,194
torrens. torrente transversos ferre mentem. 4,818. *torrens Ætna.* 6,295. *torrens, præceps, festinus.* 7,505. *torrens, de flumine.* 9,156. *torrens Romanus, sanguinis Romani torrens aut fluxus.* 7,637
torrentes fixi arte magicâ. 6,473
torta caput sanguinis usti, refugosque gerens à fronte capillos, id est, habens capillos intortos & flexuosos, atque sursum inversos, eosque coloris nigri, vel, quia vapore Solis capilli inflectuntur. 10,132
torus. jungere toris mariti. 2,329. *torus genialis gradibus eburnis ascendi solitus.* 2,356. *torus vestes discriminat auro, id est, tectus est stragulis seu vestibus Attalicis auro intertextis, ut in nuptiis.* 2,357. *tori fœdera, conjugium.* 2,342. *coitus.* 2,379. *torus feralis, in quo cadaver comburendum collocabatur.* 6,536. *torus in castris ex cespite.* 7,761. *tori è culmis.* 9,842. *tori gemmis ornati.* 10,122
totus. totum. totus abest in prælia Cæsar. 5,742. *quem nec Cæsare toto auferret Fortuna locum.* 6,140. *totâ, quantum valet, utere Lesbo.* 8,123. *totâ in pugnâ Solem æstivum exigere, totum diem æstivum exigere in pugnâ.* 8,375. *totum, universitas rerum.* 10,266
toxicum, venenum promtissimum, ex taxo, ut volunt, arbore. 9,821
trabes deaurata. 10,113
trabes in aëre quas docos vocant. 7,159
Trachin, Thessaliæ civitas. 3,178. 6,353
tractus. corusci tractus flammarum. 2,271 *tractus varios ducunt naves.* 3,551. *tractu longo.* 5,565. *exiguo.* 7,241. *pestifer.* 7,412. *tractus terrarum.* 8,336
tradere. tradidit in letum artus. 3,644. *tradere venum.* 4,206. *traditus à Fortunâ fatis mortis.* 4,738
traditiones rerum gestarum historiæ. 4,592
trahere. trahere imperium, prorogare potestatem alicui. 1,275. *trahit ipsi furoris impetus.* 2,109. *trahere omnia cæco cursu.* 2,567. *trahens in bella penates.* 2,729. *trahere momenta favoris.* 3,56. *trahere ubera.* 3,352. *trahere animam.* 3,578. *ilia.* 4,757. *tenebras.* 4,768. *trahere spe.* 5,285. *trahere sulcos.* 5,562. *trahere ventura.* 5,732. *trahere habenas.* 6,539. *trahere unco.* 6,638. *trahere bellum.* 7,57. 296. *quemque suum munus trahit.* 7,330. *trahit una hora gentes.* 7,346. *trahere omnia secum.* 7,654. *trahere aquas.* 7,822. *trahi captivum.* 8,416. *trahere, attrahere, adducere.* 9,671. *trahere fata.* 9,923. *trahere iter mediæ noctis.* 10,333
trajectiones verborum mirabiles, vide, transpositiones.

Digitized by Google

transcurrere. 3,539. *à transcurrente subacti.* 7,74
transferre. dubios in te transferre Quirites, ad partes tuas inflectere. 1,276. *transferre Ausoniam, in Ausoniam aut Italiam.* 8,845
transfuga vilis. 5,346
transfuso æstu maris verti. 8,462
transfigi terga, & pectora. 3,587
transire. 6,437. *transire cælum, de lanceâ.* 7,288
transmittere bella. 6,582
transpositiones verborum crebræ apud Lucanum. Aliquot mirabilium exempla: Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ. 1,14. *magnaque per avia voces Auditæ nemorum.* 1,569. *&c.* 2,45, 134, 322. 3, 90, 398, 497, 625, 679. 4, 819, 381. 5, 800. 6, 636. 7, 325, 553, 780. 8, 373. 9, 194, 550, 605, 636. 10, 32, 370, 399
transtra, sedilia remigum. in transtra cadere. 3,543
transversum ferre. 4,818
Trebia (ad Placentiam fluvius) pro clade Romanorum ad Trebiam. 2,46
tremores laturi in præceps, terræ motus. 7,414
trepidare. degeneres trepidant animi. 6, 417. *trepidare, palpitare.* 6,752. *trepidare spe.* 7,297
Treviri, Galliæ ad Mosellam populi. 1,441
tribuere vitam. 4,358
Tribuni plebis M. Antonius & Q. Cassius Vrbe pulsi ad Cæsarem se conferunt. 1, 266
Tribunorum pl. potestas sacrosancta. 3, 125. *eorum diræ Crassum in bella Parthica secutæ.* 3,127
Tribunitium jus victum. 1,267
Tribunitia arx. 4,800
tributum Asiæ. 3,162
tridens æqureus, Neptuni videlicet; imperium maris. 4,111
Triletrica, sacra Bacchi, quæ tertio quoque anno celebrabantur Delphis. 5,74
tripedes, mensæ in templo Apollinis Delphici, quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur. 5,81, 121. *tripodes custodes fatorum.* 5,198. *tripedes Deli.* 6,425
triremes. 3,529
tristis, id est, perniciosus, feralis. 6,640
tristis sine lacrymis. 10,83
Triton tubicen maris. 9,348
Triton Africæ Propriæ fluvius, & juxta eum palus Tritonis. 9,347
Tritonia, Pallas. 9,682. *unde sic dicta.* 9,354
triumphare de victis civibus illicitum, bella nullos habitura triumphos. 1,12. 6,261
triumphari. 2,90
triumphalis pompa repræsentabat acta triumphantis, gentes domitas, &c. 3,75
triumphi, gentes triumphatæ. 2,644
triumphis ululare, de militibus triumphum comitantibus cum festâ & licentiosâ acclamatione. 6,261
triumphi remeare dicti, cùm duces triumphantes in Vrbem remeant. 7,256
triumphum ducere. 9,598
triumphi Teutonici Marii. 2,69. *Libyci ejusdem, de Jugurthâ.* 2,69. *æquorei Pompeji, de Cilicibus.* 6,422
triumviratus Crassi, Pompeji & Cæsaris. 1,4. 3,266. 9,266
Troiæ fabula. 3,212. *Troia urbs, nomen memorabile.* 9,964
trophæi erectio, & descriptio. 1,136. 6,256
trophæis meis tota terra tenetur. 2,584
truncus cervice. 8,436
tuba, ære recurvo. 1,432
tubarum usus in prælio navali. 3,542
tubâ præmoniti nautæ solituri portu. 2,690
tubicines adhibiti in funeribus virorum illustrium. 9,734
tueri se famâ & nomine. 8,275
Tullius, Cicero. 7,63
Tullus quidam in exercitu Catonis, ex morsu hæmorrhoidis, sanguine undique effluente moritur. 9,806. & seqq.
tumere. de montibus. 8,371. *tumere minæ.* 2, 573. *tumentes ripæ, Nilo inundantis.* 8,826
tumidus, superbus. 5,233. *tumores, superbia, elatio animi.* 10,99
tumultus. latus tumultus. 3,102. *tumultu fervent castra.* 4,250. *tumultus pedum.* 4,753. *mentis.* 7,183. *animi.* 7,379

Digitized by Google

tumultus aliquantisper impeditur, dum nemo audet esse primus. 5,256
turba. regnum in turbam missum. 1,86. *turba scelerum.* 4,251. *malorum.* 9,405. *turba samula.* 10,147
turbare vultus. 7,322
turbine excutere. 2,244. *turbine torquetur pulvis.* 4,767
turicremi ignes. 9,989
Turones, Galliæ ad Ligerim populi, instabiles. 1,437
turres ex trabibus tabellatisque compactæ, totis mechanicis ad oppugnationem murorum promotæ, aut per aggeres dispositæ. 2,505. 3,398,456. *turres minantes.* 4,432
turrigeræ naves. 3,514. 4,226
tus. tura. tus & aromata injecta rogo funerali, & sepulcro. 6,526. 8,729. *hinc, turo sepultus.* 9,10. *tura ferre, sacrificare.* 7,42. *hinc, pia tura.* 9,996
Tusci vates, aruspices. 1,584
Tuscus cespes, terra disciplinâ Etruscorum injecta prolapso fulmini: bidental. 8,864
tutela navis, ligneum simulacrum puppim Dei, aut rei à quibus navis nomen accipiebat. 3,511. 5,584
tutum. tuta fuga. 6,150. *domûs.* 10,459. *in tutum ire.* 9,234
Tybris. Tyberinus amnis. fluvius Romam præterfluens, Etruriam à Latio separans, in mare Inferum influens. 1,381, 475. 2,210,421. 6,76,810. *ejus cursus cadaveribus Syllanæ cædis injectis interruptus.* 2,211. 2,214. & seqq.
Typhon, unus è gigantibus, qui Jovi bellum intulêre; & qui terrâ oppressis ambelare sulphureos vapores crediti. 6,92
typhones, fulmen non ignitum. 7,156
tyrannus. in dubiis tutum est in opem simulare tyranno. 8,241. *tyrannidem adfectantis viri mortem à populo libero desideratam est.* 9,170
Tyros, Phœniciæ urbs maritima dives. 3,217
Tyrii moniti oraculo Apollinis coloniam mittere ad Columnas Herculis, Gades condiderunt. 5,108
Tyrius succus, purpura. 10,123
Tyrrhenum mare, quod & Inferum, ad dextrum latus Italiæ. 2,219, 401. 5,614
Tyrrheni sanguinis, Etrusci. 9,737
Tyrrhenus gurges, Tyberis. 2,210
Tyrrhenus, miles Cæsarianus, amissis pugnâ Massiliensi navali oculis, nihilo minus emisso telo Argum occidit. 3,709. & seqq.

V.

Vacare, videtur propriè significare, vacuum esse aut se præbere. hinc varius verbi usus; ut sæpissimè pro, tempus operamque alicui rei impendere, & quasi se totum addicere, cetera videlicet otiosum & vacuum ab omni aliâ re; item pro, carere, abesse ab aliquo negotio, immunem esse alicujus rei, otiosum esse; frequenter autem, vacat, impersonaliter, id est, licet, otium est. ut: pars atheris illa tota vacet. 1,59. *nulla vacet tibi Roma manus.* 2,56. *uni vacat lugere.* 2,377. *pars mundi mihi nulla vacat.* 2,583. *vixodisse vacat.* 3,103. *Massiliam delere vacat.* 3,360. *vacat imbribus Arctos.* 4,70. *curis vacare.* 5,126. *quot tela vacabunt.* 5,327. *morti vestraque saluti Fata vacent.* 5,342. *vacant ubi littora saxis.* 5,675. *veritus lævâ vacasse.* 6,203. *vacet à ferro.* 7,389. *nullosque hominum lugere vacamus.* 7,631. *tempora læta respexisse vacat.* 7,688. *non ulli plus regia vacabit.* 8,412. *ne qua vacarent arma.* 8,423. *quòd bello hac dextra vacasset.* 8,601. *juga tota vacant Bromio Nysiæa.* 8,801. *Cæsaribus regnare non vacet.* 9,90. *quarisque jugum cervice vacante.* 9,261. *Lybie Sideribus Phœboque vacat.* 9,691. *cæliique plagis Superisque vacavi.* 10,186. *mens non vacabat à motu scelerum.* 10,334. *nullique vacare fas est Romano.* 10,415. *nec tota vacabat Regia compresso.* 10,441
vacuum tempus amori. 3,27. *vacuus virtute.* 9,506
vado frangere æquor, de flumine in mare fluente. 2,401. *vada facere, de ventis aquas repellentibus.* 5,664. *vadis factum mare.* 9,308

vadosa aqua. 8,698
vagari. cuſis latè vagatur. 2,101. *vagantes manes Pompeji.* 8,796
valent torquere. 1,364
vallet reſinæ. 7,480
vallatus omni belle. 6,185
vallum caſtrenſe. 1,516. *vallo ſuccedere.* 7,733
vaneſcentes montes. 3,7. *vaneſcens fumus.* 9,77
Vangiones, Belgicæ populi, braccati. 1,431
vana nomina. 1,313. *vanum pectus.* 8,285
vaporat ſaxa Typhoëus. 5,100
vapores ſicci, æſtus. 4,305
variatus colorem. 4,80
Varus flumen, in Mare Inferum influens, terminus inter Galliam & Italiam, poſt Italiæ adcenſitam Galliam Ciſalpinam. 1,404
Varus (Actius) Auximo profugit adventantibus Cæſarianis. 2,466. *Africam provinciam obtinet.* 4 666. *auxilia Iuba implorat ſupplex.* 4,668. 8,287. *campo pulſus à Curione.* 4,713
varus, pertica inflexa, retibus venatorum ſuſtinendis. 4,439
vaticinari. 7,22
vates malorum. 7,553
ubera trahere. 3,352
ubere globa. 3,68
Vectones, populi Hiſpaniæ citerioris. 4,9
vectoris patiens cymba. 4,133
vehere Heſperiam, in Heſp. 5,534
Veii Hetruriæ opidum. 5,28. 7,392
vel, id eſt, etiam, quin, quinetiam. 6,284, 300,603. 9,391
vel ſic. 7,29
velamenta fluxa. 8,367
velle quod jubetur, umbra libertatis. 3,147
velle. emtum minimo vult ſanguine, &c. 7,282
in Villera nubes ſparſæ. 4,124
velum. vela. obliquare vela. 5,428. 8,196. *vela malo reddita, defectu venti in malum relapſa.* 5,471. *veli tenor.* 5,709. *vela ſubducere procellæ.* 6,287. *vela torquere, obliquare.* 8, 194. *vela juſto modo pendentia cornibus æquis.* 8, 193. *velum pugnax, ventis reluctans.* 8,464. *vela languent, vento deſtituta.* 8, 471. *vela vento negare, demittere.* 8,560
vela navium in altum venti violentiâ abrepta. 9,324
velut, ac ſi. 1,496. *velut, ut ſi.* 4,252
vena undæ maligna, impura aut tenuis. 9, 500. *vena lacrymarum.* 9,746
venabula. 6,183
vendicare ſibi. 3,686. 6,73. *vendico geſtare.* 1,675
venditare enſes. 5,248
venditor jejunus. 4,97
venefica. 6,581
Veneti populi Italiæ in paludibus Padi fluminis. 4,134
venenum. venenum humanum, afflatus magorum. 6, 491. *venena verborum, magicorum.* 6, 501. *venena ſpirare.* 9, 679. *venenum, pro humore aromatico aut medicamentoſo.* 8, 691. *venenum ſitiens, quod ſitim infert, dipſadis.* 9, 750. *venena, id eſt, delinimenta amoris.* 10,360
venia. veniam ſecuro pectore poſcit. 4,343. *veniam donare.* 10,70
venire. Heſperies audax veniam metatur in agros. 1, 382. *ſtellæ in medium venire diem.* 1, 536. *venire in prælia.* 2, 274. *in curas.* 2,347. *ignave, venire Te Cæſar non ire jubet.* 5, 487. *venire in nomen alterius, de flumine in aliud influente.* 6, 375. *venire in jura aliena.* 9, 212. *venire ad ora Cæſaris, in conſpectum.* 10,146
venter quà jam non medius deſcendit in ilia. 3,724
ventura trahere. 5,732
ventus. incumbens. 1,390. 3,2,409. *ſerens, vel, deſitiens.* 1,412,413. *venti loquaces.* 5, 83. *in ventos vota impendere.* 5,491. *venti modus.* 5,709. *ventis dare regimen navis.* 7, 126. 8,190. *ventis permittere vulnera, tela incertum ubi caſura temerè emittere.* 8, 384. *ventus moderatior.* 9,118
venti in imis partibus aëris prope terram. 2,270
ventus, niſi quid obſtet, inani ſpatio vires amittit. 3,362
ventus quærens erumpere inanes terræ ſinus concutit. 3,460

venti

venti hyemes constantiores & certiores quàm vere. 5,413
venum tradere. 4,206
Venus justa. 5,728. *Veneris externa mistura, adulterium cum exteris.* 9,900. *Venus, libido.* 10,75
Veneris usus maximus & finis, progenies. 2,387
Veneris Planetæ sidus salubre. 1,661. *ejus officium.* 10,208
ver. ejus inconstantia. 5,415
verber. verbera. torto Balearis verbere fundæ. 1,229. *verbera crebra convellunt puppes.* 3,528. *verberibus sevis acta navis, bexeris.* 3,536. *verbere conversa hastæ.* 7,577. *geminato verbere plangunt.* 9,173
verbum. verba. verba rupta. 5,153. *verba destituunt mentem paratam.* 5,731. *verba cogentia, magorum.* 6,446. *verborum (magicorum) venena.* 6,501. *verbis notare.* 9,221. *verba summa, testamentum.* 10,92
verborum miræ trajectiones, vide, transpositiones.
verendus, timendus. 10,46
vergere. in simum. 1,129. *vergentes animi.* 2,105. *vergere pondera rerum, librare.* 7,504. *mentisque meæ quò pondera vergant.* 8,280
Vergiliarum occasus fine Decembris. 5,4
ververe mare. 3,542. 5,572
versant animi degeneres pejora. 6,417
vertice diffuso. 3,376
vertigo rerum. 8,16
verum exprimere. 6,599
verûtum, telum instar veru. 8,681
vesanus. 7,496
vesperæ periphrasis. 4,447
vesper maturatus. 6,340
Vesper, pro Hispaniâ. 7,17
Vesta Dea. Vestæ penetrale. 2,127
Vestalis ignis. Vestales soci. ignis perpetuus Trojâ allatus ab Æneâ, & à Vestalibus virginibus custoditus. 1,199. 2,127. 9,993
Vestalis ignis Feriis Latiris bifurcatâ flammâ surgens. 1,551
Vestales virgines. 1,598
Vestalis Maxima vittata. 1,597. *es soli licitum videre Palladium.* 1,598
vestigia tenere inconcussa. 2,248. *premere.* 2,652. *colligere.* 4,442. *vestigia fugæ turbare.* 8,4. *legere.* 8,210
Vestini populi Marsis contermini. 2,425
vestire agros ossibus. 7,538. *ebur atria vestit.* 10,119
vestis picto auro discriminata. 2,357. *vestes laxæ.* 8,367
vestes mortuorum cum iis combustæ. 6,536. 9,175. & seqq.
vetare. vetitum bellum, negatum, impeditum. 4,281. *sternique vetabere terrâ.* 4,647. *vetitus remeare.* 7,256. *meveri.* 7,316. *arma sequi.* 7,371. *augeri, qui augeri nequit.* 8,82
vetustas famosa ævi veteris custos, miratrixque sui. 4,654. *vetustati fides non derogandæ est.* 9,359
vetus fama. 5,52
via. viam ruinâ facere. 1,150. *via dividens paludes.* 3,85. *viam ense cadere.* 4,43. *via mortis.* 4,267. *viam cædepavare.* 6,124. *viæ implicitæ error.* 8,5. *viam irreducem carpere.* 9,408. *viæ fortuna.* 9,551. *viarum abrupta.* 10,317
vibrare tela. 4,386. 6,198. 7,82,289. *vibrans aqua imagine Solis.* 5,446. *vibrare fulmina.* 9,513. *vibrare linguam, de serpentibus.* 9,631
vices. in vicem amare. 1,61. *fertque refertque vices.* 2,13. *vice fungitur undæ.* 3,260. *vices aquæ imperii.* 4,6. *vices maris, fluxus & refluxus.* 5,445. *vices rerum.* 6,461. *in vicem vultus apertos mirantur.* 7,177. *mutique vicem Fortuna tuetur.* 10,485
vicinia fati, mortis. 4,518
victoria in magnâ clade nomen sit invisum, victi autem miserandum: hujus calamitas vocatur, illius nefas. 7,120
victor pependit, id est, dubium fuit cui cesserit victoria. 4,47
victoria plana. 7,737. *quæ vincere possent contulimus, omnia ad victoriam necessaria.* 7,355
victoriâ partâ populus Romanus in lætitia signum sacrificabat, & laurea serta Iovi Capitolino deferebat. 7,42

videre contrà. 9,947. *visum est lenti.* 2, 110
viduus lectus. 5,806
vigiles castrorum. 7,25. *vigilum tentoria.* 5,510
vigiliæ nocturnæ singulæ trium horarum, & singulis vigiliis novi vigiles. 5,507
vigor constans membris. 3,715
vile, exiguum, parvum. 1,174. *vilis sibi, suisque vitæ contemtor.* 4,276. *vilis suis, contemtus, neglectus.* 8,744
villosum colubris. 6,664
vimen. texitur in navem vimen. 4,132
vincere. decimo jam vincitis anno. 1,300. *vincere sibi, non in usum alterius.* 2,323. 4,793. *quòd vincas, quòd non nisi victi nos dedamus tibi.* 4,356. *vincere fœderibus, conditionibus deditionis.* 4,531 *vincere apud Superos votis.* 7,113
vincitur haud gratis jugulo qui provocat hostem. 4,275
victus existimatur habuisse causam injustam. 7,260
victis parcere, maximum præmium belli civilis. 9,1067
vincula oculorum. 3,713. *vincula ferri immissi, manicæ aut manus ferreæ.* 3, 574. *vincula stuppea.* 10,493
vindictæ major cura Diis quàm libertatis. 4,809
vinea (machina militaris) subrepens muris. 2,506. *ejus descriptio.* 3,487. & seqq.
vinum diffusum ignoto consule, id est, vetustatis supra memoriam, commendatur enim à vetustate sive senio. 4,379. 10, 162
vinum Mareoticum. 10,161
vinum ex insulâ Meroë potentissimum. 10,162
violare diem, defunto. 9, 462. *violatum divitiis.* 9,520
vipera custos unionum in Mari Rubro, usui Magis. 6,678
viperei nodi. 6,490. *viperea serta.* 6,656
vir. paupertas fœcunda virorum. 1, 166. *virorum gens, id est, gentes masculæ, fortes, non ut Asiaticæ.* 8,385. *virum exsectus, castratus.* 10,134
virga Sabina, vide, Sabinæ.
Virgo, Signum cæleste. 2,691. 9,535
virtus. depressa. 4,469. *naufraga.* 3,690. *fortis virtute cassa.* 4,798. *virtus, per vultus feritate sentor vitase, fortitudine.* 6,229. *virtutis viva species.* 6,254. *virtus moveri vetita in loco arcto.* 7, 316. *virtus ignea.* 9,7. *virtutis opus.* 9,381. *virtute animos incendere.* 9,407. *virtus dura.* 9,562
virtus æmula dat stimulos. 1,120. *stare loco nescia.* 1,144. *quò fata trahunt, secura sequetur.* 2,287. *obruta perit.* 4,491
virtus non ardua, servitutem effugere manu sibi illatâ. 4,577. *ingratum judicem nacta perit.* 5,291. *crimen est in armis civilibus.* 6,147
virtus & summa potestas non coeunt. 8, 494
virtuti dulcia difficilia. 9,403
virtus Fortunâ superior. 9, 570. *semper æqualis.* 9,571
virtus & universum fedes Dei. 9,578. *non consideranda ab eventu aut successu.* 9, 595
virus pati, infici. 6,94
virus, pro quovis humore inficiente. 10,124
vis. vires. vis mensura juris. 1,175. *viribus utendum quas fecimus.* 1, 175. *vis materna, prolifica.* 2, 338. *vires totas movere.* 2,625. *vis pelagi.* 3,62. *vires aquæ.* 4,665. *vim facere.* 6,652. *vires totas effundere.* 7,344. *vires in mortem, constantia ad toleranda mortem.* 9,886
viscera. per viscera spargi. 2,119. *viscera fervent.* 3,644. *viscera legum, Senatus.* 7,579. *viscera patriæ.* 7,722. *viscera gladio scrutari.* 8,557
visu. extremo Urbis amatæ plenus abit visu. 1. 508. *littora nunquam ad visus reditura suos.* 3, 6. *visus implevit veneranda vetustas.* 9,987
vita. modus vitæ. 2,131. *vitam impendere patriæ.* 2,382. *vita (magnâ) dimissa vid.* 3,641. *vitam inermem degere.* 4, 357. *tribuere.* 4,358. *corrumpere.* 4, 508. *projicere.* 4,516. *vitæ usus.* 5,276. *vita carens Catone.* 6,311. *vita parva gloria.* 6,806. *vitæ permittere.* 7,731. *vita superstes imperio.* 8,28
vitæ perituræ parcere, ignavum. 1,462
vita parvo contenta. 4, 377. *vita brevis*

non

non est ei, cui tempus suppetit conscifcendi sibi mortem. 4,478. vitam unius hominis prolongare aut abbreviare, invitio fatio, prorsum est Magis. 6,607
vita est nihil. 9,568
vitalia, partes corporis vitales. 1,623. 3, 644. 6,194,197. 7,620. 9,743
vitalis temperies. 9,435
vitiari in nullas opes; de Africâ, quæ nulla metalla profert. 9,424
vitis signum Centurionum. Latiam longo geris ordine vitem. 6,146
vitta, religaculum comæ anteriori. 5,142
vittatus, infulis ornatus. 1,597
vivi ante diem fatalem necati carminibus magicis. 6,529
vix tanti fuerat. 2, 62. vix fata sinunt. 2, 701
ulnis, manibus. 3,664
ulta nostros toros, quæ ultionem sumsisti de nostro conjugio. 8,103
ultima belli, extrema acies. 7,507
ultima mortis. 8, 665. regni. 10, 24. rerum. 10,467
ululare tristia. 1,567. ululare lætis triumphis, de acclamatione & cantu militum comitantium triumphum. 6,261
umbra decrescens. 4, 154. umbrâ æstatem (ardores Solis) sibi mitigare. 10,305
umbra, imago inanis rei: stat magni nominis umbra, de Pompejo sene. 1, 135. & inanem prosequar umbram. 2,303. quis nominis umbram horreat? 8,449
umbræ nusquam flectens Syene, cum Solem verticalem habet in Solstitio æstivo; quia sita sub Tropico Cancri. 2,587
umbra Solis in Meridiem jacitur (sive sinistra it. 3,284.) populis trans Æquinoctialem sitis, ut nobis in Septentrionem. 9, 539
umbra, & umbra, pro animâ hominis corpore solutâ. 6,512,784. 7,479. 9,641. umbræ errantes, insepultorum. 1, 11. umbræ ferales. 6,623. piæ. 6,792. civiles, manes eorum qui bello civili perierunt umbræ multum debentes vatibus, Achillis & aliorum heroum. 9,963
umbrare ripas arboribus. 2,411
Umbri, Umbria, Italia populi & regio. 2,430, 463
uncus. morsus unci convellere. 3,699. unco trahere. 6,638
undare, de flammâ. 5,100
unguen piceum. 10,491
unica, una, vel singularis. 3,652
Universum & Virtus sive animus viri sapientis, sedes seu domicilium Dei. 9,578
unus, pro solus. 5,807. non unus, pro, multi. Vogesus, mons Galliæ è quo Mosa oritur. 1, 397
volantes cælo faces. 1,527
volare sibi, de apibus extra examen vagè dispersis. 9,287
volatu lævo vulturis. 7,437
volubile cælum. 6,447
volucres Latiæ, Aquilæ legionum. 6,129
volucres diræ, nocturnæ. 1,558
volvere questus sub pectore. 1,347
volvi, de navibus. 8,272
volumina fumosa fumi. 3,505
voluntas ad malum cogi nequit. 9,570
voluptas sibi nata turpis. 2,391
vomentes æquor scopuli. 6,24
vomere, de fonte. 10,244
vortex. contorto vortice involvens potum. 3, 631. vorticibus contorsit aquas. 4, 101. contorti vorticis unda. 4, 460. vorticis violenti amnis. 8,374
votum. vota. concipere vota salutis. 1,506. votis vocari aures assuetæ. 2, 32. votis prodesse. 3, 318. voti summa. 3,497. voto nullo. 4, 401. votis majora modestis. 5,532. vota in ventos impendere. 5, 491. post vota veniens Fortuna. 5, 583. votis vincere apud Superos. 7,113. vota peritura. 7,211. votorum extrema. 8, 143. votum, desiderium. 8, 646. in voto nullo positum. 9,387
vox. voces. vox doloris credita, dolor creditus voci. 1,258. vox (patronus) populi. 1, 270. vocem mansuram signare signis, scribere. 3,221. voces moturæ prælia. 4,211. voces ingerere. 8,433. vox doloris. 5,494. voce plenâ. 6,622. voces latæ. 7, 11. voces belli, clamores & tumultus prælianiium. 7,175. voces relatæ, resonantes. 7, 484. voces ferre. 8, 330. voces commissæ, mandata. 9,100
vox magica, compositio seu mixtura omnium sonorum, sibilorum, cantuum, ululatuum,

latinum, &c. hominum, ferarum, avium, aqua, silvarum, &c. 6,686
Vrbe relictâ in bellum fugitur. 1,503
Vrbs caput generis humani. 1,512
urere, de frigore. 4,52. uri armis. 4,578
urgere. successu urgere suos. 1,148. portus urgens pelagus. 1,406. urget metus. 1,460. urgere populum. 1,491. urgere, de silvâ propendente inclinatâ. 6,644. urgeri ferro. 7,581. urgere naves. 9,37
urinatorum eximia periphrasis. 3,697
urna mortualis vel feralis, in quâ cineres & ossa defunctorum asservabantur. 1,568. 6,735. 8,770. 9,68, 1093. cælo tegitur qui non habet urnam. 7,819
in Vrnâ suffragia asservata. 5,394
Vrna, Aquarius, Signum cæleste. 9,537
ursa Pannonis. 6,220
Vrsæ, major & minor, stellæ; major Plaustrum, minor Cynosura. 4,523. 5,23. 8,177. 9,540
ustor cadaverum. 8,738
usura vorax. 1,181
usus. facere usum sceleris. 2,97. usus Veneris. 2,387. donare usum sanguinis Romani. 2,477. usum militis habet. 3,720. usus belli. 4,364. 10,512. vitæ. 5,276. Deûm. 5,698. in usu est Magis. 6,561
ut, id est, quantumvis, etsi, si. 7,389, 757
Vticæ clades, bella Africana, ab Vticâ urbe Africæ, in quâ Cato se occîdit. 6,306
utile dictat recto ut cælum terrâ. 8,488
vulgata Roma, cognita. 2,634
vulgus feminarum. 7,39. per vulgus spargere. 9,159
vulnus. vulnera. alta sedent civilia vulnera dextræ. 1,32. æquata membris vulnera, quot membra tot vulnera. 2,177. vulnera miscent. 3,354. vulnera longinqua cadunt, telis è longinquo missis infiguntur. 3,568. sua vulnera puppi affixit, corpus suum vulneratum. 3,707. vulnus oblatum. 4,764. vulnera belli. 5,1. 6,205. vulnera ferre, recipere. 6,133. vulnera multa unam mortem non explentia. 6,213. vulnera totum cruorem fusura. 7,566. labi in vulnera. 7,603. vulnus fortunæ. 8,72. pudoris. 8,350. vulnus sine corpore. 9,769. totum est pro vulnere corpus, de eo qui ab hæmorrhoëde serpente ictus cruorem toto undique corpore emittit. 9,814
vulnerum varia species. 7,618. & seqq.
Vultejus, tribunus Opitergiorum qui in Illyrico mari obsessi ab Octavio, suos ad mortem magnanimè sibi conscisendam adhortatur. 4,465. & seqq. exemplo ipse præit. 4,540
Vultur Appuliæ mons. 9,185
Vulturnus Campaniæ fluvius. 2,423
vulturum duodecim auspicio Roma à Romulo condita. 7,437
vultus demissus. 2,361. durus. 2,373. agmina habentia vultum pacis. 3,72. siccis vultus in nubibus hærent. 4,331. vultu serenus. 4,363. vultu dextraque. 5,319. in vultu Cæsaris, in conspectu. 6,159. vultum perdiderat rabies. 6,224. vultu examinus. 6,658. vultus turbare. 7,322. vultus adest precibus. 10,105
vultus pro toto capite. 2,112

X.

Xanthus, rivulus Troadis. 9,975
Xerxes Persarum rex navibus aquam constravit. 2,672. Athon montem à continente abscidit. 2,677. copias suas recensebat, militesque numerabat, telo à singulis militibus emisso. 3,285

Y.

Y littera effecta & repræsentata velatum gnum. 5,716

Z.

ZEphyrus, ventus Occidentalis. 1,407. 2,675. 3,549. 4,72, 405. 6,339. 9,418, 689, 1004. Zephyrosque an Eurus. 5,569. Zephyri domus, regna Occidentalia. 10,49. Zephyri, pro Etesiis. 10,239
Zeugma, oppidum ad Euphratem, terminus Romanorum & Parthorum, Pellæum dictum, quia conditum ab Alexandro Magno. 8,237
Zodiacus. 8,172
Zonæ Indorum gemmis destinctæ. 2,239
Zona Torrida. calens. 4,675. perusta. 9,314. rubens. 9,852. rubicunda poli pernsti. 10,275
Zona Nivalis. 4,106. credita frigore temperare Zonam Torridam. 4,109

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FOR USE IN
BUILDING

Digitized by Google

Digitized by Google